DE ARISTOTELIS
ΕΞΩΤΕΡΙΚΟΙΣ ΛΟΓΟΙΣ

DEQUE

CICERONIS ARISTOTELIO MORE

PRAEMISSA DISPUTATIONE

DE VETERUM ARTE DISPUTANDI DEQUE EORUM DIALOGIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS THOMAS

NASSOVIENSIS.

GOTTINGAE MDCCCLX.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(GUIL. FR. KAESTNER.)

VIRIS SUMME VENERANDIS

IISDEMQUE

DE LITERIS OPTIME MERITIS

HENRICO RITTERO

CAROLO HOECKIO

ERNESTO LUDOVICO DE LEUTSCH

HUNC LIBELLUM

PII GRATIQUE ANIMI TESTEM

DEDICAVIT

AUCTOR.

Aliquamdiu his temporibus in Ciceronis libris legendis versatus non potuit fieri, quin etiam in illos locos inciderem, in quibus quaedam scripta *more Aristotelio* a se elaborata esse tradit. Scribit enim in Epistola illa ad *Lentulum*[1]): „Scripsi igitur *Aristotelio more*, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo de oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. Abhorrent enim a communibus praeceptis, atque omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complectuntur.“ In epistola quadam ad *Atticum*[2]) de iisdem libris mentionem facit valdeque eos sibi probatos esse affirmat, sed alios, quos tum confecerat, ab illis de Oratore libris ita distinguit, ut quos novissime scripserit, eos Aristotelium morem habere dicat, quasi plane oblitus sit, se illos quoque de Oratore libros Aristotelio more scriptos esse in epistola illa ad Lentulum, de qua paullo ante diximus, indicasse.

Haec quaestio quum cohaereat cum illa, quae est de Aristotelis dialogis qui iidem quum inter ejus *ἐξωτερικοὺς λόγους* numerentur, de his quoque quaerendum esse visum est.

Has duas quaestiones difficillimas, in quibus multos viros doctos, me et ingenio et doctrina praestantiores, operam et studium collocasse notum est, quod

1) Ad *Fam.* *I*, 9, 23. 2) XIII, 19, 4.

ego mihi suscipiendas esse duxi, lectores summa, qua par est, modestia oratos velim, ne arrogantiae me propterea aut audacis superbiae incusare malint, quam credere, ut ubique, sic hic quoque uno me veri cognoscendi studio ductum esse. Et si mihi contigerit in his quaestionibus aliquando acutius videre, quam aliis, quibus me copia doctrinae, acumine ingenii minime parem esse putaverim, id me nulla alia re nisi diligentia vel potius perpetua quadam animi attentione et observatione, quae in talibus quaestionibus enodandis molesta esse non debet, assecutum esse fateor.

Sed priusquam ad propositam quaestionem aggredimur, haud ab re nobis visum est, nonnulla de dialogis veterum in universum et inprimis Platonis et Aristotelis praemittere, quorum dialogos vix dubium est quin Cicero in scribendis suis ante oculos habuerit eorumque aemulator, Platonis certe, exstiterit.

Quid omnino sit dialogus quum neminem ignorare credam, non opus est de ea re multa verba facere. Possunt omnes sermones, qui cum altero cognoscendi aut animum oblectandi causa aut quamcunque aliam ob causam de eadem re interrogando et respondendo conferuntur, dialogi appellari [3]; potest etiam interior quaedam atque tacita mentis secum ipsa sermocinatio nomine dialogi signari [4]. Praecipue autem ii sermones dialogi nominantur, qui inter viros aliqua doctrina eruditos instituuntur aut veri inveniendi causa aut tale aliquid probandi et firmandi aut etiam ut opiniones falsae refutentur atque ex animis pellantur; eoque magis tales sermones dialogi dicuntur, quo magis via aliqua ac ratione disputandi procedunt. In quibus rebus qui sunt exercitati quique in quaque proposita quae-

---

3) Cf. *Cic. Brut.* §. 218; ad *Attic.* XIII, 42. 4) Cf. *Plat. Sophist.* p. 263, E; p. 231, C.

stione probabiliter argumentari possunt, aliorumque opiniones recte dijudicare, falsas redarguere, omnino qui, quid sit verum, quid sit consentaneum cuique, quid consequens, quam celerrime possunt perspicere atque expromere, dialectici nominantur ab iisque dicta ars est dialectica [5]). Contra qui se posse tantum simulant, sophistae dicuntur [6]), quibuscum cohaerent quodammodo *Ἐριστικοί*, qui utrique fallaciter et captiose ea arte utuntur [7]).

Ceterum etsi praecepta talium sermonum, id est dialogorum, vix ulla rhetorum exstant, tamen quum dialogus quasi sermo duplex sit, quippe qui plerumque inter duos fiat, per se intelligitur esse utrique adversus alterum hic quoque ea observanda, quae eruditissimum quemque maxime usquequaque alteri praestare deceat. In qua re quum mirum quantum peccetur, non alienum est lectores ad Ciceronem, talium rerum praeceptorem eximium, remittere [8]).

Primus in arte dialectica magnam famam collegisse dicitur *Zeno Eleates*, nobilis ille Parmenidis auditor, quem eundem Diogenes Laertius primum dialogos scripsisse nuntiat [9]). Contra Aristoteles et Phavorinus

---

5) Cf. *Diog. Laert.* III. p. 215 (Colon. Allobr. 1616.) *Ἔστι δὲ διάλογος ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως συγκείμενος περί τινος τῶν φιλοσοφουμένων καὶ πολιτικῶν μετὰ τῆς πρεπούσης ἠθοποιίας τῶν παραλαμβανομένων προσώπων καὶ τῆς κατὰ τὴν λέξιν κατασκευῆς. διαλεκτικὴ δ' ἐστὶ τέχνη λόγων, δι' ἧς ἀνασκευάζομέν τι ἢ κατασκευάζομεν ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως τῶν προςδιαλεγομένων.* *Cic.* de Fin. II, c. 6. Dialectica — una continet omnem et perspiciendi quid in quaque re sit scientiam, et judicandi quale quidque sit, et ratione ac via disputandi. cf. *Ejusd.* Academ. II, c. 28, 91. *Brut.* §. 309. *Plat. Sophist.* p. 353, D sq. *Aristot Topic.* I, c. 1, 2 sq. 6) cf. *Plat. Sophist.* p. 268 C sq. 7) cf. *Zeller:* d. Philosophie d. Griechen (2. Aufl.) T. I, p. 765 sq. T. II, p. 186. 8) De *Offic.* I, §. 134 sq. Quod decoris praeceptum Socrates quidem apud Platonem nunquam non ante oculos habet. 9) l. c. III, p. 215.

apud eundem Diogenem Laertium [10]) Alexamenum nescio quem Styreum sive Tejum tradit. Alio loco [11]) idem Diogenes Aristotelem auctorem esse ait, Zenonem Eleatem inventorem dialecticae artis fuisse. Quae res quomodocunque se habet, illud sane mihi pro certo affirmari posse videtur, eristicae certe artis initia multo ultra eam aetatem esse repetenda, qua Zeno ille Eleates vixisse fertur.

Lasus enim *Hermionensis*, vir egregie de musica et poesi Graecorum meritus, qui Darii Hystaspis temporibus vixit et aequalis Simonidis et Xenophanis fuit [12]), primus *λόγους ἐριστικοὺς* induxisse traditur [13]). Cui rei quasi fidem adjungit *Athenaeus* [14]), qui hunc ejus festivum lusum servavit: *τὸν Λᾶσόν φασι τὸν ὠμὸν ἰχθὺν ὀπτὸν εἶναι φάσκειν. θαυμαζόντων δὴ πολλῶν ἐπιχειρεῖν λέγειν ὡς ὅ ἐστιν ἀκοῦσαι, τοῦτό ἐστιν ἀκουστόν, καὶ ὅ ἐστι νοῆσαι, τοῦτό ἐστι νοητόν· ὡσαύτως οὖν καὶ ὅ ἐστιν ἰδεῖν, τοῦτο εἶναι ὀπτόν· ὥστ᾽ ἐπειδὴ τὸν ἰχθὺν ἦν ἰδεῖν, ὀπτὸν εἶναι κτλ.* Qui lusus quamquam longissime absunt a dialogorum perfectione et praestantia, possunt tamen nobis demonstrare, quomodo jam tum externo verborum sono simili et forma judicia hominum impediri mentesque moveri potuerint.

Atque omnino a talibus lusibus artem eristicam profectam esse non admodum incredibile est. Quibus enim rebus quasi pueri homines dum sunt, ludunt, eas viri facti serio plerumque et extra jocum tractare et

---

10) l. c. 11) IX, p. 645. 12) Cf. de eo *Bernhardy* Grundr. d. griech. Litterat. (2te Bearb.) II, 1, p. 541 et 546 sq. *Duncker* Gesch. d. Alterth. IV. p. 330 et 339. *Plut.* de vitioso pudore c. 5. 13) *Schol.* ad *Aristoph. Vesp.* v. 1410: *Λᾶσος Χαρβίνου Ἑρμιονεύς, πόλεως τῆς Ἀχαίας, γεγονὼς κατὰ τὴν νη᾽ Ὀλυμπιάδα, ὅτε Δαρεῖος ὁ Ὑστάσπου. — πρῶτος δὲ οὗτος περὶ μουσικῆς λόγον ἔγραψε, καὶ διθύραμβον εἰς ἀγῶνα εἰσήγαγε, καὶ τοὺς ἐριστικοὺς εἰσηγήσατο λόγους.* 14) VIII, p. 338, B, C.

exercere pergunt. Quod Zenonis illius, cujus modo mentionem fecimus, ratio disputandi probare videtur, quae si ex Plutarcho [15]) conjicere licet, ejusmodi fuit, ut contradicendo et coarguendo ita adversarios in angustias perduceret, ut quo se expedirent, haberent nihil et obmutescere cogerentur. Quae ratio num dialectica potius quam eristica appellanda sit, equidem non dixerim. Illud certe affirmari posse videtur, Zenonem magis in eo versatum esse, ut Parmenidis, magistri sui adversarios refelleret ejusque disciplinam contra aliorum dissensiones firmaret et fulciret, quam ut ipse dialectica ad nova aliqua, magna praesertim, invenienda et statuenda uteretur. Et sunt quoque, qui illius illum librum, qui a Platone in Parmenide [16]) commemoratur, praeter quem nihil aliud scriptum reliquisse videtur, dialogi forma scriptum esse concedere nolint [17]).

Neque tamen haec Zenonis disputandi ratio parvi momenti fuisse existimanda est atque haud scio an omnes illae rerum immutationes, quae paullo post quum alibi in Graecia, tum Athenis secutae sunt, ex illa arte tamquam ex communi quodam fonte profluxerint. Quum enim per se, qui bene disserit, confidentiam quandam sui nanciscatur, qua ductus se quaeque, quam alterum, melius scire opinetur melioraque posse reddere putet, tum nescio quomodo ad immutanda ea, quae a majoribus tradita acceperit, celer et praeceps fieri solet. Et quoniam dijudicare vera et falsa maxime homines decet, dialectica est, a qua id potissimum repeti possit. Itaque quum nemo, nisi qui recte judicandi et argumentandi facultate aliqua instructus sit, in aliquo numero esse possit, mirum est, quod Graeci inprimisque Athenienses subito tanto amore hanc artem

15) *Vit. Pericl.* c. 4 et 5. 16) p. 127, C sq. 17) *Zeller* l. c. T. I p. 421.

amplexi sunt, ut studiosissime ei praeter ceteras artes operam darent, iisque, qui eam tradebant, magnas pecunias penderent. Sed quemadmodum fieri solet, ut quae merces cupidissime appetuntur, eae sensim depraventur et minus accurate conficiantur, sic etiam ars dialectica mox in pejus mutari coepta est. Inter omnes enim notum est, ad quas ineptias sophistae illi qui dicuntur descenderint, quas nugas captaverint, quanta interdum doctrinae perversitatem morum foeditate aequaverint vel potius superaverint, communis juris praecepta in contemptionem adduxerint [18]). Hujus licentiae vix ulla causa inveniri poterit, nisi quae profecta est ab eorum prava dialectica, qua nihil non se efficere posse arbitrabantur. Rerum enim ipsarum parum curiosi verba premere solebant, notiones ipsas plus justo negligentes, fallaciis et conclusiunculis suis imperitorum mentes perturbare non dubitantes, et quae ars divina a diis immortalibus ad verum inveniendum hominibus data esse videtur, ea tanquam ignobili perversitatis ministra ad alios fallendos, ad captiosissimas res solvendas, maxime ridiculas probandas abutebantur. Quarum rerum insigne momentum exstat *Platonis Euthydemus*, quem qui legerit, eorum magis vanas ostentationes quam subtiles argumentationes melius cognoverit, quam nobis hic eas describere in animo est. Quamquam negare nolumus, multa etiam scite ab iis instituta esse, quae quum ad pedestrem orationem omnino, tum vero ad artem oratoriam pertinebant [19]). Quum enim ante omnia dicere homines docere stude-

---

18) Cf. *apud Plat. Thrasymachum Resp.* I p. 336, B sqq. *Calliclem Gorg.* p. 481, B sqq. Qui quamvis inter sophistas non numeretur, id quidem nihil ad nostram rem. 19) Cf. *C. F. Hermanni* disput. de *Thrasymacho Chalcedonio sophista.* Index scholar. in ac. *Georg. Aug.* per sem. hib. anni 1848—1849 habend.

rent suae quemque rei accommodatissime, non potuit fieri, quin ad multa oratoriae artis praecepta danda perducerentur [20]), quales hodie emendate dicendi scribendique regulae a grammaticis in scholis tradi solent. Sed quum in his quoque delectare quam persuadere mallent, omnium fere temporum judiciis damnati magis quam probati sunt, quamquam nuper exstitit, qui eos sibi defendendos susciperet [21]).

Sophistis se opposuit *Socrates*, disputandi subtilitate illis temporibus facile princeps, qui quid vellet quum cives ejus non intelligerent, adversari ei detrahereque conati sunt. Quibus molestiis ille deterritus non est, quin ea via, qua sola ad cognoscendum verum perveniri posse rebatur, fortiter incederet et assidue arti dialecticae operam navaret ita, ut quasi patronus ejus artis factus sit. Quum enim ad recte agendum nihil magis opus esse existimaret, quam scire, quid quaeque res esset [22]), quumque virtutem ipsam scientiam esse putaret [23]), scientiam autem ipsam nulla re magis effici posse arbitraretur, quam si quisque occupatus esset et in se ipso et ceteris explorandis [24]), fieri non potuit, quin quamcunque occasionem cum aliis colloquendi eosque tentandi studiosissime arriperet et artem dialecticam sic excoleret, ut qui eum sequebantur, omnium eam artium magistram fere ac ducem putarent, omniumque doctrinarum fastigium, quo nihil addi deberet superius [25]). Nec vero potuit aliter evenire. Quum enim sophistae arte dialectica abutentes omnem scientiam subvertere viderentur, nonne tunc vir ali-

---

20) Cf. *Bernhardy* l. c. I, p. 397 et p. 401. 21) Is est *Georg. Grote*, Britannus, in libro, qui inscribitur: *History of Greece* London 1846 sq. Cfr. ejus operis vol. VIII. p. 479 sqq. 22) *Xenoph. Mem.* IV, 6, 1. 23) *Xenoph. Mem.* III, 9, 5. — *Zeller* l. c. T. II, p. 97. 24) *Plat. Apol.* p. 28, E; *Phaedr.* p. 229, E. *Xenoph. Mem.* IV, 2, 24 sq. 25) *Plat. Resp.* p. 532 A — 534 E.

quis eximius, qualem Socratem fuisse constat, suum esse crederet demonstrare, qua disputandi perversa ratione scientia esset corrupta, eadem emendata et purgata etiam corrigi scientiam reficique posse? Id autem nullo alio modo fieri posse videbat, nisi si ipse dissereret et eorum tentaret animos, qui se aliquam rem scire profiterentur. Itaque fere usquequaque in scriptis veterum philosophorum Socratem cum aliis colloquentem videmus ita, ut percontando et interrogando eorum opiniones eliciat et tum ad ea, quae hi responderint, si quid videatur, dicat, modo confirmans alterius opinionem, modo corrigens, saepius refellens. Credebat enim id sibi a deo ipso (Delphico) esse mandatum [26]), ut cives suos ad virtutem incitaret, et quoniam virtutem in scientia positam esse existimabat, nullam rem facile praetermisit, ex qua se aut alios discere aliquid posse arbitrabatur [27]).

Quomodo autem disseruerit, quum ex iis sermonibus, quos ab eo cum aliis collatos veteres scriptores posteritati tradiderunt, intelligi potest, tum etiam ipsis verbis dicitur, velut a *Xenophonte* in *Mem.* IV, 6, 13, ubi Xenophon, postquam sermone quodam exempli causa adjecto ostendit, quomodo semper ad verum quidpiam atque ab omnibus concessum tamquam ad fundamentum aliquod ante positum dijudicandam quamque rem controversam revocaverit, pergit: *Οὕτω δὲ τῶν λόγων ἐπαναγομένων, καὶ τοῖς ἀντιλέγουσιν αὐτοῖς φανερὸν ἐγίγνετο τἀληθές. Ὁπότε δὲ αὐτός τι τῷ λόγῳ διεξίοι, διὰ τῶν μάλιστα ὁμολογουμένων ἐπορεύετο, νομίζων ταύτην τὴν ἀσφάλειαν εἶναι λόγου. τοιγαροῦν πολὺ μάλιστα ὧν ἐγὼ οἶδα, ὅτε λέγοι, τοὺς ἀκούοντας ὁμολογοῦντας παρεῖχε.* Atque haec est Socratica illa

26) Cf. *Plat. Apol.* p. 33, C. *Plat. Phaedr.* p. 230, D.

27) Cf. *Xenoph. Mem.* I, 6, 14.

inductio, de qua *Cicero*[28]: Inductio est, inquit, oratio, quae rebus non dubiis captat assensiones ejus, quicum instituta est; quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur. — Et paullo post: Hoc modo sermonis plurimum Socrates usus est, propterea quod nihil ipse afferre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quod sibi ille dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod jam concessisset, necessario approbare deberet.

Sic ubique a rebus maxime concessis et manifestis, de quibus quia inter omnes constabat, nemo facile dubitare poterat, disputans profectus est, inde colligens atque inferens, quae similiter vera esse in aliis rebus necesse erat. Sic fere exortus est Socraticus ille dialogus, clarus arte, subtilitate, decore quam maxime et apud veteres et apud posteritatis homines. Sed duplex quoddam ejus genus discerni potest, alterum, quum ejus participes inter se aequabiliter fere colloquuntur atque sermones conferunt ita, ut alterni alter ex alterius dictis aut ex sua sententia rem quamque, de qua agitur, respondendo, interrogando, probando, addubitando, corrigendo, explicando, nova inferendo et narrando aut quocunque denique modo sit, modo severe et graviter, interdum jocose et hilariter longius aut bre-

---

28) De *Invent.* I, §. 51. Cf. *Aristot. Topic.* I, 10: — *χρὴ διελέσθαι, πόσα τῶν λόγων εἴδη τῶν διαλεκτικῶν. Ἔστι δὲ τὸ μὲν ἐπαγωγή, τὸ δὲ συλλογισμός. — Ἐπαγωγὴ — ἡ ἀπὸ τῶν καθέκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος· οἷον, εἰ ἔστι ὁ κυβερνήτης ὁ ἐπιστάμενος κράτιστος, καὶ ἡνίοχος· καὶ ὅλως ἐστὶν ὁ ἐπιστάμενος περὶ ἕκαστον ἄριστος.* Cfr. etiam, si tanti est, ejusd. *Rhetor.* I,2,8 sq. — *Quintil. Instit. Orat.* V, c. 11 (Vol. I p. 307 ed. Bip.) Nam illa (inductio), qua plurimum Socrates est usus, hanc habuit viam, quum plura interrogasset, quae fateri adversario necesse esset, novissime id, de quo quaerebatur, inferebat, cui simile concessisset. Id est *inductio.*

vius producat et persequatur, qualis dialogus omnino sermo dici solet, in circulis maxime, disputationibus, congressionibus familiarium versans, sequens etiam convivia et coetus amicorum. Habentur autem hi sermones plerumque aut de domesticis negotiis aut de republica aut de artium studiis atque doctrina [29]), omninoque de iis rebus, quas cujusque interest accuratius diligentiusque considerari et perspectas esse. Hujus generis dialogi adhuc exstant *Xenophontis* potissimum, velut *Oeconomicus*, *Hiero*, *Symposium*, alii ejus scriptis aliis immixti sunt, de quibus hic non dicendum est.

Alterum dialogi genus est quum a qualicunque initio sermo orsus colloquentes mox traducit ad quaestiones graviores, quae ad philosophiam pertinent ideoque diligentiorem explicationem desiderant. In quo genere quum primum quaestio constituta est, via ac ratione procedere sermo solet ad explorandum aliquid, quod si interdum minus verum sit — tale enim aliquid vel sapientissimus prudentissimusque non semper assequi potest — at verisimile tamen et probabile, quodque ad verum quam proxime accedat. Instituuntur etiam tales sermones, ut falsae quaedam aliorum opiniones deleantur atque ex animis exstirpentur. Facile autem per se intelligitur in his collocutionibus cum colloquentes aliqua scientia eruditos esse oportere, tum vero, penes quem sit principatus, eum et ingenii acumine et celeriter judicandi providendique facultate eximie esse praeditum debere prae ceteris, ut quod propositum habeat, se consecuturum esse sperare possit.

Hoc dialogorum genus a *Platone* inprimis excultum est, qui Socratis auditor, ita ejus non dico philosophiam, sed philosophandi et disserendi formam adamaverat, ut nunquam eam postea dimitteret. Quam cur

---

29) *Cic.* de *Offic.* I §. 135.

semper retinuerit, etiam aliae causae fuisse videntur. Est enim dialogus, quod singula quaeque accurate persequitur, et considerat, saepe insistit et quasi circumspicit, ne quid effugiat minus diligenter examinatum eaque de causa longas orationes una perpetuitate praetervolantes plerumque respuit [30]), ad certum aliquid inveniendum atque firmandum longe aptissimus. Nam ut duo aliqui plerumque plus valent corporis viribus, sic etiam qui cum altero aliquid mente agitat atque animo contemplatur, quum quasi ejus animi vires advocaverit, aliquam spem habere potest fore ut verius certiusque sit id, quod cum altero repererit, quam si solus per se acturus fuisset. Quae spes augebitur eo magis, quo peritiorem alterum ejus rei, de qua agitur, esse cognoverit. Habet enim hunc velut prudentem arbitrum atque existimatorem sententiae suae, quam aut retinebit, si veram eam, aut rejiciet, si falsam fuisse apparuerit [31]). Quemadmodum autem, qui libri nostris temporibus scribuntur, eorum, posteaquam editi sunt, censura aliqua confici solent, qua quae falsa sunt et minus ad veritatem dicta, corriguntur, sic qui sciscitando cum altero agit, eum ejus rei, quam tractat, quodam modo censorem perpetuum et praesentem judicem atque correctorem ubique secum habet. Praeterea qui dialogo in disputando utitur, per alterum semper quasi metiri potest, quam sit quidque, quod dixerit, clarum et perspicuum; potest, quae sunt ad intelligendum difficiliora, explicare uberius adjiciendo alia, quae ad intelligendam quamque rem idonea sunt; potest saepe viam ostendere, qua ad id, quod quaeratur, perveniri possit. Maxime autem potest evitare jejunitatem

---

30) *Plat. Protag.* p. 334, D. sq. *Gorg.* p. 449 B. 31) *Plat. Protag.* p. 348, D. sq.

et siccitatem, quae saepe comitari solent tractationes ad scientiam aliquam aut artem spectantes et sermonem nimis tenuem reddunt. Quod ne fiat. interdum paulisper a severitate ad hilaritatem jocumque traducere potest [32]), nonnumquam a definita disputatione ad communem quaestionem universi generis transire[33]). Haec omnia in disputatione, quae ratione et via perpetua oratione instituitur, non admodum probata dialogo tamen optimo jure concedi posse nemo erit qui neget. Atque haud scio an, ut etiam insolentis interdum est et superbi, per se omnia quaeque altero non adhibito contendere et affirmare velle, quae ille credat, sic modesti ac verecundi sit, alterum consulere saepe et audire ejusque sententiae aliquid tribuere, ut, quod sit disserendo cognitum, quasi commune utriusque appareat speciesque arrogantiae vitetur. Sic sine dubio multa sunt, quibus praestare dialogum perpetuae disputationi dicere possis. Et his dialogi commoditatibus Platonem saepenumero usum esse non negabit, qui aliquantulum ejus dialogos triverit. Ut autem a Platone dialogum fere nusquam non adhiberi videmus, sic etiam credimus nos ab eo cognoscere posse, quibus de causis eum perpetuis orationibus praetulerit. Atque aperit talia quum alibi [34]), tum vero in *Phaedro* [35]),

---

32) cfr. *Plat. Resp.* I p. 338, C. sq. 33) cfr. *ibid.* II, p. 357 sqq. 34) cfr. *Protag.* p. 334, D. sq. cfr. ibid. p. 348, D. *Gorg.* p. 449, B. sq. *Phaedr.* p. 267, B. 35) p. 275, D. sqq. In his quidem Plato scriptam orationem notat prae ea, quae ore tradatur. Sed quum alibi, ut in *Protagora* p. 329, A (*καὶ γὰρ εἰ μέν τις περὶ αὐτῶν τούτων συγγένοιτο ὁτῳοῦν τῶν δημηγόρων, τάχ' ἂν καὶ τοιούτους λόγους ἀκούσειεν ἢ Περικλέους ἢ ἄλλου τινὸς τῶν ἱκανῶν εἰπεῖν· εἰ δὲ ἐπανέροιτό τινά τι, ὥσπερ βιβλία οὐδὲν ἔχουσιν οὔτε ἀποκρίνασθαι οὔτε αὐτοὶ ἐρέσθαι, ἀλλ' ἐάν τις καὶ σμικρὸν ἐπερωτήσῃ τι τῶν ῥηθέντων, ὥσπερ τὰ χαλκεῖα πληγέντα μακρὸν ἠχεῖ καὶ ἀποτείνει, ἐὰν μὴ ἐπιλάβηταί τις, καὶ οἱ ῥήτορες οὕτω σμικρὰ ἐρω-*

ubi quod scriptum sit, comparat cum pictura. Picturae enim opera tanquam viventia exstare, sed si quid ex iis rogaveris, graviter admodum et verecunde silere. Eodem modo sermones nihil ipsos intelligentes dicere, et si quid ab iis dictorum sciendi-avidus sciscitatus sis, idem semper et unum significare. Quidquid autem semel scriptum sit, id ubique ab iis qui intellexerint in ore ferri ac provolvi, sive deceat, sive minus. Talem sermonem nescire dicere quibus oporteat et quibus non oporteat, et si quando injuria affectus sit immerito, ipsum sibi auxilium ferre non posse et patris semper egere adjumento, ipsum enim neque defendere se ab adversariis neque opem sibi ferre posse. At contra alium esse sermonem, prioris fratrem germanum, qui in animo discentis cum scientia scribatur, quia sibi ipse auxiliari possit et intelligat, apud quos loquendum sit, apud quos tacendum. Hunc vivere et esse animatum, cujus oratio scripta simulacrum merito dicatur. Quo sermone qui scite utatur, eum quasi sermones plantare et serere, qui si modo idoneum

---

τηθέντες δολιχὸν κατατείνουσι τοῦ λόγου.) hanc quoque, quae revera voce fit, non minus graviter irrideat, et tum maxime, quum de re aliqua accurate definienda et cognoscenda agitur, quales omnino sunt, quae res ad philosophiam pertinent, se deprecari eam dicat, (cfr. *Gorg.* l. c. p. 449, B. *Protag.* ll. cc. p. 334, D; p. 348, D) suisque interrogationibus quam brevissime responderi velit, nihil ex his colligi aliud poterit, nisi Platonem dialogum in philosophia alius cujusvis orationis formae praeferendum existimasse. Qui enim sermo una perpetuitate deductus est, saepe eodem fere vitio laborat, quo *Schillerus* noster alicubi dicit laborare feminas, quae semper ad idem redeant, idemque contendant, etsi per totas horas ratio docta sit. Atque omnino Platonem, virum acutissimum, fugere non potuit, esse ejusmodi interdum hominum praejudicatas opiniones, ut nisi dialectice circumventi, nullo modo convinci ac refelli possint. Cfr. de tota hac re *Zeller* d. Philos. d. Griech. T. II (ed. sec.) p. 355 sqq. contra *C Fr. Hermannum* Gesch. u. System d. Plat. Philos. T. I. p. 352 sqq. et *ejusd.* gesamm. Abh. p. 285 sqq.

nacti sint solum, hoc est, bene subactum animum, uberrimos et utilissimos possint fructus edere[36]. Ut autem agricola peritus sciat et tempus serendi et loca, ubi semina seri conveniat, et gaudeat quae severit, non, si post octo dies ea pulchra facta esse videat, sed multo magis delectetur, si octo mensium intervallo satio ad fruges pervenerit, sic etiam qui rerum pulchrarum et bonarum scientias tamquam serendas habeat, eum plerumque non minus quam agricolam peritum esse. Non igitur, inquit Plato, studiose atramento et calamo scribet cum orationibus, quae nec succurrere sibi sermone queant, nec veritatem sufficienter ostendere[37]. In quibus nihil aliud Plato significat, nisi talem virum non quae habeat docenda, ea scripta vel potius continua oratione perfecta et absoluta tradere, ut subito fructus earum scientiarum videat, sed disserendi arte semina spargere scientiae malle et ejus aperire fontes, unde peti possit sincera atque integra, quod multo praestantius sit. Illud enim, *rationem reddere posse cujusque rei*[38], fere ubique est, quo nihil Plato pluris existimandum esse censet, quod quoniam unica sit ars dialectica quae efficere possit, quum ad interrogandum et respondendum homines aptissimos reddat, hanc omnibus aliis doctrinis tanquam columen accedere[39].

Vides, quae potissimum causae fuerint, cur Plato in philosophia excolenda dialogo uti voluerit. Sed haud scio an praeter eas aliae reperiri possint, quae eum ad istud dicendi genus adduxerint. Primum enim illud constat, aliis temporibus alia hominum esse studia

---

36) cfr. *Phaedr.* p. 276, E.

37) *Ibid.* p. 276, C.

38) *Resp.* VII, p. 531, E; p. 533, C; p. 534, B et saepius.

39) *Resp.* VII, p. 534, D, E.

atque judicia. Et ut vitae instituta diversis temporibus diversa erant, sic etiam quum litterarum tractationem, tum inprimis philosophandi modum ac rationem diversa fuisse consentaneum est. Sic etiam genus dicendi in philosophia non semper idem mansit. Nam fuerunt veterum philosophorum permulti iique clarissimi, qui quae cogitando reperisse sibi visi erant, poetica forma carminibus ac versibus tradebant, sine dubio ea de causa, quod et ipsi poetico quodam afflatu incitati erant et majores eodem dictionis genere usos esse videbant. Quae enim res per aliquem virum singularem primum inventae et excultae sunt, ad eas se posteriores studiose applicare easque fovere et tueri solent, donec excellens alicujus hominis virtus novas induxerit, quod simulac factum est, obsolescunt et oblivioni traduntur, quae antea in usu atque honore fuerunt. Quod factum est per Socratem in philosophia. Nam quaecunque ejus fuerunt scientiae ipsius immutationes et emendationes, certe illud constat, inter eas philosophandi rationem ipsam ab eo institutam haud infimum locum tenere. Quae quum novitate dicendi et disquirendi admodum adolescentulorum animos alliceret, et ad imitandum incitaret[40]), non potuit fieri, quin qui eorum praestantissimis essent ingeniis praediti, idem conarentur et eadem prorsus via procederent, atque ita philosophiae quasi novam personam induerent. Quare quod Plato in philosophando dialogi forma usus est, fecit, quod omnibus temporibus homines fecerunt, quum quae consuetudine sint introducta, ea usurpare soleant. Quid autem, quum etiam a poetis dialogus ita esset receptus, ut plane novi generis carmina crearet, tragoedias dico et comoedias; nonne Plato hunc multo graviore arte dignum putaret, in

40) *Plat. Apol.* p. 23, C; p. 33, C.

qua adhiberetur, praesertim quum ipse adolescentulus tragoediis faciendis operam dedisse tradatur [41]) ideoque jam antea in ejus familiaritatem venerit?

Non igitur est, quod quaeras, qua de causa Plato dialogo usus sit, sed quaenam causa fuerit, cur posteriores, inprimis Aristoteles, hanc colloquendi formam rursus abjecerint, quam si perpetuo retinere voluissent, nemo, opinor, quaereret, qua de causa Plato ea usus sit.

Potest autem revera mirum videri, cur, quae ars a Platone ita erat exculta, ut quasi omnes numeros haberet, ea nihilo minus postea abjecta sit et relicta. Scimus enim, quot sunt Aristotelis libri adhuc superstites, eorum nullum dialogi forma scriptum esse, nec quae ejus librorum inscriptiones apud Diogenem Laertium commemorantur [42]), ejusmodi sunt, ut multos inter eos dialogos fuisse credideris. Quae igitur illius rei causa fuit? Huic quaestioni quamvis difficillimae is optime respondebit, qui Aristotelis et rationem philosophandi et tempus, quo vixerit, consideraverit. Quod enim attinet ad philosophandi naturam Aristotelis, non dubium est, quin ea admodum diversa fuerit a Platonis ratione. Hanc inter eos diversitatem in eo maxime cerni arbitramur, quod Plato fere ubique ita disputat, ut ab idea aliqua vel notione proficiscatur, quaerens quid bonum, quid malum, quid pulchrum, quid turpe, quid justum, quid injustum, quid verum, quid falsum, quid honestum quid inhonestum sit, quarum omnium notionum quum in omnibus hominibus aliqua disciplina excultis quasi nativus quidam et insitus sensus sit, quo in iis dijudicandis et discernendis ducuntur, potest fieri, ut qui apte interrogandi peritus sit, interrogando

---

41) *C. Fr. Hermanni* Gesch. u. Syst. d. Plat. Philos. T. I p. 30.

42) Lib. V. p. 314 sq. (Colon. Allobr. 1616).

ex altero evocet et verum esse probet, quod ut ipse alter numquam in se latere, ita ne verum quidem aut concedendum esse putaverit. Sic omnes fere Platonis dialogi ethicum quendam recessum habent, ex quo initio enascuntur, quoque tanquam ad communem argumentorum sedem referendi sunt, qui ubi deest, dialogum ipsum Platoni molestum et incommodum factum et fere abjectum esse animadvertere possumus [43]).

Atque hoc est, quod Socratis maxime proprium fuisse legimus, qui fere non nisi de virtute deque iis rebus, quae ad eam pertinerent, disserere solebat [44]). Sic dialogus, qui inscribitur *Gorgias* et de arte rhetorica est, tantum abest, ut ejus discendae praecepta det, ut oratores deridendos sibi Plato proposuisse videatur, certe ea de causa, quod ad aliud quidvis magis arte rhetorica, quam ad probum honestumque probandum homines uti videbat. Et in dialogo de *Republica* magis est idea boni, quam civitatis, ad quam summa dialogi revocanda sit [45]).

Ad talia explicanda quis neget dialogum aptissimum esse? Contra quae homines vel tradita ab aliis vel ipsi experientia et usu edocti aliunde adsciverunt, quaeque his rebus ducti egerunt et omnino, quae historia magistra didicerunt, quae observaverunt, quas novas artes invenerunt, ut ab initio non ejusmodi sunt, quae insita et recondita in interiore hominum communi conscientia lateant, ita nec interrogando aut con-

---

43) Velut in *Timaeo* aliisque. Minus enim recte dicunt, qui, ut *Krischius* in libro: Forschung. auf d. Geb. d. alt. Philosophie Vol. I. p. 18 Platonem, quod in istis dialogis scribendis juvenilis ei animi volubilitas („die jugendliche Gelenkigkeit") defuerit, fere removisse dialogum narrant.

44) *Plat. Apol.* pp. 38, A; 31 B; 30 A sq. *Xenoph. Mem.* I, 1, 16. *Aristot. Metaphys* XII, 4, 3.

45) *Susemihl*, d. genet. Entwickl. d. Plat. Philos. T. II. p. 64.

cludendo inde erui poterunt. At quisque fere concedat necesse est, hanc Aristotelis philosophiae naturam esse, qui quamquam est ingenio acutissimo et mirabili scientiae copia, tamen fere ubique, quamcunque rem tractat, ab iis rebus proficiscitur, quae ad experientiam et diligentem rei cujusque observationem tamquam ad singulares quosdam hominum cognitionum fontes revocari possunt indeque repeti debent. Praeterea quotus quisque, quaeras, fuerit, cujus permagni interesset, Aristotelem per dialogum totam aliquam disciplinam, velut Rhetoricen, inde ab initio usque ad finem persequentem sequi interroganti respondentem? Quamobrem Aristoteles minus apte cujusque disciplinae tractationi dialogum adhiberi intelligens eum abjecit atque in ejus locum per continuas orationes disserendi consuetudinem substituit. Accedit, quod, sicut Platoni contigerat, Aristoteli minime vis illa divina Socratis disserentis ut viva quaedam imago, qua ad imitandum incitaretur, ante oculos obversabatur. Nam qui Aristotelem Athenis Socratem de rebus ad philosophiam pertinentibus disserentem audivisse tradiderint, erravisse eos probabile est, quum aliorum longe certiore auctoritate constet, aliquot annis post Socratis mortem Aristotelem natum esse[46]).

Quod autem ad tempora ipsa, quibus Aristoteles vixit, attinet, non fere nisi dedecore, nequitia, vitiis, eminebant[47]). Pristinae illae Graecorum virtutes, animi vigor atque alacritas, agendi sollertia, frugalitas, aut magna ex parte evanuerant, aut in dies evanesce-

---

46) *Buhle* ad *Aristot.* opera Tom. I, p. 85. *Schaefer*, Demosthenes u. seine Zeit. III, 2, p. 39; cf. ibid. III, 1, p. 329 u. p. 359.

47) *C. Fr. Hermann* Lehrb. d. griech. Staatsalt. §. 170. — *Ejusd.* Culturgesch. d. Griech. u. Römer. Herausgeg. v. C. G. Schmidt, Gött. 1857. §. 35.

bant in earumque locum lassitudo et languor, socordia, inertia immigraverunt. Jucundissima quaeque res maxime accepta erat et utili praeponebatur. Veteres quisque laudabat, eorum virtutes non admodum imitari studens [48]. Religionum et rerum divinarum cura cessaverat [49]. Nam si qui, velut Thebani, bello sacro quod dicitur, rerum sacrarum acerrimi vindices exstiterunt earumque violatores bello persequi coeperunt, tamen id fecisse videntur magis ea de causa, quod suis ipsorum consiliis alios antevertisse senserant seque commodi sui exsequendi facultate privatos esse, videbant, quam quod ipsis rerum divinarum tutela curae esset [50]. Res militaris jacuit. Imperatores iique interdum peregrini [51], bella gerebant saepissime copiis conductitiis, quibus stipendium quod praebendum erat quia praedando, diripiendo, aliis operas collocando comparare cogebantur, non potuit fieri, quin plerumque suo magis arbitrio et militum quam populi voluntate agerent, nec raro ipsorum sociorum urbes diriperent. Quare et ducum auctoritas parva erat et militum disciplina pessima. Domi oratores alius alium criminantes multitudinem adulabantur ad ejusque libidines et gratiam dicebant. Suo quisque commodo magis quam omnium saluti providendum esse existimabat. Publica judicia ut auctoritate et consilio regeret, non erat vir prudens cui contingeret, paucissimis, ut de rerum praesentium statu recte existimarent, quumque qui maxime civium suorum animos ad studia laude digna incendere nitebantur, frustra plerumque niterentur, alii

---

48) *Demosth*. Olynth. III, §. 21.

49) *Kortüm* Geschichte Griechenlands. Vol. II, p. 168 et 172.

50) cf. *Schaefer* Demosth. u. s. Zeitalt. T. I, p. 448. 1. cfr. quem laudat *Boeckh*. d. Staatshaush. d. Athener, T. I, p. 779 sq. Not. (ed. 2da):

51) *C. Fr Hermann* Lehrb. d. gr. St. A. §. 153, 16.

id ne tentandum quidem esse censebant. Alii se reipublicae commodo vel maxime studere simulantes non tam libertatis propugnatores quam proditores esse malebant. Ita discordiae, avaritia, rerum suarum studium ubique, animi magnitudinis et liberalitatis fere nihil aut non multum. Ante omnia magis otiandi et deliberandi consuetudo quam agendi celeritas et constantia animos occupaverat, quasi vero in majorum gloria et laudibus tamquam hereditate acceptis homines sibi acquiescendum statuissent [52]). Ut autem antea homines per se ipsos natura duce ac vita magni et praeclari evaserant, sic tum doctrina et artes tamquam adjumenta adhibita vix quidquam efficere poterant. Scilicet virtus aegre doceri posse videtur [53]).

In his tamquam duarum aetatum confiniis Aristoteles constitutus, quasi divinans veteris Graecorum aetatis fabulam esse peractam, imminere novam, vidit esse prudentius et utilius, si quis, quae majores egregie fecissent, acute cogitavissent, prudenter constituissent, colligere vellet et posteritati tradere, quam si eorum mores et vitae instituta, magna jam ex parte debilitata et corrupta, reservare vel recreare conaretur. Itaque ipse, quidquid ubique veteres doctores scientiae vel artis expromserant, complectendum et in unum locum sibi conducendum esse ratus, ut quasi corpus quoddam scientiarum esset, quod posteritati traderetur, summum in hoc opere conficiendo studium ac laborem consumsit. Qua in re quomodo magna industria, doctrina, scientiae copia, acumine ingenii maximo versatus atque adjutus sit, non hujus quidem loci est dicere. Illud

52) Harum rerum quasi perpetui commentarii sunt orationes *Demosthenis* adversus *Philippum*, *Olynthiacae*, de *Chersoneso*, de *Corona*, aliae, de quibus verbo tantum lectores monuisse satis erit.

53) cfr. etiam *Plat. Menon.* p. 92, D sqq.

certe constat aliquot fuisse disciplinas, in quibus quia nihil a veteribus ad artis regulam elaboratum exstabat, multum ei laboris et temporis in eas insumendum fuisse, velut in dialecticam ipsam, quae quamquam a Socrate et Platone summo studio exercitata et exculta erat, tantum tamen aberat, ut ejus artis via aliqua vel ratio esset, ut plane illa Aristoteli quaerenda esset [54]. In quo negotio poterant eum adjuvare dialogi Platonis, quos magis credibile est duces ei artis construendae fuisse, quam ipsum eos imitari voluisse.

Quae cum ita sint, Aristotelem si omnino aliquos, certe paucos dialogos scripsisse admodum verisimile est, eosque si conjicere licet, scripsit adolescens, quum nondum, quid sibi agendum esset, satis perspexisset. Et revera inter ejus scripta pauca tantum commemorantur, in quibus per dialogum eum disseruisse credas. Sed quinam inter multos ejus libros, quorum inscriptiones a veteribus traduntur, ad istud dialogorum genus referendi sint, quum de ea re veterum testimonia pauca vel nulla exstent et multi ejus librorum temporis injuria interierint, vix umquam satis ad liquidum perduci poterit. Inter eos duos inprimis apud veteres memorari ait *Buhle* [55], *Νηρινθον* alterum inscriptum (sive *Κορίνθιον*), alterum *Eudemum*, in honorem Eudemi Cyprii compositum, de quibus eum consulas velim.

Referuntur Aristotelis dialogi ab ejus interpretibus inter ea scripta, quae vulgo *ἐξωτερικοὶ λόγοι* dici solent. Sed quinam illi ipsi *ἐξωτερικοὶ λόγοι* fuerint, quoniam

---

54) De *Sophistar. Elench.* c. 34, 8.

55) L. c. p. 121, annot. 1.

de hac re magis quam de alia ulla et veterum et recentiorum doctorum sententiae inter se discrepant[56]), ea de causa me operam non perditurum esse crediderim, si exposito breviter, quid jam veteres de ea re senserint, ipse eam denuo tractaturus sum, non quo me istam satis obscuram quaestionem plane absolvere et expedire posse putem, sed quod in diversis de ea re hominum doctorum sententiis nova aliqua eaque multo verisimilior et probabilior, credo, pronuntiari firmarique posse videtur.

Jam *Cicero*, qui primus inter veteres, quantum sciam, Aristotelis scripta commemorat, ita de iis tradit, ut duo eum Aristotelis scriptorum genera distinxisse appareat, unum ἐξωτερικόν, populariter, limatius alterum scriptum. »De summo autem bono«, inquit[57]), quia duo genera librorum sunt, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant, alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt, non semper idem dicere videntur; nec in summa tamen ipsa aut varietas est ulla apud hos quidem, quos nominavi (apud Aristotelem et Theophrastum) aut inter ipsos dissensio.« Alterius Ciceronis loci verba haec sunt[58]). »Itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor prooemiis, ut Aristoteles in iis, quos ἐξωτερικοὺς vocat, aliquid efficere, ut non sine causa istum appellarem.« Videtur ex his satis colligi posse, Ciceroni quosdam Aristotelis libros sub eo nomine cognitos fuisse. Nam quod *Krischius* monet[59]), Ciceronem vix aliud quid habuisse, quo istam suam Aristotelis scriptorum distributionem conformaret et fulciret praeter locos ipsos, in quibus

---

56) *Stahr*, Aristotelia, II, p. 235 sqq.
57) De *Finib.* V, 5, 12.
58) In epistol. ad Attic. IV, 16, 2.
59) In: *Götting. gelehrt. Anz.* Vol. II, 1834 p. 1896.

Aristoteles *ἐξωτερικοὺς λόγους* commemoravisset, ea sententia parum habet, quo commendetur, nec verisimilis esse videtur, quum ex sola alicujus libri commemoratione vix quisquam tam firme, quam fecit Cicero, pronuntiare potuerit. Ceterum, num recte Cicero dixerit, alia quaestio est.

Simili modo *Strabo*, ubi historiam Aristotelis et Theophrasti librorum tradit [60]), duo alterius scriptorum genera significat. Narrat enim proximos post Theophrastum Peripateticos, quod pauca tantum Aristotelis scripta eaque maximam partem *ἐξωτερικὰ* haberent, minus accurate apteque ad agendum philosophari et *θέσεις* tantum *ληκυθίζειν* potuisse. Qua ex re colligere licet, Strabonem minime ex *ἐξωτερικοῖς* Aristotelis scriptis, quae tota ejus philosophiae ratio et indoles sit, perspici posse existimasse et *ἐξωτερικὰ* a Strabone iis scriptis opposita esse, in quibus Aristoteles altiorem philosophiae cognitionem aperiret.

Plutarchus in libro adversus *Colotem* [61]) narrat, quod Aristoteles et in Ethicis et in Physicis et per exotericos dialogos Platonis sententiam de ideis omni modo impugnaverit, id visum esse nonnullis magis contentionis quam veritatis causa esse factum.

---

60) XIII, p. 609, D sq. *Συνέβη δὲ τοῖς ἐκ τῶν Περιπάτων τοῖς μὲν πάλαι τοῖς μετὰ Θεόφραστον, ὅλως οὐκ ἔχουσι τὰ βιβλία πλὴν ὀλίγων καὶ μάλιστα τῶν ἐξωτερικῶν, μηδὲν ἔχειν φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, ἀλλὰ θέσεις ληκυθίζειν· τοῖς δὲ ὕστερον ἀφ' οὗ τὰ βιβλία ταῦτα προῆλθεν, ἄμεινον μὲν ἐκείνων φιλοσοφεῖν καὶ ἀριστοτελίζειν κτλ.*

61) Tom. X. p. 586 sq. *Reisk. Τάς γε μὲν ἰδέας, περὶ ὧν ἐγκαλεῖ τῷ Πλάτωνι πανταχοῦ κινῶν ὁ Ἀριστοτέλης καὶ πᾶσαν ἐπάγων ἀπορίαν αὐταῖς ἐν τοῖς ἠθικοῖς ὑπομνήμασιν, ἐν τοῖς φυσικοῖς διὰ τῶν ἐξωτερικῶν διαλόγων, φιλονεικότερον ἐνίοις ἔδοξεν ἢ φιλοσοφώτερον ἔχεσθαι τῶν δογμάτων τούτων, ὡς προθέμενος τὴν Πλάτωνος ὑπερείπειν φιλοσοφίαν.* Cfr. etiam *Plut. vit. Alex.* c. 7.

Gellius quid interesse inter Aristotelis *ἐξωτερικὰ* et *ἀκροαματικὰ* putaverit, ex ejus verbis judicari poterit[62]). »Commentationum, inquit, suarum artiumque, quas discipulis tradebat Aristoteles philosophus, regis Alexandri magister, duas species habuisse dicitur. Alia erant, quae nominabat *ἐξωτερικά,* alia quae appellabat *ἀκροαματικά. Ἐξωτερικὰ* dicebantur, quae ad rhetoricas meditationes, facultatemque argutiarum civiliumque rerum notitiam conducebant. *Ἀκροαματικὰ* autem vocabantur, in quibus philosophia remotior subtiliorque agitabatur, quaeque ad naturae contemplationes disceptationesve dialecticas pertinebant. Huic disciplinae quam dixi *ἀκροαματικήν,* tempus exercendae dabat in Lyceo matutinum. Nec ad eam quemquam temere admittebat, nisi quorum ante ingenium et eruditionis elementa atque in discendo studium laboremque explorasset. Illas vero *ἐξωτερικὰς* eodem in loco vesperi faciebat, easque vulgo juvenibus sine delectu dabat atque eum *δειλινὸν περίπατον* appellabat, illum alterum supra *ἑωθινόν:* utroque enim tempore ambulans disserebat. Librosque suos earum rerum omnium commentarios seorsim divisit, ut alii *ἐξωτερικοὶ* dicerentur, partim *ἀκροαματικοί.«* Quum satis perspicue Gellius de hac re, quid senserit, exposuerit, non est quod diutius in eo explicando moremur. Quamquam ne sic quidem scimus, quae utriusque generis scripta agnoscenda sint.

Clemens Alexandrinus, qui eum morem fuisse dicit[63])

---

62) *Noct. Attic.* XX, 5.

63) *Strom.* V, p. 575, A. B. *Sylburg.* *Καὶ οἱ Ἐπικουρεῖοί φασί τινα καὶ παρ᾽ αὐτοῖς ἀπόρρητα εἶναι καὶ μὴ πᾶσιν ἐπιτρέπειν ἐντυγχάνειν τούτοις τοῖς γράμμασιν· ἀλλὰ καὶ οἱ Στωϊκοὶ λέγουσι Ζήνωνι τῷ πρώτῳ γεγράφθαι τινά, ἃ μὴ ῥᾳδίως ἐπιτρέπουσι τοῖς μαθηταῖς ἀναγιγνώσκειν μὴ οὐχὶ πεῖραν δεδωκόσι πρότερον εἰ γνησίως φιλο-*

post Pythagoram et Platonem Epicureis quoque et Stoicis, ut quaedam suorum scriptorum tamquam secreta apud se retinerent nec cuilibet eorum usum permitterent, Aristotelis quoque *ἐξωτερικὰ* eo referre videtur. Narrat enim a discipulis altera ejus scripta perhiberi *ἐσωτερικά*, altera communia et *ἐξωτερικά*.

Ne quid omittatur, quod huc spectet, etiam locum quendam *Luciani Samosatensis*, qui est in dialogo *βίων πρᾶσις*, velim conferas 64), ubi Mercurius, qui Aristotelem jocose venumdans ejus virtutes praedicans inducitur, alium eum dicit intus apparere, atque extrinsecus videatur, alludens sine dubio ad rumorem, qui de varietate ejus disciplinae et scriptorum increbruerat.

Similia fere sed mirum in modum rhetorice amplificata leguntur apud *Themistium* 65).

σοφοῖεν. Λέγουσι δὲ καὶ οἱ Ἀριστοτέλους τὰ μὲν ἐσωτερικὰ εἶναι τῶν συγγραμμάτων αὐτῶν, τὰ δὲ κοινά τε καὶ ἐξωτερικά.

64) Tom. I. p. 566. ed. Reitz. Verba sunt: Herm. *τὸν Περιπατητικόν σε, φημὶ, τὸν καλὸν, τὸν πλούσιον· ἄγε δὴ ὠνήσασθε τὸν συνετώτατον, τὸν πάντα ἐπιστάμενον.* Agor. *Ποῖος δέ τις ἐστιν;* Herm. *Μέτριος, ἐπιεικὴς, ἁρμόδιος τῷ βίῳ, τὸ δὲ μέγιστον, διπλοῦς.* Agor. *Πῶς λέγεις; Ἄλλος μὲν ὁ ἔκτοθεν φαινόμενος, ἄλλος δὲ ὁ ἔντοσθεν εἶναι δοκεῖ, ὥστε, ἢν πρίῃ αὐτὸν, μέμνησο τὸν μὲν ἐσωτερικὸν τὸν δὲ ἐξωτερικὸν καλεῖν.*

65) *Orat.* XXVI, p. 319, B. sqq. (ed. Harduin.) *Αὐτὸς δὲ δὴ ἐφ' ἅπασιν Ἀριστοτέλης ἆρα ἄπορός τε καὶ ἀμήχανος ἐφάνη τοῦ καινόν τι προςαυτουργῆσαι; καὶ οὐ πρῶτος μὲν διέταξε χωρὶς τοὺς λόγους κατὰ φῦλα ἑκάστους εἶναι ὅσα τε πρὸς ἕνα ἀγῶνα ὁρῶσι καὶ ὅσοι πρὸς ἐπιστήμην τῶν ὄντων καὶ ὅσοι πρὸς ἀρετὴν ἐξηγοῦνται· πρὶν γὰρ ἀναμὶξ ἅπαντα ἦν συμπεφυρμένα ὥσπερ ἡ Μήδων στρατιὰ πρὶν ἢ Κυαξάρην διατάξαι τὸν Δηϊόκεω. Ἴδιον δὲ Ἀριστοτέλους καὶ τὸ μὴ τοὺς αὐτοὺς οἰηθῆναι λόγους τοῖς δὲ πολλοῖς ὠφελίμους εἶναι καὶ τοῖς φιλοσόφοις, ὥσπερ οὐδὲ φάρμακα οὐδὲ σιτία τοῖς τε εἰς ἄκρον ὑγιαίνουσι καὶ τοῖς ἀκροσφαλῶς διακειμένοις. — Διὸ καὶ τοὺς μὲν θυραίους ὠνόμασε καὶ ἀνέτους ἐποιήσατο· τούς τε εἴσω τε ἀπέκλεισε καὶ μετεδίδου ὀλίγοις σὺν ἀσφαλείᾳ· τὰ κλεῖθρα δὲ τὰ ἀνα-*

Atque hi fere sunt scriptores, qui in libris suis aut ipsis verbis *ἐξωτερικῶν λόγων* mentionem faciunt aut eos significare voluerunt. Plura autem, quam hi omnes, veteres Aristotelis interpretes offerunt, *Ammonius Hermeae*, *Simplicius*, *Joannes Philoponus*, *David*, *alii* quos facile animadvertas eadem industria versatos esse in distribuendis Aristotelis scriptis, qua ipse scriptor omnes disciplinas et scientias ordinandas sibi illustrandasque susceperat. Qui etsi in universum inter se consentire videntur, in singulis tamen alios aliter statuisse apparet, quod certum est argumentum, hanc eorum distributionem ab ipsis magis vel ab alio nescio quo esse excogitatam, quam ab Aristotele profectam. Quorum interpretum ipsa verba quum longum sit hic adscribere, breviter de distributione, quam Aristotelis scriptorum instituerunt, videamus.

Ac primum quidem *Ammonius Hermeae* duplicem quandam divisionem proponere videtur. In altera ei posita sunt primum, quae ipse dicit *μερικά*, quae privatim ad unum aliquem scripta sint, velut Epistolae et quae alia rogatus ab Alexandro, Macedonum rege, Aristoteles confecerit, tum, quae dicit *τὰ καθόλου*, hoc est, quae ita scripta sint, ut in iis non singulae quaedam partes, sed omnes alicujus quaestionis loci per-

---

πεπαννύντα καὶ ἀποκλείοντα σαφήνειά ἐστι καὶ ἀσάφεια· αἷς ἐπιτέτραπται πρὸς τοὺς ἀκροωμένους ὡς ὥραις, ἀνοίγειν τε τὴν νεφέλην καὶ αὖ πάλιν ἐπιτιθέναι. Καὶ δῆτα αὐτῶν οἱ μὲν δημωφελεῖς καὶ πρὸς τὸ πλῆθος ἐσκευασμένοι, φωτός τε εἰσὶν ἀναπλέῳ καὶ διαγεῖς· καὶ τὸ ὠφέλιμον αὐτῶν οὐ παντάπασιν ἀτερπὲς καὶ ἀνήδονον, ἀλλ᾽ ἐπικέχυται Ἀφροδίτη καὶ Χάριτες ἐπανθοῦσι τοῦ ἐφολκὸν εἶναι. Τὸ δὲ αὖ μυστικόν τε καὶ ἐν ᾧ τὰ τέλεια ἱερά· τοῦτο δὲ ἐμηχανήσατο ὅπως καὶ ἔχοντες μὴ ἔχωσιν οἱ ἀμύητοι. Διὰ τοῦτ᾽ ἐν ποσὶν κυλινδούμενοι οὗτοι οἱ λόγοι πλείοσι πεφραγμένοι εἰσὶ περιβόλοις ἢ τὰ ἐν Ἐκβατάνοις βασίλεια. — O inanem verborum sonitum, qui plerumque eo major esse solet, quo minus de quaque re sciri potest.

tractentur, ut libri de Anima, libri de Generatione et Corruptione, Auscultationes physicae, denique, quae nominat τὰ μεταξύ, quae media sunt inter τὰ καθόλου et τὰ μερικά. In altera divisione scripta ὑπομνηματικὰ et συνταγματικὰ distinguit, quorum illa, ὑπομνηματικά, conjectaneorum et commentariorum instar ad memoriae subsidium quasi quasdam litterarum copias, unde facile si usu venisset, depromeret, breviter et incondite congesserit. Haec ὑπομνηματικὰ iterum dividit, ut quaedam eorum sint μονοειδῆ, hoc est, in quibus de una tantum re velut de Anima, de Coelo cet., alia ποικίλα, varia, in quibus de pluribus rebus quaesiverit. — His opponit συνταγματικά, quae dictionem quoque et elocutionem rei ipsi aptam et convenientem habeant et argumentorum bene dispositam distinctionem. Συνταγματικῶν altera esse διαλογικά, altera αὐτοπρόσωπα; illa esse, quae non ex sua persona conscripserit, sed in quibus Platonem secutus aliorum personas loquentes induxerit, quae quia in usum communem et multitudinis scripta dilucide et perspicue fuerint, rejectis difficilioribus ratiocinationibus, ἐξωτερικὰ quoque nominari. Αὐτοπρόσωπα esse, in quibus ex sua persona disserat; quae eadem vocari ἀκροαματικά, quod in iis veris et perfectis auditoribus disciplina tradatur. Maxime autem differre dicit διαλογικὰ ab αὐτοπροσώποις. Nam in αὐτοπροσώποις quatenus ad perfectos auditores in his disserat, quae sibi videantur quaeque sentiat, subtilissimis fulta argumentis exhiberi ita, ut vulgi captui accommodata non sint; secus esse in διαλογικοῖς, in quibus etiamsi, quae sibi videantur, proponat, non tamen ita, ut vulgi judicium capere nequeat[66]). Porro Ammonium sequi quum ad rem nostram non spectet, omittamus.

---

66) In *Categor* p. 6. B. ed. *Aldin* 1546.

Paullo aliter *Simplicius*, doctissimus Aristotelis interpres, scripta ejus dividit. Nam quum Ammonius Aristotelis scriptorum *τὰ μὲν ὑπομνηματικὰ* et *συνταγματικὰ* esse dicat, Simplicius tantum *τὰ καθόλου* in *ὑπομνηματικὰ* et *συνταγματικὰ* dividit, quumque Ammonius *διαλογικὰ* etiam *ἐξωτερικὰ* vocari tradat, Simplicius *ἱστορικὰ* et *διαλογικὰ* ad *ἐξωτερικὰ* refert. Quae Ammonii et Simplicii divisiones, quantum inter se differant quaeque inde nascantur diversitates, facile cognosci potest.

Simplicium maximam partem satis accurate sequuntur *Joannes Philoponus* et *David*, alii Aristotelis interpretes iique sane insignes [67]).

Ab horum judiciis differt, qui multo post vixit, *Eustratius* sive quis alius commentarios illos ad Ethica Nicomachea scripsit [68]), qui tradit esse *ἐξωτερικά*, quae ad unum aliquem, qui praeter communem auditionem aliquid quaereret aut desideraret, Aristoteles conscripserit. Alio loco docet *ἐξωτερικοὺς λόγους* esse sermones vulgi, ad quos philosophus provocaverit [69]).

Potest ex his perspici multum jam veteres de vera *ἐξωτερικῶν λόγων* natura quique qualesve essent, dubitavisse, vel potius in eadem qua nos ignorantia versatos esse. Non minus recentiorum de ea re sententiae inter se discrepant, inter quas, quum longum sit, omnes enarrare, digna est quae notetur sententia *N. Madvigii*, viri doctissimi, quam ab aliis acceptam defendit in

---

67) *Scholia in Aristotelem* collegit *Brandis*. p. 35. fol. 6 lin. 10 sq. et p. 24. fol. a lin. 18 sq.

68) Ad *Ethic. Nicom.* I, c. 13, 9. *Ἐκεῖνα μὲν ἀκροαματικὰ ὀνομαζόμενά ἐστιν, ἐπεὶ πρὸς τοὺς κοινῶς ἀκροωμένους γεγένηται· ταῦτα δὲ ἐξωτερικά, διότι τούτων ἕκαστόν πρός τινα ζητήσαντα γέγραπται ἔξω τῆς κοινῆς ἀκροάσεως.*

69) Ibid. VI, 4: *ἐξωτερικοὺς λόγους* explicat, *οὓς ἔξω τῆς λογικῆς παραδόσεως κοινῶς τὰ πλήθη φασί.*

excursu VII ad Ciceronis libros de Finibus[70]). Censet Madvigius Aristotelem nec generatim libros suos descripsisse, nec quosdam occultos habuisse, nisi quod nonnulli non celeriter confecti sint. Qui apud ipsum ἐξωτερικοὶ λόγοι commemorentur, eos non libros esse, sed communes hominum non rudium extra scholam sermones notionesque et τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν λόγοις contrarios poni; eorum mentionem Aristotelem facere aut testificandi causa, aut, ut eos in praesens sufficere et tenendos esse dicat, quum subtilius rem exquirere non vacet. Hanc interpretationem, in quam jam ante eum alii, primus *Zeidlerus*[71]), inciderant, e verbis quoque effici putat. *Krischii*[72]) sententiam et *Stahri*[73]) interpretationem rejicit, illius, quod usus loquendi adversetur, alterius, quod mira et multiplex sit. Totam autem Aristotelis librorum divisionem ortam esse putat ex falsa interpretatione appellationis (ἐξωτερικῶν λόγων). Quod quomodo probare conetur, apud ipsum velim videas, quum ejus τῶν ἐξωτερικῶν λόγων interpretatio nobis quidem non minus quam eorum, quos reprehendit, falsa esse videatur. Quamquam recte dicit Aristotelem nec generatim libros suos descripsisse, nec quosdam occultos habuisse. Etenim si Aristoteles passim ad ἐξωτερικοὺς λόγους provocat, quis, quaeso, contendat, ea re esse confectam ab ipso scriptore librorum suorum distributionem aliquam? Sed illud, quod ἐξωτερικοὺς λόγους censet fuisse communes hominum non rudium extra scholam sermones notionesque, jam ea de causa recte dubites num verum sit, quia omnino Aristoteles judiciis multitudinis non multum tribuere

70) p. 860 sq. Viri doctissimi auctoritas facit, ut multi adhuc ejus sententiae addicti sint. 71) De genuino veterum docendi modo p. 6. cf. *Buhle* ad *Arist.* op. I, p. 130 sq. 72) In: *Götting. gelehrt. Anz.* 2r Bd. 1834. p. 1893 sqq. 73) *Aristotelia*, II p. 267 sqq.

videtur[74]). Si autem nihil tribuit multitudinis judiciis, vix intellexeris, quomodo concedat quidquam hominum non rudium extra scholam communibus sermonibus aut notionibus, unde in judicando et sentiendo multitudo plerumque pendere solet, ut hodie, sic certe omnibus temporibus. Tum etiam ipsius sententiam ipse usus loquendi minime adjuvat, velut *ἐπέσκεπται*[75]). Scilicet non *ἐπέσκεπται* in communibus hominum non rudium sermonibus, sed tales homines extra scholam, si quid plurimum *σκέπτονται*, *disputant*, *deliberant*, *disceptant*, *quaerunt*, *speculantur*, *loquuntur*, non autem disputaverunt nec locuti sunt. Atque ne decet quidem philosophum minimeque Aristotelem aliorum niti auctoritate, nisi ante exploraverit, satisne vera sint, quae alter sentiat. Falsam omnino ejus esse interpretationem intelliges, ubi ipsam rem mecum accuratius examinaveris.

Quaeris igitur, quaenam sit ratio *τῶν ἐξωτερικῶν λόγων*? Hoc ex ipsis maxime cognoscendum esse arbitror, quum etiam nostris temporibus exstent Aristotelis *ἐξωτερικοὶ λόγοι*, partim in libris, quos eo nomine significat, de quibus infra suo loco dicendum erit, alii ejus scriptis intermixti, velut quaestio de temporis natura instituta *φυσικ. ἀκροασ.* IV, 10 sq., ubi quod mentio fit *ἐξωτερικῶν λόγων*, statim intellexeris non agi de libris vel scriptis quibusdam Aristotelis eo nomine notis, ad quae lectores relegentur, sed ibi aliquem *ἐξωτερικὸν λόγον* institui ipsum. At, dixeris, vult fortasse quaerere Aristoteles de temporis natura propter

---

74) Cfr. Eth. Eudem. I, 3, 2: *Ὁμοίως δὲ ταύταις οὐδὲ τὰς τῶν πολλῶν* (sc. *ἐπισκοπεῖν δεῖ*). *εἰκῇ γὰρ λέγουσι σχεδὸν περὶ ἁπάντων, κἂν μάλιστα περὶ + ἐπισκεπτέον μόνας· ἄτοπον γὰρ προςφέρειν λόγον τοῖς λόγου μηδὲν δεομένοις ἀλλὰ πάθους.* (Locus ut apparet mutilus est et corruptus). cf. Eth. Nicom. I, 5, 2 sq. 75) Eth. Eudem. I, 8, 5.

disceptationes de ea re hominum non ineruditorum vel etiam philosophorum, ut Platonis, qui de tempore agit in *Timaeo*[76]) ejusque sententiam corrigere? Minime vero. Obstat enim *διὰ* cum genitivo conjunctum, quod significat dubitationem per *ἐξωτερικοὺς λόγους* tamquam per medium quoddam ire et per eos perducendam esse. Accedit, quod, ubi alios notat, id plerumque fit nomine cujusque addito, ut paullo ante[77]), ubi Platonem *τὴν ὕλην καὶ τὴν χώραν* idem esse dicere ait. Nihil igitur restat, nisi ut nostro loco Aristotelem aliquem *ἐξωτερικὸν λόγον* inire dicamus. Quaerit autem tempus utrum earum rerum sit, quae sint, an earum, quae non sint; deinde, quae sit ejus natura. Censet suspicari quempiam posse ideo tempus non esse earum rerum, quae sint, quia pars ejus jam fuerit, nec sit, pars futura sit necdum sit. Ex his autem constare et tempus infinitum et quod semper sumatur. Quod vero constet ex iis, quae non sint, non posse videri earum rerum esse, quae sint. Ad haec accedere, ut cujusvis rei dividuae, si sit, necesse sit, quando sit, aut omnes ejus partes esse aut aliquas; temporis autem alias partes interiisse, alias futuras esse, praesentem esse nullam, quum tempus dividuum sit. *Nunc* autem vel, quod momento praesens sit, non esse partem temporis; metiri enim partem vel mensuram esse eam (totius) et necesse esse totum compositum sit ex partibus; tempus vero non videri compositum esse ex iis, quae momento praesentia sint. Porro ipsum *nunc* vel momentum praesens, quod videatur disterminare praeteritum et futurum, utrum unum atque idem semper permaneat, an sit aliud et aliud, non facile esse ad videndum. Nam si semper sit aliud et aliud, nulla autem sit earum, quae in tempore sint, alia et alia pars simul, nisi si qua

76) p. 37. D. sq. 77) *Ibid* *φυσικ. ἀκροασ.* IV. 2, 2.

contineat, et altera contineatur, ut minus tempus a majore, quod vero nunc non sit, antea autem fuerit, necesse sit interisse aliquando, etiam nunc praesentia simul secum non futura esse necesse esse, sed interisse semper quod prius fuerit. At in semet ipso, ut interierit, fieri non posse, quia tum fuerit [78]), in alio autem nunc, ut interierit quod prius fuerit nunc, non fieri posse. Scilicet sumatur fieri non posse, ut cohaereant inter se quoque tempore praesentia sicuti punctum puncto; si igitur in eo, quod fuerit deinceps, non interierit, sed in alio, in mediis nunc, quae infinita sint, simul esse, id quod fieri non possit. Nec vero fieri potest, inquit, ut semper idem permaneat, nullius enim rei dividuae terminatae unus est terminus, nec si ad unum est continua, nec si ad plura; praesens autem vel nunc est terminus et tempus licet sumere terminatum. Praeterea si simul esse tempore et neque prius neque posterius esse nihil aliud est, nisi in eodem esse et in praesenti nunc esse, certe si ea, quae sunt priora et quae posteriora, essent in hoc nunc praesenti, etiam ea, quae ante decem millia annorum facta sunt, simul essent cum iis, quae sunt facta hodie, nec esset quidquam prius aut posterius aliud alio.

Tali modo de iis, quae in ipso tempore sunt, per *ἐξωτερικὸν λόγον* disputavit. Per eundem disserit in iis, quae l. c. sequuntur, quid sit tempus et quae ejus natura; quae quum longiora sint, quam ut huc transscribi possint, apud ipsum velim videas.

78) Non sensisse videtur Aristoteles, se quodam modo repugnantia inter se locutum esse. Nam si nunc vel praesens momentum omnino nulla est temporis pars, ne interire quidem potest nec manere. Qui enim, quaesiveris, interire potest id, quod omnino ne est quidem? Si autem antea erat, quia non particeps erat nullius temporis, etsi vel minimum, aliquod tamen temporis spatium ei tribuendum esse videtur. Sed haec dubitando persequi nolumus.

Habes unum aliquem *ἐξωτερικὸν λόγον*, atque haud scio an eorum plures hic illic inter alias ejus disputationes abditi ac minus cogniti lateant [79]. Quod attinet ad eorum naturam, videntur esse quaestiones vel potius quaestiunculae, disceptatiunculae subtiliores, talia quae praemittuntur aliis quaestionibus spectantibus ad res, quae latius patent quaeque varias dubitationes habere possunt, ut si bene cognitum et perspectum habeas unum quidque et quid quaeque res sit quaeque ejus natura ac vis, ratione ac via de ea disputari possit.

At vero etiam continuo nexu inter se cohaerere *ἐξωτερικοὶ λόγοι* possunt et in unum locum esse conducti ita, ut ab alio quovis scripto nihil fere omnino differant. Tales esse videntur libri illi Aristotelis, qui vulgo feruntur *ἠθικὰ μεγάλα* vel *Magna Moralia* quod ne parum considerate dixisse videar, jam de iis accuratius videndum est.

Primo adspectu apparet hos libros idem argumentum cum Ethicis Nicomacheis habere commune, quod est de moribus vel potius de iis rebus, quae ad hominum societatem, hoc est, ad rerum civilium rationem pertinent [80]. Sed quamvis uterque tractatus spectet ad res politicas vel civiles vel etiam ad summum bonum constituendum [81], tamen esse, quo differant, haud difficulter intelligi poterit. Quamquam enim in utra-

---

79) *Wiener Jahrbb.* v. 1833, Jan. Febr. u. März p. 202. „Herr H. *Ritter* geräth (Gesch. d. Philos. III p. 22) vorerst auf die sonderbare Vermuthung, ob nicht etwa die exoterischen Untersuchungen des Aristoteles mitten in den esoterischen Schriften enthalten gewesen". *Creuzer.* Quae summi viri sententia quamquam a Creuzero improbatur, digna tamen est quae observetur, nec ab omni eam veritate aberrare nobis quidem persuasum est. 80) *Magn. Mor.* I, 1, 1—3; *Ethic. Nic.* I, 2, 5 et 9. 81) *Magn. Mor.* I, 1, 10 et saepius. *Ethic. Nic.* I, 2, 1 et saepius.

que disputatione sibi propositum habet scriptor quaerere qui sit finis bonorum, in quo consequendo omnium hominum studia inter se consentiant, talemque esse felicitatem vel beatitudinem reperit, ejusque effectricem virtutem, tamen in Ethicis Nicomacheis aliud quid consequi velle videtur. Non enim cognitionis vel scientiae causa ab eo instituta sunt, non ut videat, quid sit virtus, quaerere se ait, sed ut ipsi boni efficiamur et virtutem exerceamus, quod nisi fiat, nihil ejus utilitatis esse [82]). Quod plane secus est in altera disputatione, in qua quam accuratissime subtilissimeque naturam ipsam virtutis atque ejus indolem cognoscere ac definire studet [83]). Quare recte credideris alterius tractationis rationem ab altera diversam esse, et alteram magis ad institutionem vitae spectare dixeris, alteram magis ad cognoscendi vim rationemque referendam esse concesseris. Atque sic jure de iis existimari posse intelligi licet per totum Magnorum Moralium disserendi modum. Continent enim nihil aliud fere, nisi seriem quandam continuam disputationum vel definitionum inter se conjunctarum, quae a reperiendo summo bono eoque hominum profectae maxime virtutem virtutesque singulas quaeque ad ea pertinent, attingunt, quibus immixta sunt placita philosophorum [84]), sententiae poetarum [85]), opiniones, existimationes, ratiocinationes in vulgus notae ac probatae, talia, quae sive a prioribus instituta sive communi hominum sensu recepta ita erant pervulgata, ut non dubia esse viderentur et tamquam communium proverbiorum loco dici solerent [86]).

82) *Ethic. Nic.* II, 2, 1. 83) *Magn. Mor.* I, 4, 10—9, 6. 84) I, 1, 6 sq. 26. I. 9, 7; I, 20 (21) 4; I, 34, 10 sq. I, 35, 25; II, 6, 2; cf. II, 15, 6. 85) I, 20 (21) 8; II, 11, 2 sq. II, 11, 25 et 29. II, 15, 1. 86) I, 12, 3 sq. I, 13, 1 sq. I, 34, 2; ibid. §. 15; ibid. §. 30; II, 3, 9; II, 7, 3; ibid. §. 26; ibid. §. 30; II, 11. 2 et 3; ibid. §. 6; ibid. §. 18; II, 12, 1; II, 15, 3 sq.

Atque haud scio an in talibus rebus exagitandis et excutiendis totius disputationis finis sit positus. Haec igitur accuratius examinans et aliorum tamquam adversantium dicta adhibens[87]) et syllogistica arte in utramque partem concludens[88]) modo redarguit[89]), tum probat[90]), et saepe in longiores disceptationes excurrens[91]) animadvertit atque considerat, quid in quaque re maxime probabile et verum videatur[92]). Sic statim in initio, postquam de virtute vel potius de bono sibi quaerendum esse animadvertit, exquirit subtiliter, istud bonum quale sit, quod simulac sibi persuasit esse bonum non in universum, sed quod hominibus bonum sit, de quo dici oporteat, rursus patet in hoc distinguendum esse bonum quonam modo dicatur. Non enim simplex bonum esse, sed dici aut id, quod in quaque re optimum sit, quod propter suam ipsius naturam expetendum sit, aut cujus quae res participes sint, bonae appellentur, quae sit idea boni, cet. Ita de bono, quod hic quaerendum sit, nimium quantum in iis, quae sequuntur, multus est. Fortasse ratio ejus in his rebus disserendi optime perspici potest ex iis, quae I, c. 20 (alii 21) leguntur, ubi de fortitudine dicturus eamque circa fiduciam et metum versari arbitrans quaerit porro, circa cujusmodi metum et fiduciam versetur; num ignarus is sit, qui metuat, ne rem suam familiarem perdat, aut fortis is, qui in tali causa confidenti sit animo, necne. Minime vero. Eodem modo qui metuat morbum, eum ignavum vel timidum non esse existimandum nec fortem, qui non metuat. Non

---

87) I, 34, 28. 88) I, 1, 22 sq.: I, 34, 31 sq.; II, 6, 1 sqq. 89) I, 1, 6 sq.; ibid. §. 26. I, 9, 7 sq. I, 34, 13 sq. 90) I, 1, 8; I, 34, 10 sq. 91) I, 12 sq.; II, 6; II, 7; II, 11. 92) I, 20 (21), 10 et saepius.

igitur in talibus timoribus aut fiduciis dici posse censet esse fortitudinem. At ne in talibus quidem, velut si quis non metuat tonitrua aut fulmina aut aliud quidpiam rerum earum, quae hominibus terrorem injiciant, quas qui non metuat, non fortem eum esse sed furientem. In timoribus itaque et fiduciis, quae homines attingant, fortem cerni posse, in iisque maxime, quae aut omnes aut plerique metuant, in quibus qui animum non abjiciat, eum fortem esse. His jam definitis considerandum esse censet, quoniam multipliciter fortes dicantur, qualis sit fortis. Esse enim propter experientiam fortem aliquem, velut milites. Hos enim experientia doctos scire in tali aut loco aut tempore aut conditione minime esse periculi quidquam. Sed tali instructus scientia qui hostes sustineat, eum non fortem esse, quia, si nihil earum rerum adsit, non sustineat. Itaque quos experientia fortes reddiderit, eos fortes dicendos non esse. Neque Socratem recte fortitudinem scientiam dicere; scientiam enim ex consuetudine experientiam capientem scientiam effici; qui autem propter experientiam hostes sustineant, eos neque a nobis dici neque ab ullo dictum iri esse fortes. Non igitur fortitudinem scientiam esse. Rursus esse fortes aliquos ex eo, quod experientiae contrarium sit, hoc est, propter inscientiam vel imperitiam. Nam qui, quae impendeant, non praevideant, eos propter ignorantiam earum rerum, quae consecuturae sint, in metu non esse. Verum ne hos quidem fortes dicendos esse. Esse alios, qui fortes habeantur propter perturbationes, velut amantes et animi ardore quodam aut aestu incitatos. At ne hos quidem fortes dici debere, quoniam, si eorum perturbationes sublatae sint, fortes esse desinant. Fortem autem perpetuo fortem esse oportere nec vero propter perturbationem aliquam. Quare nec feras, ut sues, fortes quisquam dixerit, quia pro se dimicant,

quum icti dolorem senserint. Non vero oportere, qui sit fortis, eum ob perturbationem esse fortem. Rursus esse aliam fortitudinem, quae civilis existimetur, si qui pudore civium inducti pericula subeant et fortes esse videantur. Quemadmodum verbi causa Homerus[93]) Hectorem dicentem inducat:

Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει,

quae causa sit, quod sibi pugnandum esse credat. At ne hanc quidem dicendam fortitudinem esse, quia de hujusmodi fortitudine eadem, quae antea, dici possint. Neque enim quidquam efficere posse fortitudinem, quo sublato fortitudo ipsa sublata sit. Tolle enim pudorem, fortitudinem sustuleris. Porro et aliter fortes existimatos esse ob spem et bonarum rerum exspectationem. Ne hos quidem dici oportere fortes, quum tales et in talibus versantes fortes appellare ineptum videatur. Neminem igitur horum, quos dixerit, fortem appellandum esse. Qualis igitur natura constitutus et qui sit, quem vere fortem dicas, jam considerandum esse. Atque ut paucis, inquit, absolvam, qui nulla jam supra dicta causa permotus fortis est, sed qui, quod honestum esse judicaverit, id faciat, sive quis concedat, sive non concedat. Neque tamen prorsus sine perturbatione et impulsu fit fortitudo, sed hic impulsus a ratione oportet proficiscatur honesti causa. Qui igitur ratione ductus honesti causa ad pericula suscipienda promptus est metu vacans, hic fortis censendus est et in his fortitudo consistit. Metu vacans autem vel intrepidus dici non potest, quando ita acciderit forti, ut omnino non pertimescat. Qui enim ita est constitutus, ut nihil ei quidquam timoris incutiat, is fortis non est. Nimirum ita et lapis et reliqua inanima fortia essent.

---

93) Il. X, 100.

Sed oportet et attingat fortem metus et sustineat. Si enim metus expers sustinet, fortis non est. Praeterea etiam metu vacans vel intrepidus dici potest, ut jam supra distinximus, propter timores et pericula non omnia, sed propter ea, quae rem auferre possint. Metu vacans item nec in fortuito et quovis tempore, verum in quo et metus et pericula prope imminent. Nam si quis post decem annos futurum non metuit periculum, is nondum fortis est. Sunt enim, qui confidant propterea, quod longissime absunt a periculo, qui si essent proxime, morerentur metu. Talis igitur est fortitudo et vir fortis.

Per totum hoc caput Aristotelem disserentem de viro forti et de fortitudine attento animo audivimus et perspexisse nos arbitramur talibus disceptationibus non modo contineri disciplinam aliquam aut doctrinam, sed definitiones earum notionum, de quibus non inter omnes conveniebat et aliquo modo ambigi poterat, quae quum quasi antecedere debeant disciplinam quamque, quae in artis formulam redigenda est, velut hic scientia rerum civilium vel si mavis earum, quae ad mores pertinent, apte tales disputationes, quales hae sunt, ἐξωτερικοὶ λόγοι dici poterant, praesertim quum Aristoteles in his magis quam in ullis aliis quod sciam, popularis opinionis et notionum de quaque re multitudinis rationem duxerit. Nam ἠθικὰ μεγάλα eas vix dici posse jam inde apparet, quod totus hic locus ad mores spectans multo brevius et compressius absolutus est, quam quae dicuntur Ethica Nicomachea et Eudemia. Sunt sine dubio hae disputationes ab Aristotele confectae inter ethica opera primae [94]), quod vel eo probari possit, quod ideas quas dicunt, quas a Platone inductas esse constat, non tam vehementer in his libris op-

---

94) Post *Analytica* (cf. II, 6, 15) et *Categorias*.

pugnat, quam id postea ab eo factum esse scimus, a quibus etsi in summo bono constituendo non proficiscendum esse censet, tamen eas quodam modo retinet et tueri videtur[95].

Quid? quod hae disputationes speciem quandam dialogi prae se ferunt. Saepissime enim non solum ipse interrogat[96], quasi coram sit, qui respondeat, sed saepe etiam alios tamquam sermonis partes habentes per *inquit* et *inquiunt* introducit[97]. Et si dialogus non solum is dicitur, qui cum altero interrogando et respondendo instituitur, verum etiam dialogi simile quid esse videtur, si quis secum ipso tamquam cum altero confabulans voce non emissa interrogando et respondendo sermones versat[98], haud scio an hae disquisitiones magis, quam ulla alia, quae novimus Aristotelis scripta, dialogorum nomine referendae sint, quamquam dialogum in iis evanescentem et quasi animam efflantem videmus. Sunt fortasse hi libri illa *ἐξωτερικά*, quae Cicero aeque ac commentarios de summo bono esse sed populariter et minus limate scripta fuisse affirmat[99]. Sicut revera fere sunt. Nam in iis de summo bono agi jam statim ab initio cerni potest. Populariter autem et minus limate scripta, si quid video, ea de causa dicit, quia in summis rebus ut popularem de quaque re opinionem respexerit, sic etiam dicere sibi licere ad eam putaverit, modo nimis breviter, modo longius et fusius, interdum minus ordinatim. Quam breviter, quaeso, dicit de temperantia[100], de liberalitate[101], de amicitia[102], ut alias omittam; uberius exponit de fortitudine[103], de justitia[104], aliis.

---

95) I, 1, 12 et 21 sq. 96) I, 1, 12, 13, 16; I, 2, 8, 9, 10 et saepius. 97) II, 3, 15; II, 6, 8; II, 7, 10, 11; II, 11, 12. 98) cf. not. num. 4. 99) De Fin. V, 5, 12. 100) I, 22. 101) I, 24. 102) I, 32. 103) I, 20 (21). 104) I, 34.

Et quamquam omnino brevitati studere videtur, tamen quam saepe in libri primi capite primo, quum de bono et quidem nobis bono sibi loquendum esse reperisset, id ipsum repetit! et alia ejusmodi, velut non recte Socratem virtutes scientias facere [105]), quod quamquam in eadem causa demonstrare conatur, tamen minime iisdem rationibus. Et ubi de idea dicere coepit [106]), ea mox relicta ad aliud transit, quo absoluto post longiores demum ambages ad illam redit deque ea iterum exponit [107]). Verum etiam alibi est, quod notari possit, ut I, 23, 1, ubi eodem fere modo atque antea I, 9, 5 virtutes medietates quasdam affectuum esse censet. Quod ut verum esse probet, de medietate illa quae in eo consistat, ut ne quid nimis aut parum fiat, cuique ad recte agendum plurimum tribuit, eadem fere tractat, quae jam in iis, quae antecedunt, docuerat [108]), scilicet non oportere irasci supra modum, neque contra ita affectum esse, ut in nulla re umquam irascare, nam talem quoque hominem jure vituperari, quia nulla re moveri videatur.

Pari modo ordinem rerum explicandarum minus diligenter secutus est, ut in universum, sic de singulis quibusdam. Quum enim in libri primi capite extremo de virtutibus se et, quae sint et in quibus, quasque res attingant, egisse dicat, statim a secundi libri initio ad singulas quasdam virtutes considerandas redit, quas aequiore loco tractari oportebat. Tale aliquid animadverti licet etiam I, 35, 27, ubi dubitari posse dicit, utrum prudentia (*φρόνησις*) virtus sit necne, quum tamen jam ante §. 12 prudentiam (*φρόνησιν*) virtutem esse dixerit, et §. 17 quod probare studet, sapientiam inter virtutes esse numerandam, id ipsum ex eo patere

---

105) I, 1, 7 et ibid. 26. 106) I, 1, 11, et 12. 107) I, 1, 21 sq. 108) I, 7, 3.

censet, quod prudentiam (φρόνησιν), qua sapientia melior sit, virtutem dici aequum sit, quum tamen aliquanto post, ut indicavimus, prudentiam (φρόνησιν) virtutem esse evincere studeat [109]. Sed haec hactenus; habes in his libris Aristotelem ut ubique, acutissimum et in rerum notionibus aperiendis et definiendis diligentia praestantissimum illum quidem, sed in ipsis sententiis ordinandis et aptandis fere minus interdum curiosum et circumspicientem, quale aliquid plerumque iis, qui ad communes hominum existimationes disserunt, usu venire solet.

Reliquum est, ut videamus, de quibus rebus Aristoteles passim se ait in ἐξωτερικοῖς λόγοις exposuisse, eaene in his libris inveniantur: quas si in iis legi cognoverimus, qualis suo quaeque loco res descripta est, haud equidem sciam, quid obstet, quo minus nostros libros, hoc est, Magna Moralia ἐξωτερικοὺς λόγους esse jure existimemus. Atque revera inveniuntur nec admodum difficile est id ostendere. Itaque locos percenseamus, in quibus Aristoteles lectores de quaque re consulendi causa ad ἐξωτερικοὺς λόγους delegat.

Primus veniat locus *Ethicorum Nicom.* I, 13, ubi quum beatitudinem vim quandam animi virtutem sequentem dixisset eamque in animo positam esse significasset, eum qui ad rempublicam administrandam accessurus sit, quum homines bonos et legibus obedientes efficere velit, cognovisse etiam, quae ad animum pertineant, oportere censet eodem modo, quo qui oculos curare velit, opus sit ut habeat totius corporis naturam perspectam. *θεωρητέον δή*, pergit §. 8, *καὶ τῷ πολιτικῷ περὶ ψυχῆς· θεωρητέον δὲ τούτων χάριν, καὶ ἐφ' ὅσον ἱκανῶς ἔχει πρὸς τὰ ζητούμενα· τὸ γὰρ ἐπὶ πλεῖον ἐξακριβοῦν ἐργωδέστερον ἴσως ἐστὶ τῶν προκειμένων.*

109) I, 35.

Λέγεται δὲ περὶ αὐτῆς καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις ἀρκούντως ἔνια, καὶ χρηστέον αὐτοῖς· οἷον τὸ μὲν ἄλογον αὐτῆς εἶναι, τὸ δὲ λόγον ἔχον. Háec ita intellexeris: Qui rempublicam administraturus est, ei animi quoque natura ac vis cognoscenda est earum, quas dixi, rerum gratia et quatenus satis est ad ea, quae quaerit (*ὁ πολιτικός*); nam si accuratius ea perquirere conetur, fortasse majora suscipiat, quam quibus ad ea quae spectet, opus sit. Hoc est: Qui reipublicae administrandae munus susceperit, non dedita opera, ut dicunt, de animo cogitabit et philosophabitur, sed eum tantum in finem, ut quae habeat proposita, ea consequatur. — Quum igitur *πολιτικῷ* accuratiore animi cognitione non opus sit, remittit eum ad *ἐξωτερικοὺς λόγους*, in quibus quoniam nonnulla sufficienter disputata sint, iis utendum ei esse censet. Jam quae sequuntur, ut, unam animi partem expertem esse rationis, participem alteram, in quas duas partes animum in *ἐξωτερικοῖς λόγοις* dividi ait, ea leguntur *Magn. Mor.* I, 5, 1: *Ἔστι δ' ἡ ψυχή, ὡς φαμέν, εἰς δύο μέρη διῃρημένη, εἴς τε λόγον ἔχον καὶ ἄλογον.* cf. ib. I, 35, 3: *Διωρίσθη μὲν οὖν ὑπὲρ ψυχῆς ὡς τύπῳ καὶ πρότερον, ὅτι τὸ μὲν αὐτῆς ἐστὶ λόγον ἔχον, τὸ δ' ἄλογον μόριον τῆς ψυχῆς.* cfr. ib. II, 10, 2. — Erat autem haec animi in duas partes distributio, a Pythagora primo profecta, a Platone quoque recepta, cujus rei praeter *Ciceronem* [110]) *Plutarchus* [111]) quoque et *Plato* [112]) ipse testes sunt.

110) *Tusc. Disp.* IV, 5, 10: Quoniam quae Graeci *πάθη* vocant, nobis perturbationes appellari magis placet, quam morbos, in his explicandis veterem illam equidem *Pythagorae* primum, dein *Platonis* descriptionem sequar, qui animum in duas partes dividunt; *alteram rationis participem faciunt, alteram expertem.* cf. ib. II, 21, 47. 111) *Placit. philos.* IV, c. 4: *Πυθαγόρας, Πλάτων κατὰ μὲν ἀνωτάτω λόγον διμερῆ τὴν ψυχήν — τὸ μὲν γάρ ἐστι λογικόν, τὸ δὲ ἄλογον — κατὰ δὲ τὸ προσεχὲς καὶ ἀκριβὲς τριμερῆ· τὸ γὰρ ἄλογον διαιροῦσιν εἴς τε τὸ θυμικὸν καὶ τὸ ἐπιθυμητικόν.* 112) *Reip.* IV, p. 439 D: *Οὐ δὴ ἀλόγως, ἦν δ' ἐγώ, ἀξιώσομεν αὐτὰ διττά τε καὶ ἕτερα*

Ex hac quoque re cernere licet, Aristoteli, quum Magna Moralia, vel potius *ἐξωτερικοὺς λόγους* scriberet, nondum Platonis, magistri sui, placita admodum improbanda visa esse; quamquam hanc animi divisionem quam parvi postea duxerit, quum diligentius de ea re quaesivisset, cognoscas ex iis, quae de *Animatr* adit III, 9, 2, ex quo loco haec adscribere liceat: *Ἔχει δ' ἀπορίαν εὐθύς, πῶς τε δεῖ μόρια λέγειν τῆς ψυχῆς, καὶ πόσα· τρόπον γάρ τινα ἄπειρα φαίνεται καὶ οὐ μόνον ἅ τινες λέγουσι, διορίζοντες λογιστικὸν καὶ θυμικὸν καὶ ἐπιθυμητικόν, οἱ δὲ τὸ λόγον ἔχον καὶ τὸ ἄλογον· κατὰ γὰρ τὰς διαφορὰς δι' ἃς ταῦτα χωρίζουσι, καὶ ἄλλα φανεῖται μόρια μείζω διάστασιν ἔχοντα τούτων, περὶ ὧν καὶ νῦν εἴρηται, τό τε θρεπτικόν, ὃ καὶ τοῖς φυτοῖς ὑπάρχει καὶ πᾶσι τοῖς ζῴοις, καὶ τὸ αἰσθητικόν, ὃ οὔθ' ὡς ἄλογον, οὔθ' ὡς λόγον ἔχον θείη ἄν τις ῥᾳδίως. Ἔτι δὲ τὸ φανταστικόν, ὃ τῷ μὲν εἶναι πάντων ἕτερον, τίνι δὲ τούτων ταὐτὸν ἢ ἕτερον, ἔχει πολλὴν ἀπορίαν, εἴ τις θήσει κεχωρισμένα μόρια τῆς ψυχῆς κτλ.* Vides ex his Aristotelem istam animi divisionem ne agnoscere quidem et rejicere, quasi numquam eam probaverit, nec id omnino mirum est. Scilicet quo loco eam probavit, erat is *ἐξωτερικὸς λόγος* id est, ab aliis profectus, quem quidem fuit, quum admittere volebat.

Transeamus ad alios locos, qui sunt de *ἐξωτερικοῖς λόγοις*. In *Politicorum* libr. VII, 1 de optimo reipublicae statu dicere aggressus neminem de eo satis apte et rationi convenienter disputare posse existimat, qui non antea, quae sit vita maxime expetenda, perquisi-

---

ἀλλήλων εἶναι, τὸ μὲν ᾧ λογίζεται, λογιστικὸν προσαγορεύοντες τῆς ψυχῆς, τὸ δὲ ᾧ ἐρᾷ τε καὶ πεινῇ καὶ διψῇ καὶ περὶ τὰς ἄλλας ἐπιθυμίας ἐπτόηται, ἀλόγιστόν τε καὶ ἐπιθυμητικόν, πληρώσεών τινων καὶ ἡδονῶν ἑταῖρον. Cf. ib. p. 431 A.

verit. Nisi enim hoc bene cognitum sit, non, quae sit optima reipublicae ratio, perspici posse. Optime enim vivere consentaneum esse eos, qui pro sua quisque ratione optimo reipublicae statu utantur, nisi si quid praeter omnium opinionem accidat. Itaque primum oportere constet, quae sit vivendi ratio omnibus hominibus maxime optanda, deinde, utrum in civili hominum societate eadem sit quae separatim, an diversa. Jam pergit ib. §. 2: *Νομίσαντες οὖν ἱκανῶς πολλὰ λέγεσθαι καὶ τῶν ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις περὶ τῆς ἀρίστης ζωῆς καὶ νῦν χρηστέον αὐτοῖς. ὡς ἀληθῶς γὰρ πρός γε μίαν διαίρεσιν οὐδεὶς ἀμφισβητήσειεν ἄν, ὡς οὐ, τριῶν οὐσῶν μερίδων, τῶν τε ἐκτὸς καὶ τῶν ἐν τῷ σώματι καὶ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ, πάντα ταῦτα ὑπάρχειν τοῖς μακαρίοις δεῖ.* In quibus quod alteram enuntiationem ope particulae *γάρ* priori adjunxit, significavit, quid sit, quod ad *ἐξωτερικοὺς λόγους* provocaverit, et statim animadverteris esse bonorum in tres partes distributionem, de qua illic dixerit. Respicit autem Magna Moralia vel potius — quid enim nos prohibet jam iis suum nomen imponere — *ἐξωτερικοὺς λόγους* I, 3, 1. Verba sunt: *Μετὰ τοίνυν τοῦτο ἔχει τἀγαθὰ καὶ ἄλλην διαίρεσιν. Ἔστι γὰρ τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν ἐν ψυχῇ, οἷον αἱ ἀρεταί· τὰ δ'ἐν τῷ σώματι, οἷον ὑγίεια, κάλλος· τὰ δ'ἐκτός, πλοῦτος, ἀρχή, τιμὴ ἢ εἴ τι ἄλλο τῶν τοιούτων. Τούτων δὲ τὰ ἐν ψυχῇ βέλτιστα. Τὰ δ' ἐν ψυχῇ διώρισται ἀγαθὰ εἰς τρία, εἰς φρόνησιν, εἰς ἀρετὴν καὶ ἡδονήν.* In quibus quum plane eodem modo bona in tres partes distribuat, quorum alia sint in animo, ut virtutes, alia in corpore, ut bona valetudo, pulchritudo, alia externa, divitiae, dominatio, honor, ea quae in animo sint, optima esse arbitratur. Deinde, quod breviter concludendo sibi reperisse videtur, istud bonum, cujus omnes homines maxime appetentes sint, nihil esse aliud quam beatitudinem vel felicitatem, hanc

autem in eo positam esse, ut secundum virtutem vivatur [115]), id ipsum, ut persuadeat, etiam nostro loco summo eum studio niti videmus. Politicorum enim totum caput primum in eo versatur, ut quod illo altero loco concluserit, animi bona esse reliquis praeferenda, hoc altero loco probabile faciat, beatitudinem et felicitatem non tam in externis bonis esse quaerendam, quam ab ipsa virtute repetendam. Quae quum satis clara esse videantur, non est, quod in his immoremur, sed statim illum locum adjungere liceat, qui cum eo, quem modo tractavimus, eandem rationem habere videtur. Dicit in *Ethic. Eudem.* II, 1, 1: *Πάντα δὴ τἀγαθὰ ἢ ἐκτὸς ἢ ἐν ψυχῇ καὶ τούτων αἱρετώτατα τὰ ἐν τῇ ψυχῇ. καθάπερ διαιρούμεθα καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις· φρόνησις γὰρ καὶ ἀρετὴ καὶ ἡδονὴ ἐν ψυχῇ.* In his quod duo tantum genera bonorum nosse videtur, id nos prohibere non debet, quo minus hunc locum respicere credamus ad Magn. Moral. eundem I, 3, 1, de quo modo mentionem fecimus. Quum enim animi bona potiora habeat, quasi sponte reliqua in unum genus coalescunt. Nominatim autem nostro loco prudentiam, virtutem, voluptatem in animo esse dicit, quasi in memoriam revocans lectoribus in *ἐξωτερικοῖς λόγοις* eandem se animi bonorum divisionem instituisse.

Etsi his jam satis nostram sententiam munitam esse arbitramur, tamen reliquos locos praetermittere nolumus, quorum sunt, qui vix quidquam in ea re dubitationis remanere sinant. Legitur in *Ethicorum Nicomachcorum* libr. VI, 4: *Τοῦ δ' ἐνδεχομένου ἄλλως ἔχειν ἔστι τι καὶ ποιητὸν καὶ πρακτόν, ἕτερον δ' ἐστὶ ποίησις καὶ πρᾶξις. Πιστεύομεν δὲ περὶ αὐτῶν καὶ τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις. Ὥστε καὶ ἡ μετὰ λόγου ἕξις πρακτικὴ ἕτερόν ἐστι τῆς μετὰ λόγου ποιητικῆς ἕξεως. Διὸ οὐδὲ περιέχονται ὑπ' ἀλλήλων· οὔτε γὰρ ἡ πρᾶξις ποίησις οὔτε ἡ ποίησις πρᾶξίς ἐστιν.* Quum in *Ethic. Eudem.*

libr. V, c. 4 eadem plane verba repetantur, non opus est ea adscribere, sed data sufficiant.

De his priusquam dicamus, libet apponere ea, quae de eadem re in *Ethic. Magn.*, id est, in *ἐξωτερικοῖς λόγοις* I, 35, 8 sq. docentur. Sunt haec: *Ἡ μὲν οὖν ἐπιστήμη ἐστὶ περὶ ἐπιστητόν, καὶ τοῦτο μετ' ἀποδείξεως καὶ λόγου διατεινόμενον· ἡ δὲ φρόνησις περὶ τὰ πρακτικά, ἐν οἷς αἵρεσις καὶ φυγὴ καὶ ἐφ' ἡμῖν ἐστὶ πρᾶξαι καὶ μὴ πρᾶξαι. Ἔστι δὲ τῶν ποιουμένων καὶ πραττομένων οὐ ταὐτὸ τὸ ποιητικὸν καὶ πρακτικόν· τῶν μὲν γὰρ ποιητικῶν ἐστί τι παρὰ τὴν ποίησιν ἄλλο τέλος, οἷον παρὰ τὴν οἰκοδομικήν, ἐπειδή ἐστι ποιητικὴ οἰκίας, οἰκία αὐτῆς τὸ τέλος παρὰ τὴν ποίησιν. Ὁμοίως ἐπὶ τεκτονικῆς καὶ τῶν ἄλλων τῶν ποιητικῶν. Ἐπὶ δὲ τῶν πρακτικῶν οὐκ ἔστιν ἄλλο οὐθὲν τέλος παρ' αὐτὴν τὴν πρᾶξιν, οἷον παρὰ τὸ κιθαρίζειν οὐκ ἔστιν ἄλλο τέλος οὐθέν, ἀλλ' αὐτὸ τοῦτο τέλος, ἡ ἐνέργεια καὶ ἡ πρᾶξις. Περὶ μὲν οὖν τὴν πρᾶξιν καὶ τὰ πρακτικὰ ἡ φρόνησις, περὶ δὲ τὴν ποίησιν καὶ τὰ ποιητὰ ἡ τέχνη· ἐν γὰρ τοῖς ποιητοῖς μᾶλλον ἢ ἐν τοῖς πρακτοῖς ἐστὶ τὸ τεχνάζειν* [114]. — Censet eorum quae agantur et quae efficiantur, non eandem esse vim et rationem. Nam eorum, quae efficiantur, esse praeter effectionem finem quendam propositum, ut aedificationi, cujus vis sit aedificandi, praeter ipsam actionem propositum sit, quod efficiat, aedificium; in actione nihil nisi actionem ipsam spectari nec praeter eam quidquam quaeri aliud. Qua distinctione quum satis appareat, quae intercedat inter *ποίησιν καὶ πρᾶξιν* differentia, vix credo quemquam esse, nisi qui de quaque re nimis est ad dubitandum proclivis, qui eam isto loco inter *ποίησιν* et *πρᾶξιν* constitutam differentiam Aristotelem respicere neget. Ceterum ne haec quidem inter *ποίησιν καὶ πρᾶξιν* distinctio initio ab Aristotele ipso auctore pro-

114) Eadem fere II, 12, 3.

fecta est. Et *Plato* quidem in *Symposio* [115]) significationem ac vim *ποιήσεως* tamquam notissimam sumit. In memoriam enim ibi Diotima revocat, quae cujusque rei, ut oriatur, quum antea non fuerit, causa sit, esse *ποίησιν*; itaque etiam, quae cujuslibet artis opera sint, et singulis artibus subjecta opificia *ποιήσεις* esse et ea qui efficiant, esse *ποιητάς* [116]). Eodem fere modo in *Sophista* vim *τοῦ ποιεῖν* definit [117]). Et omnino linguae usum observanti hoc inter duas illas voces discrimen esse apparebit, ut *ποιεῖν, ποίησις, ποιητικός,* cet. ibi usurpetur, ubi res aliqua effecta et tamquam in lucem enata vel efficienda et procreanda sit, contra ea *πράττειν* et *πρᾶξις* et *πρακτικὸς* et quae sunt reliqua, nihil nisi ipsam actionem, quatenus actio sit, neglecta quaque re alia, quae inde oriatur, denotet [118]). Quocirca etiam *εὖ ποιεῖν* differt ab *εὖ πράττειν*· alterum enim significat esse rem, quae agatur, quasi extra agentem ab eoque aliquo modo disjunctam: aliquid bene facere, id est, ut bonum rectumve sit vel fiat [119]); alterum, *εὖ πράττειν*, actionem ita designat, ut quasi effectus in subjecto inclusus lateat et minus

---

115) p. 205. B. 116) Loci citati verba sunt haec: *Οἶσθ' ὅτι ποίησίς ἐστί τι πολύ. ἡ γάρ τοι ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ ὂν ἰόντι ὁτῳοῦν αἰτία πᾶσά ἐστι ποίησις, ὥστε καὶ αἱ ὑπὸ πάσαις ταῖς τέχναις ἐργασίαι ποιήσεις εἰσὶ καὶ οἱ τούτων δημιουργοὶ πάντες ποιηταί.* 117) *Sophist.* p. 219, B. *Πᾶν ὅπερ ἂν μὴ πρότερόν τις ὂν ὕστερον εἰς οὐσίαν ἄγῃ, τὸν μὲν ἄγοντα ποιεῖν, τὸ δὲ ἀγόμενον ποιεῖσθαί πού φαμεν.* cfr. ib. p. 265, B: *Ποιητικήν, εἴπερ μεμνήμεθα τὰ κατ' ἀρχὰς λεχθέντα, πᾶσαν ἔφαμεν εἶναι δύναμιν, ἥτις ἂν αἰτία γίγνεται τοῖς μὴ πρότερον οὖσιν ὕστερον γίγνεσθαι.* 118) *Plat. Sophist.* p. 266, C: *θείας ἔργα ποιήσεως*, opera a deo effecta. ibid. *Τί δὲ τὴν ἡμετέραν τέχνην: ἆρ' οὐκ αὐτὴν μὲν οἰκίαν οἰκοδομικῇ φήσομεν ποιεῖν;* — De *πράξεως* vi cfr. *Plat. Gorg.* p. 450, B: *τῆς ῥητορικῆς πᾶσα ἡ πρᾶξις καὶ ἡ κύρωσις διὰ λόγων ἐστί.* 119) *Plat. Phaed.* p. 60 C: *εὖ γε ἐποίησας ἀναμνήσας με* id est: bonam, ut ita dicam, admonitionem in me fecisti.

quae inde res proveniat, quam ipsius subjecti habitus, qui inde oriatur, et affectus respiciantur [120]). Neque vero dubium esse potest, quin haec inter *ποιεῖν* et *πράττειν* differentia a primis jam linguae investigatoribus, quales erant inprimis sophistae, cognita et definita fuerit, ut in hac re Aristotelem philosophantem communi linguae usu ductum esse verisimile sit.

Sed redeamus ad *ἐξωτερικοὺς λόγους*. In *Ethic. Eudem.* libr. I, 8, 1—5 loqui videtur de idea, sed si diligentius rem inspexeris et totius loci sententiam perpenderis, non poteris, quin iterum de summo bono eo loco agi concedas eodem fere modo, quo disceptat bonum in *ἐξωτερικοῖς λόγοις* vel *Ethicis Magnis* I, 1, 11 sq. et, quemadmodum priore loco ideam boni non esse significat, qua summum bonum ad vitam pertinens contineatur, quippe quae, ut reliquae ideae, a rebus separata sit [121]), sic altero loco eadem fere de idea disputantem eamque rejicientem videmus, quod ad constituendum bonum, de quo agatur, id est, quod hominibus bonum sit, adhiberi non possit. Quod ut appareat, adscripsi Ethicorum Magnorum I, 1, 11 sq. haec: *Ὑπὲρ τοῦ πολιτικοῦ ἄρα ἀγαθοῦ ἡμῖν λεκτέον. Πάλιν δὲ καὶ τοῦτο διελεῖν δεῖ· ὑπὲρ ἀγαθοῦ τοῦ πῶς λεγομένου; οὐ γάρ ἐστιν ἁπλοῦν. Λέγεται γὰρ ἀγαθὸν ἢ τὸ ἄριστον ἐν ἑκάστῳ τῶν ὄντων, τοῦτο δ᾽ ἐστὶ τὸ διὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν αἱρετόν, ἢ οὗ τἄλλα μετασχόντα ἀγαθά ἐστιν, τοῦτο δ᾽ ἐστὶν ἡ ἰδέα τἀγαθοῦ. Πότερον οὖν ὑπὲρ τῆς ἰδέας τἀγαθοῦ δεῖ, ἢ οὔ, ἀλλ᾽ ὡς τὸ κοινὸν ἐν ἅπασιν ὑπάρχον ἀγαθόν; ἕτερον γὰρ τῆς ἰδέας τοῦτο δόξειεν ἂν εἶναι· ἡ μὲν γὰρ ἰδέα χωριστὸν καὶ αὐτὸ καθ᾽ αὑτό, τὸ δὲ κοινὸν ἐν ἅπασιν ὑπάρχει. Οὐκ ἔστι δὲ*

---

120) *Plat. Alcib. prior* p. 116, B: *ὅστις καλῶς πράττει, οὐχὶ καὶ εὖ πράττει;* 121) Cf. etiam *Ethic. Eud.* I, 8, 11: *ὥστ᾽ οὐδὲ δὴ τὸ κοινὸν ἀγαθὸν ταὐτὸ τῇ ἰδέᾳ· πᾶσι γὰρ ὑπάρχει κοινόν.*

ταὐτὸν τῷ χωριστῷ· οὐ γὰρ ἄν ποτε τὸ χωριστὸν καὶ τὸ πεφυκὸς αὐτὸ καθ᾽ αὑτὸ εἶναι ἐν πᾶσιν ὑπάρχοι· et §. 21: *Ἴσως δὲ οὐδὲ δεῖ βουλόμενόν τι δεικνύναι τοῖς μὴ φανεροῖς παραδείγμασι χρῆσθαι, ἀλλ᾽ ὑπὲρ τῶν ἀφανῶν τοῖς φανεροῖς καὶ ὑπὲρ τῶν νοητῶν τοῖς αἰσθητοῖς· ταῦτα γὰρ φανερώτερα. Ὅταν οὖν ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ τις ἐγχειρῇ λέγειν, οὐ λεκτέον ἐστὶν ὑπὲρ τῆς ἰδέας. Κτλ·*

Itaque quod pergit *Ethic. Eud.* I, 8, 5: *ἐπέσκεπται δὲ πολλοῖς περὶ αὐτοῦ* (sc. *τοῦ ἀγαθοῦ* vel *ἀρίστου*) *τρόποις καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις* nihil nisi verum dixit, quoniam in discernendo hominum summo bono fere nimius ibi est. Itaque hic quoque dubitari vix potest, quin ad istum, quem modo vidimus, Ethicorum Magnorum locum provocaverit. Quod autem altero loco [122]) Platonis sententiam de ideis jam multo magis labefactare studuit, ejus rei ea causa esse videtur, quod, quo magis in cogitando progressus erat, eo magis illas improbandas esse se perspexisse credebat, ut omnino, quae sibi quisque semel falsa esse persuasit, ea quacunque data occasione carpere atque impugnare solet. Quod fecit etiam in *Metaphysicorum* libro XII, c. 4 sq. Sed priusquam ibi de ideis disputat, iterum *ἐξωτερικῶν λόγων* mentio facta est (ib. c. 1, 2) his verbis: *ἔπειτα μετὰ ταῦτα χωρὶς περὶ τῶν ἰδεῶν ἁπλῶς καὶ ὅσον νόμου χάριν· τεθρύληται γὰρ τὰ πολλὰ καὶ ὑπὸ τῶν ἐξωτερικῶν λόγων.* Sed quum de hac re in iis, quae sequuntur [123]), uberius et fusius disputaturus sit, conjicere e vestigio possumus, quae

---

122) *Ethic. Eudem.* I, 8.

123) Non tacendum est, dixisse eum quidem de idea in aliis quoque Metaphysicorum libris velut I, c. 6; I, c. 9. et saepius. Sed quum tota Metaphysica parvum vel potius nullum fere inter se habeant continuum rerum tractatarum nexum et magis singularum inter se minus cohaerentium quam perpetuae disputationis speciem praebeant, jure mihi visus sum dixisse, Aristotelem in sequentibus demum de ideis quaesiturum esse.

ab ἐξωτερικοῖς λόγοις pervulgata esse ait, ea multo breviora et arctioribus finibus conclusa fuisse, ita, ut non nisi, quae maxime manifesta essent, proderet. Nam sicut verba οἱ πολλοὶ significant multitudinem, vulgus, plebem, sive etiam homines de plebe, homines vulgaris notae et generis, quum hi quoque prae se ferant mores universae multitudinis, sic haud scio an hic quoque τὰ πολλὰ τεθρύληται significent summam tantum rerum divulgatam, tritissima quaeque, usitatissima et maxime consueta enuntiata esse. Neque enim, quae sunt exquisitioris doctrinae, ea ut divulgentur, multitudinis captui accommodata sunt. Ante omnia igitur cave putes in ἐξωτερικοῖς λόγοις aliorum doctrinam de ideis, inprimis Platonis, jam in omnes partes perpensam esse aut confutatam etiam. Nec vult dicere eam esse levem ac nullius momenti, aut satis jam refutatam, sed maximam partem per ἐξωτερικοὺς λόγους in vulgum elatam esse. Quare ne hic quidem dubitamus, quin significata sint eadem, quae in Magn. Moral. I, c. 1 de idea disputata sunt, de quibus modo diximus. Quae si cui opinione breviora esse videntur, reputandum est fieri potuisse, ut Aristoteles memoriter citaret, nec satis jam teneret, uberius et latius de ea re, an brevius et angustius dixerit; reputandum etiam est, quum ceteri loci conveniant, hunc unum vix excipiendum esse. Nam, qui locus restat ad considerandum in *Politicorum* libro III, 4, 4: Ἀλλὰ μὴν καὶ τῆς ἀρχῆς τοὺς λεγομένους τρόπους ῥᾴδιον διελεῖν· καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις διοριζόμεθα περὶ αὐτῶν πολλάκις· κτλ., ubi de variis imperii modis in ἐξωτερικοῖς λόγοις saepe distingui affirmat, quamquam frustra quaesiveris, quonam in Ethicis Magnis referendus sit, tantum tamen abest, ut dubitationem ullam movere possit, ut ad explicandum nihil facilius esse videatur. Nimirum nihil sunt nisi fragmentum, qualia hodie exstant, Ethica Magna; ex-

trema eorum pars et alia desiderantur et interierunt, quod non difficile est intellectu. Postquam enim in libro II c. 17 eo pervenit, ut quaerendum sit, quomodo utendum sit amico et quaedam in eam quaestionem quasi praefatus, velut de quibus amicis et quali amicitia jam quaerendum sit, dum et ipse in eo est, ut disserat, et nos ut audiamus, subito opus abrumpitur. Reliqua quis est, qui non modo non dubitet, verum etiam non doleat interiisse? Quae quoniam interierunt, interierunt una cum iis illi ipsi loci, quos velut in ἐξωτερικοῖς λόγοις commemoratos nos quaerentes frustra quaerimus. At, dixeris, quî scire potes Aristotelem de variis imperii modis in Magnis Moralibus disputasse? Sane equidem nescio, verum conjecturam facio de satis gravibus argumentis. Quamquam enim de moribus agere statim ab initio dicit sibi propositum esse, tamen passim prodit non minus esse πολιτικήν, quo omnes illae disputationes referendae sint. Quae quum ita sint, non intelligo, quomodo non dico non potuerit, sed non debuerit persequi ea quoque, quae, ut varia dominatus genera, in rebus civilibus haud infimo loco habenda sunt. Videntur autem hujus tractatus quae interierunt, eandem rationem habuisse ad eam partem, quae adhuc ejus exstat, quam habent Politica ad Ethica Nicomachea, quibus subjuncta esse illa jure existimari possunt. Neque enim rectus est ordo is, ex quo hi Ethicorum Magnorum libri deinceps post Ethica Nicomachea tanquam suo loco hodie in editionibus collocari solent, sed antecessisse iis putandi sunt, et quod opus Aristoteles in extremis Ethicis Nicomacheis de omni reipublicae forma se suscepturum esse affirmat, nihil potest esse aliud, nisi illi octo libri Politicorum adhuc superstites, quaeque alia cum iis cohaerebant. Minime autem mihi convenit cum *Ramsauero*, viro doctissimo, qui quamquam egregie nuper

quaedam disputavit de Magnis Moralibus [124]), in hac tamen re minus recte judicavit. Neque enim sunt, quae est sententia Ramsaueri, Magna Moralia secundum Aristotelis placita ex Ethicis Nicomacheis et Eudemiis paullo liberius confecta, sed iis priora sunt et peculiari disserendi forma descriptionem quandam habent earum rerum, quas mox Aristoteles copiosius disputando persequens multa multis locis mutavit, convertit, correxit, retractavit et refecit ita, ut admodum inter se dissimilia ista opera esse videantur, quod quia nescio qua temere concepta opinione motus Ramsauerus videre quasi noluit, in errores se delabi passus est. Qui enim fieri potuisset, ut, qui tali erat instructus artis syllogisticae usu, qualem vir doctissimus scriptori Magnorum Moralium concedere non dubitat, is tamen multa deformaret, detorqueret, obscuraret, corrumperet, modo in breve cogeret, tum dilataret, novaret, si ei praesto fuissent tamquam norma quaedam, qua disputationem suam dirigeret, Ethica Nicomachea et Eudemia? Quae omnia, nostram sententiam si sequi volueris, satis facilem explicationem invenire poterunt. Sed redeat oratio, unde degressa est. Quemadmodum igitur Aristoteles disserit in Politicis de variis imperandi generibus, eodem modo credibile est eum disputasse de rebus iisdem in Ethicis Magnis, et satis probabili conjectura

---

124) In dissertatione programmatis gymnasii Oldenburgensis, quae inscribitur: *Zur Charakteristik der aristotelischen Magna Moralia.* Oldenburgi, 1858. Quam dissertationem valde doleo tum demum in manus meas venisse, quum nostra maxima ex parte paene confecta erat. Sed tantum abest, ut ullam causam repererim sententiam meam mutandi, ut eam Ramsaueri disputatione magis etiam adjuvari confirmarique credam. Adeo enim multa indagavit vir doctissimus Magnorum Moralium propria et a consueta Aristotelis disserendi ratione diversa, ut sane mirere, quomodo non animadverterit, aliud in Magnis Moralibus philosopho disputandi consilium propositum fuisse.

assequi possumus, hunc quoque locum de variis dominandi modis [125]), de quo quaeritur, in Ethicis Magnis explicatum fuisse.

Jam igitur, si qui loci in aliquo libro inesse dicuntur, iidem si in aliquo revera apparent et leguntur, aut omnes aut certe plerique, num id temere aut fortuito cecidisse credamus, an ita statuamas, illum librum, in quo sunt, esse eundem ipsum, quem scriptor significaverit? Quod alterum si verius est, haud equidem viderim, quid nos vetet pro certo affirmare, Ethica illa Magna quae feruntur, esse nihil aliud, quam Aristotelis *ἐξωτερικοὺς λόγους* vel potius eorum fragmentum aliquod. Et sic de iis judicantes non libet jam amplius in eos inquirere et missos faciamus, si hoc unum adjunxero, quod facile ex iis, quae disputavimus, sequi concesseris, Aristotelis Magnis Moralibus vel potius *ἐξωτερικοῖς λόγοις* non multum ad cognoscendam ejus philosophiae rationem tribuendum esse. Quis enim prima editione, ut in hac re ita dicam, uti velit, secunda vel tertia si prostat venalis multis rebus auctior et correctior?

Restat, ut videamus de Aristotelis dialogis, utrum in iis ex sua ipse persona disseruerit, an sermonis expers Platonem imitans alios colloquentes induxerit; quae res quia alicujus est momenti ad recte existimandum de Ciceronis dialogis, age jam de ea videamus.

Quod quidem ad hanc quaestionem attinet, veteres Aristotelis interpretes quid de ea re senserint, satis declarasse videntur. Nam uno fere ore ejus *αὐτοπρόσωπα διαλογικοῖς* ex adverso ponunt [126]), et *Ammonius Hermeae*, ubi *τὰ συνταγματικὰ* in duas partes dividit,

---

125) *Politic.* III, 4, 4. 126) *Simplicius* in *Categ.* p. 1. B. (ed. Basil.); *David* in *Categ.* p. 24, A, 18 sqq. (Brandis). *Philoponus* in *Categ.* p. 35, B, 10 sqq. (Brandis).

quarum altera contineat *τὰ αὐτοπρόσωπα*, altera *διαλογικά*, de dialogicis ipsis verbis addit, Aristotelem ea non ex sua persona scripsisse, sed ut Platonem, aliorum personas colloquentes finxisse [127]). Accedunt alia atque haud scio an graviora etiam argumenta. Dicaearchus enim, Aristo Ceus, alii, qui ex Aristotelis schola profecti sunt quique vix dubitare licet, quin magistri exempla secuti sint, in dialogis suis fabulosos homines colloquentes induxerunt [128]), inter quos ipsis quidem partes sermonis esse non poterant. Certe, si ex his conjicere licet, Aristoteles quoque, quos scripsit dialogos, in iis partes colloquii a se removisse putandus est, id quod statuunt hodie inter viros doctos ii, qui in hanc rem quam diligentissime inquirere conati sunt, ut *Krischius* [129]) et, quem modo nominavimus, *Prellerus*. Nam *ἐξωτερικοὶ λόγοι*, quorum esse fragmentum aliquod Magna Moralia demonstravimus, quamvis speciem quandam prae se ferant dialogorum, vix tamen erunt, qui serio eos nomine dialogorum insigniendos esse contendere velint.

Sed revera haec fere sunt, quae de Aristotelis dialogis scire possimus. Nam quod *Basilius Magnus* eru-

---

127) *Ammon. Herm.* ad *Categ.* p. 6, B: *Συνταγματικὰ δὲ λέγουσιν, ὅσα καὶ φράσιν ἔχει πρέπουσαν συντάγματι καὶ τὴν τῶν κεφαλαίων εὔτακτον διαίρεσιν· τῶν δὲ συνταγματ(ικ)ῶν τὰ μὲν διαλογικὰ, τὰ δὲ αὐτοπρόσωπα· αὐτοπρόσωπα μὲν ἐν οἷς ἐξ οἰκείου προσώπου τὴν διδασκαλίαν ἐποιεῖτο, ἅπερ καὶ ἀκροαματικὰ καλοῦσιν διὰ τὸ πρὸς γνησίους ἀκροατὰς ποιεῖσθαι τὸν λόγον· διαλογικὰ δὲ* (scil. *ἐστί*), *ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραφεν, ἀλλ' ὥσπερ ὁ Πλάτων ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα, κτλ.*

128) *Cic. Tusc. Disp.* I, 10, 21 etc. 31, 77. *Cat. Maj.* 1, 3. *Preller*, de *Praxiphane Peripatetico* inter antiquissimos grammaticos nobili disputatio. (Index scholarum in universitate litteraria Caesarea Dorpatensi per semestre prius anni 1842 habendarum).

129) *Forschungen* etc. I, p. 14 sqq.

ditus ecclesiae doctor in epistola quadam tradit [130]), Aristotelem et Theophrastum in dialogis suis statim res ipsas esse aggressos, quod sibi conscii fuissent, quanto inferiores essent Platone sermonis suavitate, vix sunt ejusmodi, ex quibus multa de Aristoteles dialogorum natura concludere possis et fortasse id tantum, Aristotelis et Theophrasti dialogos dulcedine sermonis minime cum Platone comparari potuisse. Atque ipsa illa fragmenta, quae nobis ex ejus dialogis servata sunt, unum a *Plutarcho* in Consolatione ad Apollonium [131]), alterum apud *Stobaeum* [132]), quod tamen dubiae auctoritatis quibusdam viris doctis esse videtur [133]), breviora sunt, quam ut vividam inde et perfecte expressam ejus dialogorum imaginem animo concipere possis.

Quod autem sunt [134]), qui ex Ciceronis dialogis de forma illorum, quos Aristoteles scripserit, — qui quidem perierunt — judicari posse credunt, haud scio an in aliquo ii errore versentur. Quod non solum contendi, sed etiam demonstrari posse videtur. Ubi enim Cicero de perpetua, quae dicitur, oratione loquitur, quam maxime propriam Aristotelis dialogorum

---

130) 167. Tom. opp. III p. 187 C: *τῶν ἔξωθεν φιλοσόφων οἱ τοὺς διαλόγους συγγράψαντες Ἀριστοτέλης μὲν καὶ Θεόφραστος εὐθὺς αὐτῶν ἥψαντο πραγμάτων, διὰ τὸ συνειδέναι ἑαυτοῖς τῶν Πλατωνικῶν χαρίτων τὴν ἔνδειαν. Πλάτων δὲ τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ λόγου ὁμοῦ μὲν τοῖς δόγμασι μάχεται, ὁμοῦ δὲ παρακωμῳδεῖ τὰ πρόσωπα· κτλ.* 131) Volum. VII, p. 351 sq. *(Hutten)* 132) *Sermon.* 86. 133) *Wyttenbach* apud Phil. Guil. van *Heusde* specim. crit. in Plat. p. XLVIII. — *Ritter* Gesch. d. Philos. III. p. 28.

134) in his *Joh. Bakius*, Batavus, in „Scholica hypomnemata“ Vol. II p. 23 sqq. „Omnino praecipuus in hac quaestione auctor nobis relinquitur simulque exemplum Cicero, qui manifesto non Socraticum dialogum aemulatur, sed illum, quem brevitatis causa Aristotelici dialogi appellatione significandum putavi. cet.“

fuisse ex Ciceronis dialogis conjicere conantur, ita de ea exponit, ut eam improbare magis quam commendare videatur. In singulis enim rebus insistendi magis morem et intelligendi, quid quisque concedat, qualis erat consuetudo Platonis, comprobat, quam perpetua oratione quasi torrentis instar quamvis multa cujuscemodi secum rapere. Hic autem insistendi et rapidam orationem coercendi mos erat Socratis et Platonis, qui mos cum a posterioribus non esset retentus, revocatus est ab Arcesila illo, recentioris academiae parente [135]. Qua consuetudine renovata ii, qui audire vellent, non quaerebant, sed ipsi dicebant, quid sentirent, quod quum fecissent, Arcesilas contra disputare solebat. Sed qui audiebant, quod poterant, defendebant sententiam suam [136]. Qum igitur Cicero in libris de Finibus se non tamquam philosophum scholam aliquam explicaturum affirmet, more Arcesilae, id est, Socratis vel Platonis disserere voluisse existimandus erit. Jam habes, credo, Ciceronem multo magis dialogi Platonis quam Aristotelis imitatorem. Accedit, quod ubi scholas ipsas habiturus est et perpetua oratione dicturus, ibi quoque quavis occasione arrepta brevibus interrogationibus colloquentem redarguens ac refellens, Platonem imitari studet [137]. Quid? qui et quum esset adolescens et aetate jam provectus, numquam desiit non solum legere Platonem, sed etiam quosdam ejus dialogos in latinam linguam convertere [138], num censes

135) *Cic. Nat. Deor.* I, 5, 11. 136) *De Fin.* II, 1. 137) *Tusc. Disp.* I c. 5—9. collato ib. §. 7 et 8. *De Republ.* I cc. 37, 38, 39. 138) Ut *Protagoram et Timaeum*, quorum illum a Cicerone *juvene* in linguam Latinam conversum esse propterea putaveris, quod Xenophontis Oeconomicum ipse a se adolescente in Latinum esse translatum scribit de *Offic.* II, 24, 87. Alterum Timaeum aetate progressus interpretatus est, sine dubio eo consilio, ut in omnes partes philosophandi studio satisfaceret. cf. de *Divinat.* II, 2 initio.

ullo pacto fieri potuisse, ut is Aristotelis quam Platonis dialogos sibi imitandos sumere mallet? Ut enim concedendum sit, Ciceronem Platonis elegantiam, venustatem, suavitatem ejusque artem et subtilitatem in componendis dialogis consecutum non esse, tamen, opinor, acerrimum Ciceronis studium Platonis imitandi ubique perillustre est cernique potest [139]). Sicut autem Aristotelem in philosophia non deterruit a scribendo amplitudo Platonis, nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia et copia ceterorum studia restinxit [140]), sic Ciceronem, si omnino de imitatione cogitandum est, optimum quemque in quaque re scriptorem et arte praestantissimum, rejecto quoque, qui minus excellens haberetur, imitandum sibi maxime elegisse consentaneum est. Apparet id quum ex ipsius Ciceronis scriptis [141]), tum multo magis etiam ex veneratione quadam et laudibus, quibus nusquam non Platonis auctoritatem et praestantiam prosecutus est [142]).

Nec vero diversitas quaedam, quae inter Platonis dialogos et Ciceronis intercedit, impedire nos debet, quominus judicemus Ciceronem a Platonis imitatione recessisse. Et quoniam jure suus esse quam Platonis

---

139) Cf. *Cic.* de *Legib.* I, 5, 15; II, 6, 14; II, 27, 69; III, 1, 1, de *Orat.* I, 7, 28; ad *Attic.* IV, 16, 3. 140) *Cic. Orator.* §. 5. 141) Ut ex multis unum tantum hoc commemoremus, quis non videt extremam partem librorum de Republica, quae somnium Scipionis continet, prorsus ad Platonis similitudinem fictam atque appositam esse? 142) Cf. *Tusc. Disp.* I, 17, 39: Errare mehercule malo cum *Platone*, quem tu quanti facias scio et quem ex tuo ore admiror, quam cum istis vera sentire. *Ibid,* I, 10, 22: Aristoteles longe omnibus — *Platonem* semper excipio — praestans et ingenio et diligentia. *Ibid.* I, 21, 49; de *Fin.* V, c. 3: quorum princeps Aristoteles, quem excepto *Platone* haud scio an recte dixerim principem philosophorum. Ad *Attic.* IV, 16, 3: deus ille noster *Plato. De Nat. Deor.* II, 12, 32; *Orator,* 19, 62; *Brutus,* 31, 121.

malebat[143]), quis tandem ex hoc judicabit, eum Aristotelis imitatorem fieri voluisse? Sunt autem revera Platonis ipsius dialogi et externa sermonis forma et interna rerum tractatione et indole ita inter se dissimiles, ut vix credas ab uno eodemque scriptore eos esse confectos. Conferantur v. c. inter se ***Euthyphro, Symposium, Phaedo.*** In primo tenue quoddam et exile colloquendi genus, quo interrogando, quid Euthyphroni ***περὶ ὁσίου*** videatur, elicere Socrates studet ita, ut ipse nihil certi affirmet et ea tantum, quae minus probabilia ab Euthyphrone quasi ex vulgi persona disputantur, refutet interque se repugnare ostendat. Quam longe aliter se res habet in ***Symposio,*** in quo praemissa narratione ipsius colloquii originis et causae perpetuae inter colloquentes orationes habentur, ordine quodam dicendi inter colloquii participes servato, donec postremo post Alcibiadis orationem, quae in collaudando Socrate copiosa est, totum colloquium comissatoribus irrumpentibus tollitur. In ***Phaedone*** aliam rursus rationem sermonis cognoscere licet, in quo audimus Socratem disserentem de animorum immortalitate, ita tamen, ut non raro interpellatum eum videamus dubitationibus et interrogationibus Pythagoreorum quorundam, quibus solvendis tollendisque Socrates omnes animi vires contendere gravissimaque rei ipsius argumenta adhibere et expromere cogitur. In ***Menexeno*** post breve initium Socrates funebrem aliquam orationem habet, quam dixit se ex ore Aspasiae audivisse, qua Atheniensium illustria facta persequitur. In ***Timaeo*** nihil fere dialogi, sed perpetua oratio. In ***Legibus*** ne Socrates quidem partes dialogi habet, nihilo tamen minus, opinor, et Menexenum et Timaeum et Leges in numero dialogorum Platonis referre debemus.

---

143) *De Leg.* II, 7, 17.

Videmus satis usquequaque dilatatis Platonici dialogi finibus Ciceroni, quo se cunque verteret, ad arbitrium suum in ea re exspatiari licuisse. Qua libertate et ipsum usum esse negari non potest. Quum enim philosophiam suis civibus explicandam putaret[144]), non commodius id institui posse arbitrabatur, quam si viros auctoritate et ingenio praestantes, qui saepe de iisdem rebus non eadem sentiebant, per dialogum colloquentes inter se et repugnantes alterum alteri aut breviter aut longioribus orationibus disserentes de aliqua re magna in scriptis suis induceret, ita maxime, ut tota aliqua philosophiae quaestio ab uno aliquo excellenti viro aut pertractaretur, aut contra aliorum sententias muniretur. Atque hanc colloquendi rationem eo libentius amplexus est, quo magis isto modo philosophia cum eloquentia jungi poterat. Quod si igitur fere ne sic quidem Aristotelem imitatus est nec imitari poterat, quum eum ejusmodi dialogos, in quibus diversarum philosophiae disciplinarum sectatores inter se disputantes induceret, scripsisse vix credibile sit, apparet de Aristotelis dialogis ne ex Cicerone quidem satis certe judicari posse.

Jam autem difficillima quaestio oritur, quomodo *Aristotelius* ille *mos*, ad quem jam transeamus, intelligendus sit, quo Cicero se libros de Finibus scripsisse affirmat[145]).

Nam fac eum morem eo contineri, quod scriptor se in illis libris ex sua persona disserere significet, non solum testimonia veterum Aristotelis interpretum et alia argumenta, qualia supra indicavimus[146]), quo

---

144) De *Nat. Deor.* I, c. 4, et saepius. 145) *Ad Attic.* XIII, 19, 4: Quae autem his temporibus scripsi, *Ἀριστοτέλειον morem* habent; in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. 146) p. 48 annot. 127 und 128.

minus ita statuamus, obstant, ex quibus Aristotelem in suis dialogis non ex sua persona disputasse collegeris, ut iste mos Aristotelis fuisse non possit, — obstat etiam ille locus Ciceronis ad *Fam.* I, 9, 23[147]), quo se libros de Oratore Aristotelio more scripsisse dicit, in quibus Cicero plane sermonis expers est. Et quis non videt re vera alterum locum alteri repugnare? Quae quum ita sint, non potuit fieri, quin de ea re diversae inter se virorum doctorum opiniones ortae sint, ex quibus quae mihi innotuerunt, de iis jam breviter dicam.

Wyttenbachius, vir doctissimus, qua fuit sagacitate et acumine ingenii, recte vidit aliquid discriminis inter duos istos locos intercedere et alterum alteri repugnare. »Aristoteleo more in disputatione ac dialogo significat, inquit[148]), ipsam disserendi ac dialogi formam, cujus formae certe ea pars Ciceroni cum Aristotele communis est, quod scriptor non ex sua ipse persona loquitur, sed alios loquentes inducit: veluti Cicero in libris de Oratore Crassum, Antonium, Catulum, Caesarem disserentes facit; atque item Aristotelem factitasse ex illis Ammonii verbis colligi debet: — *διαλογικὰ δὲ ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραφεν, ἀλλ' ὥσπερ ὁ Πλάτων ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα.* — Nam et Plato nusquam in suis ipse libris suo nomine loquitur. Altero loco contrarium videtur asserere Cicero ad *Attic.* XIII, 19 quasi libros de finibus more

147) Verba Ciceronis sunt: Scripsi igitur *Aristotelio more*, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione et dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. Abhorrent enim a communibus praeceptis, atque omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complectuntur. 148) In Phil. Guil. van *Heusde* specim. critico in Platonem, accedit *Wyttenbachii* epistola ad auctorem. Epistola p. L.

Aristoteleo scriptos affirmet, eos de oratore contra.« Postremo ita rem expedire conatur, ut locus posterior velut in corruptissimo Ciceronis scriptorum opere occurrens priori loco ut operis multo magis emendati cedere debeat, aliisque satis accommodatam loco emendationem excogitandam, quam ne difficilem quidem esse contendit, reliquit. Istud quidem tenet, in ista duorum locorum repugnantia auctoritatem prioris graviorem esse reputandam. »In reliquis«, inquit, »ἐπέχομεν«. At de lectione immutanda vix ullum sibi consentientem Wyttenbachius habebit.

Jam veniat *Goerenzius*, [149]) quem quomodo potuerit *Krischius* [150]) contendere per rectam verborum explicationem, scilicet »in disputatione ac dialogo« pro »disputandi per dialogum ratione« esse accipiendum, istam locorum repugnantiam removisse, prorsus non intelligo. Ac sane quidem in utroque loco per dialogum disputatur, at ipsum illum Aristotelium morem, si diligentius rem inspexeris, non minus in utroque loco diversum esse senties. Luce clarius est enim, quem Cicero in libris de Finibus Aristotelium morem esse dicat, scilicet ut penes ipsum (Aristotelem hoc est, dialogi scriptorem) principatus sit, eum in libris de Oratore aliter esse comparatum. Nam in libris de Finibus Cicero se ipsum disputantem ac principatum tenentem facit, et hunc esse significat Aristotelium morem, quod secus est in libris de Oratore, in quibus ne ullam quidem sermonis partem sibi sumserit. Nec me fugit Krischii ejus difficultatis explicandae ratio, dicit enim dialogi auctori sub alienis personis principatum obtineri [151]). Sed nescio an sic omnibus de

---

149) *Introductio* ad libr. de *Fin*. p. XVI. 150) Forschungen auf dem Gebiete der alten Philosophie. Tom. I p. 13 annot. 1. 151) L. c. p. 17.

dialogis qui umquam scripti sunt, tenendum sit, semper auctores, quamcunque rem per dialogi disputationem tractent, etsi nullae sermonis ipsorum sunt partes, ita tamen disputare, ut sub aliqua dialogi persona ipsorum sententia lateat. Recte autem vir doctissimus Goerenzii opinionem, arbitrantis, ex Ammonii traditione, quam saepius jam diximus: *διαλογικὰ δὲ ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραφεν* (*Ἀρ.*) *ἀλλ᾽ ὥσπερ ὁ Πλάτων ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα*[152]) istam difficultatem solvi posse, plane rejiciendam censet. Goerenzius enim ex verbis: *ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραφεν*, colligi posse credit, Aristotelem utriusque generis dialogos scripsisse, alteros, in quibus *κωφὸν* ejus *πρόσωπον* esset, alteros, in quibus ipse partes sermonis susciperet. Falso. Nam vir doctus non vidit verbis *διαλογικὰ δὲ* contineri praedicatum totius sequentis enuntiati ita, ut verba: *διαλογικὰ δὲ*, hoc sensu accipienda sint: *διαλογικὰ δ᾽ἐστὶν ὅσα μὴ κτλ.*, dialogica autem sunt omnia scripta, quae non ex sua persona scripsit.

Sed pone rem ita esse, ut Goerenzius velit, ne tum quidem omnis molestia depulsa est. Nam si duo etiam Aristotelis dialogorum genera statuimus, quorum ea sola sit differentia, ut in altero Aristoteles ex alia persona placita sua et sententias proponat, in altero ipse ex sua persona, quid sibi videatur, disputet, ut altera ex parte haud sane diffitendum est, posse aliquo sic modo rem expediri — tum enim libri de Oratore ad id dialogorum genus, in quo sub alienis personis ipsius scriptoris sententia lateat, libri de Finibus ad id, in quo Cicero ex sua ipse persona loquatur, referendi sunt, — at quis tandem est, quaeso, quin cernat, haec duo Aristotelii moris genera, quatenus ap-

---

152) P. 48 annot. 127.

parent in Ciceronis dialogis, prorsus inter se esse diversa et contraria eamque ob causam minime esse verba »*Aristotelio more*« apta ad accurate describendos de Oratore libros minimeque idonea, ex quibus quomodo vel ipsi libri vel eorum sive forma sive ratio et indoles cogitanda sint, Lentulus [153]) conjicere satis possit. Nihil enim umquam describi designarique satis accurate potest re aliqua, quae in sui ipsius contrarium abire potest.

Quod autem ad Krischium ipsum attinet, tantum mihi abesse videtur, ut rem ad liquidum perduxerit, ut ne sensisse quidem videatur, in qua re summa de Aristotelio more quaestio posita sit. An hoc consulto sentire noluit? Ac sane in hac re multo inferior est, quem reprehendit, Goerenzio. Ex parvis quibusdam fragmentis perspexisse sibi videtur, quae fuerit Aristotelis dialogorum ratio, quod dubito, num umquam fieri possit. Putat manifestum esse, Aristotelem (in dialogis suis?) respectis et rejectis aliorum philosophorum disciplinis suam firmare studuisse et quum (ut statuere videtur) Aristoteles non ex sua persona loqueretur, sub alienis personis penes ipsum principatum fuisse. Item breves interrogationes, quibus utendi Platonis vel Socratis mos erat, esse ab Aristotele rejectas arbitratur inque locum earum substitutas continuas orationes. Has potissimum ab eo recepisse Ciceronem, et hanc esse naturam Aristotelii moris apud Ciceronem, ut colloquentes non ut discipulos interroget aut interrogando ex iis quae velit, eliciat, sed unicuique omnia disciplinae alicujus placita peroranda tribuat ita, ut examinatis cujusque scholae decretis is, cujus sub persona sententia scriptoris lateat, principatum teneat. »Nur stellt sich« ita enim pergit, »dabei der

153) Ad *Fam.* 1, 9, 23.

nothwendige Unterschied heraus, dass während Aristoteles als selbständiger Denker lehrend auftritt, Cicero durch Anlegung eines fremden Princips sich selbst erst festsetzt und zu lernen sucht (?) [154])«. Quae sequuntur, nihil ad rem. Sed dic, quaeso, quomodo harum rerum cum iis, quae de Aristotelio more Cicero in Epistola ad *Atticum* [155]) tradit, consensus rationum concentusque effici possit, quo loco Cicero satis perspicue indicat, se noluisse dialogum, de quo agitur, ita instituere, ut sibi tacendum esset, nec si particeps sermonis ipse Cicero erat, ut revera in libris de Finibus est, ulla causa erat, cur suam sententiam alienis personis tuendam traderet, penes quas ipsius principatus esset. Quum autem in libris de Finibus ex Aristotelio more ipse loquatur, in libris de Oratore contra, quos et ipsos Aristotelio more a se scriptos esse dicit [156]), quaesiveris, quomodo Krischius alterius cum altero loco repugnantiam sustulerit? — At minime sustulit, reliquit, dixit aliena, ipsam rem non tetigit. Nam quod dicit [157]), Ciceronem jam antea in libris suis de Oratore confectis Aristotelium se morem secutum esse significasse, ita tamen ut in universum nihil nisi dialogum vel potius dialogi formam ab Aristotele se mutuatum indicaverit, Aristotelii moris, quae vera sit ratio, accuratius demum declarari in Epistola ad Atticum [158]), ea minime erunt ejusmodi, in quibus acquiescas, si ea, quae modo de tota hujus quaestionis difficultate diximus, respicere volueris. Atque revera eodem fere modo jam ante Krischium *Stahrius* totius quaestionis nodum solvere studuerat. Nam ut de Stahrii quoque sententia videamus, rei ipsius gravitate admonemur.

154) L. c. pp. 12 sqq. et p. 18. 155) XIII, 19, 4. 156) Ad *Fam.* I, 9, 23. 157) L. c. p. 13. 158) XIII, 19, 4.

Stahrius igitur totam istorum locorum repugnantiam, de qua Wyttenbachium jam audivimus, removeri arbitratur [159]), si reputemus Ciceronem priore loco [159a]) eam ob causam libros suos de Oratore Aristotelio more scriptos esse significasse, quod in dialogo ac disputatione scripti sint, quod ἓν διὰ δυοῖν admodum esse usitatum et accipiendum in hanc sententiam »disputandi per dialogum ratione«, laudato Goerenzio auctore ad Cic. de Fin. Introduct. p. XVI. Altero loco [160]) non agi in universum de dialogica forma, quatenus Aristoteles ea in scriptis suis usa sit, sed certum quoddam ejus formae genus definiri accuratius additis verbis: penes ipsum Aristotelem principatum esse. Et quatenus Cicero in libris de Finibus istam quoque Aristotelis consuetudinem imitatus sit, quum in libris de Oratore forma quidem *(disputandi per dialogum ratio)* Aristotelia, ipsa autem scriptoris persona κωφὸν πρόσωπον fuerit, Ciceroni licuisse libros de Finibus praecipue Aristotelio more scriptos esse significare, nec in eo dixisse quod verbis ad Lentulum scriptis repugnet, collato Goerenzio l. c. XVI, XVII. In annotatione addit, posse etiam aliam Ciceronis verbis ad Attic. l. c. *Ἀριστοτέλειον morem — in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus*, sententiam tribui, ex qua ratio Aristotelis aliorum sententias indicandi et suae ipsius subjiciendi significata sit.

Scripti igitur sunt, quantum equidem ex his intelligere possim, Aristotelio more Ciceronis de Oratore libri illi quidem, sed perfecto demum Aristotelio more compositi libri de Finibus, quod, quae Aristotelis in dialogis scribendis ratio fuerit, ut videlicet penes

---

159) *Aristotelia*, pars II, p. 244—246. 159a) *Ad Fam.* I, 9, 23. 160) *ad Attic.* XIII, 19.

ipsum scriptorem principatus sit, ea denique a Cicerone in libris de Finibus sit. observata. Jam vero si, id quod ex l. c. ad Attic. XIII, 19 apparet, is mos Aristotelius ipsis verbis in conscribendis dialogis fuisse dicitur, ut auctor dialogi ipse partes colloquii summas habeat, hoc est, ipse loquens et ex sua persona disputans inducatur, et ceterorum sententias redarguens, eâdem sententiâ sine dubio Aristotelius mos non potest accipi, si in dialogis omnino ne loquens quidem ipsius auctoris persona inducitur, planeque, ut in libris de Oratore, *κωφὸν πρόσωπον* est. *Ὅσα γὰρ θατέρῳ συμβέβηκε, καὶ θατέρῳ δεῖ συμβεβηκέναι, καὶ οἷς θάτερον αὐτῶν συμβέβηκε, καὶ θάτερον δεῖ συμβεβηκέναι. Εἰ δέ τι τούτων διαφωνεῖ, δῆλον ὅτι οὐ ταὐτά* [161]). Quare omnino ad istam locorum duorum repugnantiam, quam jam Wyttenbachius sibi visus est animadvertisse, redire cogimur. Itaque non mirum est alios alias istius superandae difficultatis rationes ac vias ingressos esse.

Chr. G. Koenigius, qui de eadem re egit in dissertatione, quae inscribitur: *super Ciceronis de Oratore libris* [162]), ita inter se differre duos istos locos censet, ut alter ille, qui in Epistola ad Fam. I, 9, 23 commemoretur, *ad interiorem rerum ipsarum, quae tradantur, indolem* sit referendus, de altero ad Attic. XIII, 19, 4, vix dubitari posse putat, quin *externam maxime disserendi formam et orationis veluti habitum* voluerit intelligi Cicero similem ei, quo Aristoteles in conformandis dialogis et suis cuique illorum, quos colloquentes fecisset, partibus tribuendis fuisset usus. Et sane digna est viri acuti sententia, quae audiatur, etsi, nescio quomodo, quod attinet ad priorem illum locum, minus mihi arridet istius loci explicandae difficultatis

---

161) *Aristot. Top.* VII, 1, 7. 162) In opusculis latinis, editis ab *Oertel*, *Misenae* 1834 p. 376 sq.

a viro docto inita ratio. Quamquam enim haud dubie concedendum est, Ciceronem multa ex ipsius Aristotelis scriptis sibi assumpsisse[163]) in hosque de Oratore libros derivasse, tamen usus ipse linguae obstare mihi videtur, quo minus locum ita intelligamus, ut quod vult efficere Koenigius, consequi possimus. Dicit enim Cicero *Aristotelio more in disputatione ac dialogo* libros de Oratore a se elaboratos esse, hoc est, eo more, quem Aristotelis in disputando fuisse crediderit. Videtur autem ea causa vir doctus, ut ita statueret, permotus esse, quod Cicero ipse in Epistola illa ad Lentulum, quam saepius jam commemoravimus, in his de Oratore libris omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam se complexum esse profiteatur; nam censet »Aristotelio more scribere et omnem Aristoteliam rationem oratoriam complecti nihil quidquam discrepare«. Quod plane secus esse videtur. Nam quod Cicero se omnem ait antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complexum esse, nihil vult fere aliud significare, nisi, quibus isti et Aristoteles et Isocrates et omnes veteres doctores dicendique magistri finibus artem oratoriam veluti terminis circumscripserint quemque ei latissimum campum, in quo exerceri debeat, tribuerint, rectissime eum illi arti concedendum videri seque eos in ea re secutum esse. Et potest id facile intelligi. Nam fuisse jam Ciceronis temporibus et antea, qui angustioribus finibus artem oratoriam includerent, ex multis librorum de Oratore locis perspici potest. Quid enim Crassum, cujus ex ore sine dubio Cicero ipse loquitur, censes spectare talibus dictis velut his: Oratorem plenum atque perfectum esse eum dicam, qui de omnibus re-

---

163) Ciceroni praeter alia Aristotelis scripta etiam ejus *rhetorica* non incognita fuisse docet *Stahrius Aristotelia* II, p. 152 sq.

bus possit varie copioseque dicere [164]). — Nam illos veteres doctores auctoresque dicendi nullum genus disputationis a se alienum putasse accepimus semperque esse in omni orationis ratione versatos [165]). — Quare non est paucorum libellorum hoc munus, ut ii, qui scripserunt de dicendi ratione, arbitrati sunt, neque Tusculani atque hujus ambulationis antemeridianae aut nostrae pomeridianae sessionis. Non enim solum acuenda nobis neque procudenda lingua est, sed onerandum complendumque pectus maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia, varietate [166]). — Jam etiam adversarios Crassi oratoriaeque artis tam in immensum dilatandae obtrectatores audiamus, quorum ex ore cognoscimus istius temporis vulgarium oratorum de arte oratoria sententias, quas defendendas Antonius suscepit, qui inter alia de oratore haec: Oratorem autem, quoniam de eo quaerimus, equidem non facio eundem, quem Crassus, qui mihi visus est omnem omnium rerum atque artium scientiam comprehendere uno oratoris officio ac nomine; atque eum puto esse, qui verbis ad audiendum jucundis et sententiis ad probandum accommodatis uti possit in causis forensibus atque communibus. Hunc ego appello oratorem eumque esse praeterea instructum voce et actione et lepore quodam volo [167]). Cernimus Crassum oratori velle detur immensum quoddam spatium et campus latissimus, in quo elaborare debeat, ut quocunque opus sit, cum varietate et copia traducere orationem possit. In quo persequendo ita est ipse copiosus, ut nonnum-

---

164) De *Orator.* I, 13, 59. 165) *Ibid.* III, 32, 126, quod quamquam dixit Catulus, tamen facile ex sententia Crassi dictum esse agnoveris. 166) *Ibid.* III, 30, 121: cf. ibid. III, 33, 132 et quae sequuntur. 167) *Ibid.* I, 49, 213: cf. ibid. quae sequuntur, tota enim Antonii oratio in eo versatur, ut eloquentiam a ceteris artibus segreget et in quodam ingenii et exercitationis genere ponat.

quam revocandum eum auditores arctioresque ei quasi terminos, intra quos se contineat, constituendos esse existiment[168].

Atque haec est, quam Cicero dicit omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complecti. Aristotelem vero plane eosdem, quos Ciceronem, oratori assignavisse fines quam longissime prolatos quum ipsis verbis ab eo dici audimus[169], tum ex totius ejus de arte rhetorica operis indole et ratione intelligi licet. Qua enim subtilitate et diligentia loquitur de moribus, affectibus, studiis non solum adolescentium, juvenum, senum, verum etiam nobilium, divitum, potentium, fortunatorum, de misericordia, de indignatione, de invidia, ceteris! in quibus rebus Cicero plane Aristotelis rationem sequitur[170] nec ignoras, quantum isti veteres philosophi, inprimis Aristoteles, arti oratoriae tribuerint, quod Crassum loquentem facit his verbis[171]: Quibus de rebus Aristotelem et Theophrastum scripsisse fateor. Sed vide, ne hoc, Scaevola, totum sit a me. Nam ego, quae sunt oratori cum illis communia, non mutuor ab illis: isti, quae de his rebus disputant, oratorum esse concedunt. Itaque ceteros libros artis suae nomine, hos rhetoricos et inscribunt et appellant. Etenim quum illi in dicendo inciderint loci (quod persaepe evenit), ut de diis immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi civium, de hominum, de gentium jure, de aequitate, de temperantia, de magnitudine animi,

---

168) *Ibid.* III, 32, 126; et maxime ibid. III, 36, 144 sq. 169) *Rhetor.* I, c. 2: *ἡ δὲ Ῥητορικὴ περὶ τοῦ δοθέντος, ὡς εἰπεῖν, δοκεῖ δύνασθαι θεωρεῖν τὸ πιθανόν· διὸ καί φαμεν αὐτὴν οὐ περί τι γένος ἴδιον ἀφωρισμένον ἔχειν τὸ τεχνικόν.* 170) *de Orator.* I, 15, 69, ubi Crassus haec: quare hic locus de vita et moribus totus est oratori perdiscendus. 171) *Ibid.* I, 13, 55. sq.

de omni virtutis genere sit dicendum, clamabunt, credo, omnia gymnasia atque omnes philosophorum scholae sua haec esse omnia propria, nihil omnino ad oratorem pertinere. Quibus ego, ut de his rebus in angulis consumendi otii causa disserant, quum concessero, illud tamen oratori tribuam et dabo, ut eadem, de quibus illi tenui quodam exsanguique sermone disputant, hic cum omni gravitate et jucunditate explicet.

Quod ad ceteram Ciceronis librorum de Oratore similitudinem cum Aristotelis rhetoricis attinet, fortasse nullam investigaris. Diversissimi prorsus sunt quum natura et indole, tum multo etiam magis ratione scribendi et tota hujus materiae pertractatione et explicatione. Aristotelis summum est ingenii acumen, subtilitas, diligentia, quibus accedit siccitas quaedam dicendi et tenuitas, nuda ejus oratio est, recta et pressa, »omni ornatu tamquam veste detracto«. Cum distinctione et parsimonia quadam opus suum tamquam aedificium exstruit, in quo suo quaeque res loco collocetur ita, ut magis commoditas et interior rei ipsius figura et habitus, quam externae illae distinctiones ornamenti causa adhibitae respiciantur; perfectum philosophum et subtiliter disserentem Aristotelem in isto opere usquequaque agnoveris. Quae res longe aliter se habet apud Ciceronem. Quod enim quasi aedificium ex varia materia ad id exstruendum commoda Aristoteles condidit, eo cum sociis suis Cicero iter quoddam ut hac imagine utar, ambulationis instar suscipit, quo illud ab Aristotele exstructum artis oratoriae aedificium suis sodalibus, discrepantibus inter se sententiis inspiciendum et quasi oculis collustrandum ostendat. Ut autem Aristoteles hoc suum aedificium tamquam domicilium artis oratoriae ac sedem, unde omnia ejus praecepta petenda sint, quam firmissimum et latissimis circumscriptum finibus exstruxit, ita Cicero id ingre-

ditur, eximio instructus artis suae et ornatu et copia quasi periclitans illa Aristotelis praecepta et se delectans oratoria sua ubertate atque abundantia, quam e sermonibus colloquentium sibi resonantem tamquam imaginem percipit. Sic sane admodum inter se sunt diversi Ciceronis libri de Oratore et Aristotelis rhetorica, nec facile quidquam inter ea similitudinis agnoscendum esse diceres, nisi tale aliquid Cicero ipse indicare voluisset.

Hoc fere modo commodissime explicari posse videntur illa verba, in quibus Cicero dicit se omnem antiquorum et Aristoteliam rationem oratoriam complexum esse. Scilicet arti oratoriae eosdem quos Aristoteles fines quam latissimos constituit, in qua re admodum sane, ut vidimus, ab aequalium suorum opinione et judicio dissentiebat. Aristotelium vero morem in Ciceronis libris de Oratore qui eodem modo explicari posse censet, vereor, ne is plane in errore versetur.

Minus fere opus est ut mentio fiat *N. Madvigii*, viri doctissimi, qui hanc quaestionem breviter tantum attigit[172]) atque ita, ut a sententiis priorum ejus interpretum, inprimis *Goerenzii*, haud recederet. Ac sane vellem Madvigius, qua est mentis acie et linguae Latinae inprimis Ciceronianae scientia, rem ipsam perquisivisset potius, quam acquiesceret in sententia aliorum falsa praesertim eorumque, quos usquequaque gravissime ab eo reprehendi constat.

Paullo aliter de hac re judicant qui jam sequuntur viri docti, quorum primus *J. A. C. van Heusde*[173]) Aristotelium morem in illis de Oratore libris cum ad

---

172) In edit. librorum *Cic.* de *Finibus*, *Hafniae* 1839, praef. p. LX.

173) In libro qui inscribitur *Marcus Tullius Cicero φιλοπλάτων*, *Trajecti ad Rhenum* 1836.

praefandi consuetudinem, et praecepta danda, quae ut Cicero ipse dicat, a communibus praeceptis abhorreant, tum maxime in utramque partem disputandi referendum esse arbitratur. Formam autem totumque habitum disputationis a Platone praecipue duxisse Ciceronem existimat. De alterius cum altero loci repugnantia nihil. Videtur autem, quod ad praefandi consuetudinem Aristotelium morem referendum censet, id fecisse adductus loco, qui legitur in epistola quadam ad Atticum [174]), ubi Cicero dicit prooemiis se uti in singulis libris, ut Aristoteles in iis, quos ἐξωτερικοὺς vocet. — Ac recte mea quidem sententia cum illud posuit, formam dialogi universam et externum sermonis habitum Ciceronem a Platone mutuatum esse, tum vehementissime comprobanda mihi videtur viri illustris ea sententia, qua Aristotelis more rationem in utramque partem disputandi contineri ducat. Quam ejus sententiam, quum jam antea a *Kuehnero* eadem istius difficultatis removendae ratio inita esse videatur [175]), secuti sunt *Bakius*, et qui paullo uberius de ea re exposuit, *van Baumhauer*, viri Batavi, quorum alter, Bakius quaedam in hac quaestione acute conjecit vel praesagivit potius, alia miscuit et perturbavit. Nam saepe discernit, ubi res plane eadem est, tum confundit, ubi accuratius erat distinguendum. Verba ejus, quae maxime huc pertinere arbitror, sunt haec [176]): „Omnino praecipuus in hac quaestione auctor nobis relinquitur simulque exemplum Cicero, qui manifesto non Socraticum dialogum aemulatur, sed illum, quem brevitatis causa Aristote-

---

174) IV, 16, 2. 175) Cfr. *ejus* edit. *Cicer. Tuscul. Disputat.* ed 4. *Lipsiae* 1853 p. 7 sq. Librum ejusdem, qui inscribitur: *M. Tullii Ciceronis in philosophiam ejusque partes merita. Commentatio regio praemio ornata. Hamburgi sumptibus Friderici Perthes.* 1825 mihi inspicere non licuit. 176) *Scholica hypomnemata*, scripsit Joh. Bakius, H. L. B. 1839. 8. p. 23 sqq.

lici dialogi appellatione significandum putavi. Sed quae ipsius fuerit Aristotelis consuetudo, in eadem Epistola [177]) declarat. Posteaquam enim cum illorum de Republica librorum forma contulisset eos de Oratore, in quibus ii loquentes inducerentur, qui ipsum per aetatem excluderent, haec addit: „quae autem hic temporibus scripsi, *Ἀριστοτέλειον* morem habent: in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus“: et exempli loco memorat Dialogum de Finibus, in quibus Pisoni principatus tribuitur, tum Academicorum eam editionem, in qua Varronem et Atticum incluserat, sibique Antiochiorum, quae Varroni tribuisset, refutationem servarat. Et fecit idem in libris de Nat. Deor., in quibus Cotta tamquam sententiam pronunciat [178]), tum in Divinatione, in qua Quinti fratris disputationem ipse convellit secundo libro. Quid inter hanc rationem et eam, quam in libris de Republica et de Oratore secutus est, intersit, non difficile est animadvertere. Nam in illo Aristoteleo more colloquentes tamquam

---

177) Ad Attic. XIII, 19. 178) Num satis recte in his Bakius Cottam sententiam Ciceronis pronunciare existimet, alii viderint. Equidem numquam adduci potero, ut quae Cotta disputet, omnia eum e Ciceronis sententia loquentem disputasse credam. Nam quae Cottam Cicero facit concludentem mirabilia, III, 37, 89: „Sic enim res se habet, ut ad prosperam adversamve fortunam qualis sis aut quemadmodum vixeris, nihil intersit.“ c. 39, 92 sq.: „Itaque aut nescit (divina providentia), quid possit, aut negligit res humanas, aut, quid sit optimum, non potest judicare. Non curat singulos homines. Non mirum. Ne civitates quidem. Non eas? ne nationes quidem et gentes. Quod si has etiam contemnit, quid mirum est omne ab ea genus humanum esse contemtum“, et similia tantum abest, ut Cicero ea ex sua persona et sententia pronunciata esse velle videatur, ut talibus sententiis constitutis et firmatis perturbationem vitae et magnam confusionem sequi, quin etiam fidem et societatem generis humani et unam excellentissimam virtutem, justitiam tolli necesse esse judicet. cf. ib. I c. 2 §. 3 et 4. — Cfr. etiam *Cic.* de *Divin.* I c. 5. et infra.

adversarii inducuntur, quorum cujusque sententia de industria defenditur, a principe disputationis ad postremum convincitur. In altero genere neque ut inter adversarios disputatur, neque ut unus principatum teneat, sed ita potissimum, ut totius argumenti partes fere aequabiliter inter colloquentes distribuantur, quorum singuli sua tamquam in commune conferant, et hoc genus alteri velut Aristotelico opponitur a Cicerone. Haec si probabiliter disputavi, pronunciari posse videtur de alio loco Tulliano, in quo ipso quoque Aristotelei moris mentio fit, ad Div. I, 9, 23. Hunc quoniam Wyttenbachius in illa Epistola p. L sq. perperam, ut puto, interpretatur, magni viri reverentia facit, ut diligentius explorandum esse ducam. „Scripsi igitur", inquit, „Aristotelio more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore. — Abhorrent a communibus praeceptis atque omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complectuntur". Ex his verbis conficit Wyttenbachius, intelligendam eam esse formam dialogi, qua scriptor non ex sua ipse persona loquitur, sed alios loquentes inducit: et hunc fuisse Aristotelis morem, colligi dicit ex Ammonii verbis in distributione scriptorum Aristotelicorum: *διαλογικὰ δὲ, ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου ἔγραφεν, ἀλλ' ὥσπερ ὁ Πλάτων ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα.* Sed cui non perspicuum est, in isto Ammonii loco *διαλογικὰ* opponi *αὐτοπροσώποις* i. e. *συνταγματικοῖς·* neque illa definitione hoc excludi, ut scriptoris ipsius in dialogo partes sint. Et utrumque fecisse Aristotelem, vel ut alii principatum tribueret, vel ut ipse loquens eundem teneret, intelleximus ex illa ad Atticum Epistola confirmaturque alio loco Ciceronis ad Quintum fratrem III, 5, 1, ubi quum dixisset a Salustio monitum esse se de personis librorum de Republica mutandis, propterea quod non esset Heraclides

Ponticus, sed consularis, itaque multo majore auctoritate ipsum in illo sermone disputaturum, haec ad postremum ratio Salustii memoratur: „Aristotelem denique, quae de republica et praestante viro scribat, ipsum loqui"". — Et paullo post: „ Sed Aristotelius mos in illa ad Lentulum epistola non nisi ad universum institutum dialogorum referri posse videtur, id quod tum illa epexegesis indicat: „in disputatione ac dialogo", tum ea, quae interponuntur, „quemadmodum quidem volui", quae non ad delectum ex duabus illis formis dialogorum, sed ad artificium cujusque sententiae explicandae et in utramque partem disputandi referenda sunt. Nam hujus generis principem et auctorem Aristotelem habere solebat Cicero. Hinc de Finib. V, 4, 10, posteaquam commemorasset, quid in rerum natura explicanda praestitissent Aristoteles ac Theophrastus, sic pergit: „disserendi quoque ab iisdem non dialectice solum, sed etiam oratorie praecepta sunt tradita: ab Aristoteleque principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta". — Et mox deinde concludit: „quibus rationibus permotus, Aristotelium morem, ut dixi, non alium intelligo, nisi tum universe disputationis et sermonis artificium, tum varietatem illam et copiam in quamvis partem dicendi".

Haec Bakius, ex quibus quam inconsulte et temere interdum dixerit, potest perfacile intelligi. Nam si tribueremus in libris de Finibus principatum Pisoni [179]), quonam tum loco habendus esset Cicero, qui more Aristotelio penes ipsum principatum esse ipsis verbis indicat et sermonis partis habens adversariorum sententias refellit. Atque mehercule vim esset hoc et verbis et toti sententiae adhibere, si statueres non penes Ciceronem sed penes Pisonem potius principatum

179) Bakius l. c. p. 24.

esse. Sed pone id ipsum, Pisonem principatum tenere, vix, puto, apparebit, cur omnino necesse fuerit statui quid discriminis inter libros de Finibus et eos de Oratore, quoniam, si ita esset, utrobique Cicero ex alienis personis sententiam diceret [180]. Nam quae Bakius dicit: in illo Aristoteleo more colloquentes tamquam adversarios induci, quorum cujusque sententia de industria defendatur, a principe disputationis ad postremum convincatur. In altero genere neque ut inter adversarios disputari, neque ut unus principatum teneat, sed ita potissimum, ut totius argumenti partes aequabiliter inter colloquentes distribuantur, quorum singuli sua tamquam in commune conferant, et hoc genus alteri velut Aristotelico opponi a Cicerone, ea plane non sunt ejusmodi, ex quibus differentiae quid constituas necesse sit. Nam quicunque in dialogis Ciceronis, de quibus modo mentio facta est, partes aliquas sermonis tamquam personam tuendam suscipit, is ex hac persona omnia, quae ei dicenda sunt, omnibus quibus potest rationibus argumentisque firmare fulcireque nititur ita, ut alter alterum saepe corrigat, alter alteri repugnet, alter alterum convincere suamque sententiam superiorem facere studeat. In quibus rebus quod interdum

---

180) Habes hic paucis verbis demonstratum, quam sibi repugnet interdum Bakius nihilque dicat. Concedat necesse est *principem esse, cui principatus tribuatur.* Ex Bakii autem sententia „in illo Aristoteleo more (hoc est: qui est in libris de Finibus, in Academicis, in dialogo de Nat. Deor., in Divinatione) — *cujusque sententia* — *a principe disputationis ad postremum convincitur*. Jam quum in dialogo de Finibus ex Bakii sententia *Pisoni principatus tribuatur*, sequitur, ut reliquorum sententiae *a Pisone ad postremum convincantur*, *in iisque sententia Ciceronis.* Quod num verum sit, ipse Bakius viderit. Neque enim Cicero a Pisone ad postremum convincitur, sed quaedam Peripatetica quae Ciceroni minus constanter dicta esse videbantur, Piso ei probare studet. De *Fin.* V, cc. 28, 30, 32.

acrius aut lenius colloquentes agunt, natura fert rerum, de quibus sermo est, quarum saepe aliae aliis graviores existimantur digrioresque, in quibus defendendis omnes animi vires intendantur. Quamobrem in iis rebus, quae ad philosophiam pertinent, id est, ad recte beateque vivendum, plerumque acrius quasi pugnatur, quam in rebus oratoriis, quum praesertim diversarum philosophiae disciplinarum decreta constarent tamquam certa quaedàm, quae serio defendebantur, oratorum minus. Neque vero, etsi ad perfectum oratorem instituendum in medium profert sua quisque Crassus, Antonius, alii, idcirco eorum de summi oratoris imagine sententiae inter se plane consentiunt. Immo in ipsis summis rebus a se discrepant saepe, ut alter alterum aut longiore oratione refellere conetur [181]), aut brevius ab eo dissentiat [182]). Quid? quod hoc genus dialogorum alteri velut Aristotelico opponi a Cicerone censet, quasi vero minus libri de Oratore Aristotelio more a Cicerone scripti sint. Vides, quam lubrica et praeceps Bakii ratio sit.

Haud commodius agit de altero loco, qui est in Epistola ad Lentulum [183]). Nam ibi summum virum Wyttenbachium refutare conans ipse ancipitibus difficultatibus implicatur. Dicit enim *διαλογικὰ* Aristotelis, quorum Ammonius mentionem facit, *αὐτοπροσώποις* i. e. *συνταγματικοῖς* opponi, neque illa definitione hoc excludi, ut scriptoris ipsius in dialogo cum aliis partes sint, id est: Aristotelem etiam ejusmodi dialogos confecisse, in quibus ipse partes colloquii susciperet. At quis non videt hanc definitionem vel divisionem plane nullam esse, quum *διαλογικὰ αὐτοπροσώποις* ita opponantur, ut in *αὐτοπροσώποις* ex sua ipse persona

181) *De Orat.* I, c. 48 sqq. 182) *Ibid.* III, 5, 19.
183) *Ad Fam.* I, 9, 23.

scriptor loquatur, in *διαλογικοῖς* autem prorsus idem, ut ex sua persona disputet, concedatur? Etenim si Aristoteles, ut Bakius putat, duplex dialogorum genus scripsit, unum ita, ut aliis principatum tribueret, alterum, in quo ipse loquens eundem teneret, nihil prorsus prohibere debuit Ammonium, quo minus inter Aristotelis *διαλογικὰ* ita distingueret, ut altera, quae non ex sua ipse persona scripsit, opponeret alteris, in quibus ex sua scriptor persona disputabat, idque eo magis, quo majorem in distribuendis Aristotelis scriptis veteres interpretes operam et laborem consumsisse perspicuum est.

Eundem fere hujus rei tractandae modum etiam M. M. *von Baumhauer*[184]) tenet, qui nescio quomodo de parvulis nihilique momenti rebus agit, majores negligit aut cernere non vult. Nam ita leviter de Aristotelio more exponit, ut ne differentiam quidem ullam, quae tamen maxima est, inter duos illos Ciceronis locos[185]), de quibus agitur, admodum sensisse videtur. Et quod sciam, de hac re nihil dicit, et quas res, qui mediocris ingenii est, discrepare inter se negare non potest, ille mutata paullulum distinctione, ut earum inter se consensio sit, effecisse se putat. Ponit enim comma in illa ad Atticum Epistola post verba *Ἀριστοτέλειον morem habent*, pro vulgato signo *colon* seu *semicolon* et pergit: »Illud igitur *autem* non habet vim oppositionis, ut interpretes monuerunt, sed rite appositum videtur ad praestantiam alterius moris magis extollendam[186]). In quo valde mihi vir doctus labi videtur; sive enim comma posueris sive pro eo

184) *De Aristotelia vi in Ciceronis scriptis. Trajecti ad Rhenum* 1841. p. 80 sqq. 185) *Ad Fam.* I, 9, 23 et *ad Attic.* XIII, 19, 4. 186) L. c. p. 99 annot. *Orellius* in ed. sec. semicolon habet.

colon vel semicolon dederis, sensus plane idem, credo, manebit. Neque enim video, quo referenda sint verba quae sequuntur, *in quo*, nisi ad Ἀριστοτέλειον morem. Sensus autem totius loci hic est nec vult Cicero aliud quidquam dicere praeter hoc: ut sibi in iis dialogis, quos commemoraverit, propter personas colloquentes sibi aetate multo praecurrentes, tacendum fuerit, sic nunc se velle in iis, quae his temporibus scripserit, ipsum loqui partesque sermonis habere. Jam autem quoniam Cicero etiam libros de Oratore, in quibus ei tacendum fuit, Aristotelio more a se scriptos esse dicit, itemque libri de Finibus, in quibus sermonis non expers est, Aristotelium morem habent, quis non videt harum rerum discrepantiam maximam esse? Duae enim res nullo pacto fieri potest ut omnino sint idem, si, de qua re agitur, ea ipsa re prorsus inter se sunt diversae. Sed de his von Baumhauer nihil, et quam duorum locorum repugnantiam Wyttenbachius acute vidit et notavit, eam posteriores omittere silentio et ignorare, quam agnoscere et enodare maluerunt. Quamobrem, quae de Aristotelio more et Bakius et von Baumhauer docent, ejus eam naturam esse et rationem, ut scriptor dialogi in utramque partem disputet, quamquam ex parte quadam verissima sunt, non sunt tamen ita comparata, ut totius quaestionis difficultatem expeditam et remotam et rem prorsus profligatam et transactam esse concedamus.

Et von Baumhauer hoc ipsum sensisse videtur. Quum enim Cicero significet, id esse proprium Aristotelii moris, ut penes ipsum (scriptorem) sit principatus[187], quibus verbis id quidem continetur, auctorem dialogi partes sermonis habere et ex sua persona loqui (quod idem instituit Cicero in libris de Finibus), longe

187) In Ep. *ad Attic.* XIII, 19, 4.

aliunde tamen vir doctus concludit ex paucis fragmentorum frustis iisque dubiae auctoritatis, Aristotelem in suis dialogis interdum ipsum locutum esse, nulla alia de causa, opinor, nisi ut ne discriminis quidquam inter duos illos locos, de quibus agitur, intercedere appareat, quo cogi possit ad intelligendum, quam ipse tribuerit Aristotelio mori naturam ac proprietatem, minus eam ab omni parte probandam esse; in quo tamen ipso discrimine, quod vir illustris tangere noluit, quis neget totius quaestionis difficultatem positam esse? Nam Aristotelius mos utrobique ei nihil aliud esse videtur nisi »haec peculiaris sive syllogistica in utramque partem disputandi ratio«, quae »non minus in Aristotelis scriptis acroamaticis quam in ejus dialogis dominatur[188])«. Quae quidem quasi in angustum conclusio a Ciceronis sententia in Epistola ad Atticum[189]) proposita abhorret. — Sic alibi quoque, ubi ei de isto discrimine inter libros de Oratore et eos de Finibus accuratius agendum fuit[190]), id de industria declinasse videtur et formam, *qua penes ipsum sit principatus*, efficaciorem Aristotelique magis peculiarem dicit, quibus verbis non intelligere possum quid explicatum sit. Nam quod censet von Baumhauer ex Epistola Ciceronis ad Quintum fratrem[191]) apparere, quod multum operae et temporis in refingendis libris de Republica Cicero consumserit, »principalem causam hujus gravis laboris ei fuisse, quod, quum primum in libris suis de Republica hanc Aristoteliam rationem esset secutus, qua Platonis exemplo κωφὸν ejus πρόσωπον esset, eos nunc in formam efficaciorem Aristoteli magis peculiarem, *qua penes ipsum esset principatus*, refingere consectaretur, potest id quidem verum esse

188) L. c. p. 99. 189) XIII, 19, 4. 190) L. c. p. 98. 191) III, 5, 1 et 2.

concedi, quamquam aliunde satis scimus, libros a Cicerone, qui ad philosophiam pertinent, minore labore factos esse [192]). Quomodo autem ille locus epistolae ad Quintum fratrem missae maximi sit momenti ad propositam quaestionem solvendam, quae qualis fere sit, ne significare quidem ullo modo von Baumhauer voluit, me non intelligere posse fateor.

Quod praeterea dicit Aristotelem in scribendis suis dialogis eandem, quam Platonem in Legibus, Xenophontem in Anabasi (?), Ciceronem in libris de Oratore, rationem secutum esse, ut quamvis alienam personam inducerent, ex tota tamen ipsius dialogi ratione sub ea latere intelligerentur [193]), hoc esse ejusmodi videtur, quod nec firmari satis nec refelli possit. Quamquam in his repugnare sibi aliquo modo von Baumhauer videtur, conjiciens, ut Plato in libris suis de Legibus non ipsam personarum indolem, quae magna ex parte ejus dialogorum ratio fuerit, simul exponat, sed statim ipsum argumentum aggrediatur, ita Aristotelem quoque suos dialogos disposuisse. Haec quid prohibet sic intelligere: Ut Plato in libris de Legibus prooemium nullum praemisit, ita Aristoteles quoque nulla suis dialogis prooemia praeposuisse putandus est? Id quod etiam videtur significare voluisse Basilius Magnus [194]), cujus supra mentionem fecimus, qui Aristotelem et Theophrastum tradit in dialogis statim res ipsas, quas explicare vellent, aggressos esse, propterea quod quantum a Platonis venustate abessent, sibi conscii essent, Platonem autem libertate sermonis et impugnare colloquentium sententias et effingere simul atque irridere eorum mores, quos loquentes induceret. At vero si quidquam dandum est auctoritati Ciceronis [195]), quem

---

192) *Ad Attic.* XII, 52, 3. 193) L. c. p. 84. 194) In *Epistola* CLXVII, Tom. Opp. III p. 187 C. 195) *Ad Attic.* IV, 16.

von Baumhauer laudat quemque prooemiis delectatum esse dicit secutumque praeter Platonem etiam Aristotelem [196], si igitur conjiciendum est in his rebus ex Ciceronis non solum consuetudine sed etiam ex ipsis ejus verbis, ex iis satis certe colligere possumus, ab Aristotele quoque dialogis prooemia praescripta esse eaque satis ampla fuisse credideris, si ex Ciceronis dialogis de illis conjicere licet. Sed quid ex hac re discimus? nihil sane nisi Aristotelem suis dialogis prooemia *nec* praemisisse *et* praemisisse. Ex quo sequitur, ut de Aristotelis prooemiis nihil certi sciamus nec utrum scripserit necne, satis exploratum sit.

Cetera velut leviora nulliusque momenti transeamus, ut illud, de quo dubitare possis, quod von Baumhauer verba »Aristotelio more in disputatione ac dialogo« arctissime conjungenda esse arbitratur ita, ut Aristotelius mos ad utrumque membrum et ad *in disputatione* et ad *in dialogo* referendus sit.

Sed vereor, ne jam nimis multa de his rebus dixerim nimiumque diu aliorum recensendis sententiis lectores moratus sim. At enim lectores ignorare nolui, quantum huic quaestioni explicandae studii et curae viri docti impertire voluerint. Jam igitur videamus tandem aliquando ipsi, quid de hoc Aristotelio more judicandum sit, de quo quum multae, ut vidimus, nostris temporibus sententiae exstent, religio non est, quo minus earum numero novam aliquam, fortasse veriorem, addamus.

Sine dubio de eo non tot tamque diversae inter se virorum doctorum sententiae essent exortae, si a Cicerone uno solo alterove loco ejus mentio facta esset. Velut si exstaret tantum locus ille ad *Fam.* I, 9, 23, vix, opinor, essent, qui de ea re quaererent, quoniam

---

196) L. c. p. 88.

dialogum scribere in disputatione et alienas personas colloquentes inducere, scriptore ipso tacente, nemo fere non crederet fuisse, quem Aristotelium morem Cicero significare vellet, quem morem si quis etiam diligentius declarare vellet, proprietates illius dialogi de Oratore maxime conspicuae notandae ei essent investigandumque, quid quibus in rebus differret a Platonis ratione, talia, quibus inventis crederet se reperisse, quem Aristotelium morem Cicero indicare voluisset. Simili modo, si alter tantum locus esset Ciceronis ad *Attic.* XIII, 19, 4. »Quae autem his temporibus scripsi, *Ἀριστοτέλειον* morem habent; in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus«, non dubitandum esset, quin quivis id Aristotelii moris proprium judicandum censeret, quod scriptor dialogi non solum ipse colloqueretur, sed etiam principatum teneret. Et recte quidem sic, quum et ex re ipsa confecta et e declaratione et descriptione ejus, qui confecit, optime cujusque rei natura cognosci posse videatur. Quum autem in eadem re alterius loci ratio alteri repugnet et contraria sit, non potuit fieri, quin ista duorum locorum repugnantia in se diligentissimi cujusque cogitationes et quaestiones maxime converteret. Sed quis neget plerisque in hac quaestione explicanda versantibus minus prospere rem cessisse, quum, quae quaestio primum ad quaerendum incitaverat, eam mox tamquam cautem aliquam timentes magis praetervehere quam attingere velle viderentur? Dixeris nihil aliud iis propositum esse, nisi ut quidquid sit repugnantiae in illis locis, id obtegant potius vel ignorent, quam aperiant atque illustrent. Nimirum est hoc humanae consuetudinis, ut periculum quodque, quo qui implicatus sit, minus facile se expediat necesse sit, statim ab initio, quoad fieri potest, evitare studeant. Itaque de Aristotelio more quaerunt fere sic, quasi plane inter

se illi loci concinant. At numquam effici potest, ut quae aliqua re sunt diversa, prorsus sint idem. Quare non temere dixerit, si quis viros doctos, qui de Aristotelio more scripserint, omnino ne animadvertere quidem voluisse contenderit, quid in hac quaestione longe maximam explicationem desideret.

Quum igitur de hac re ipse dicturus sim, statim a limine eam viam ingrediar, qua non aliam ullam rectiorem esse concesseris. Nam optimum esse existimavi, paullulum dimissis aliorum sententiis, investigare, num quid Cicero ipse in scriptis suis de hoc Aristotelio more significaverit. Et sunt, quantum equidem sciam, tres loci, in quibus ejus moris mentionem facit. Legimus, ut more historicorum ab iis, quae priora sunt, initium faciamus, in libris de Oratore [197]: »Sin aliquis exstiterit aliquando, qui *Aristotelio more* de omnibus rebus in utramque partem possit dicere et in omni causa duas contrarias orationes, praeceptis illius cognitis explicare aut hoc Arcesilae modo et Carneadis contra omne, quod propositum sit, disserat; quique ad eam rationem adjungat hunc [rhetoricum] usum [moremque] exercitationemque dicendi, is sit verus, is perfectus, is solus orator«.

Hic locus, unde tamquam a sole quodam radii in omnes partes exeunt et longissime lucem diffundunt, quemque eo mirabilius est a viris doctis respectum non esse, quo magis in re diu jam agitata sudaverunt et operam consumserunt, in tota hac quaestione solvenda de Aristotelio more tamquam dux certus et magister spectandus est. Docet enim magis, quam alius quisquam, quae Aristotelii moris apud Ciceronem ratio sit. Docet non solum, quid Aristoteles disserendo potuerit, sed etiam, quid fere possint sperare se effectu-

197) III, 21, 80.

ros, qui ejus disserendi praecepta bene cognita habeant, docet denique, quid Cicero in scribendis suis dialogis vehementissime assecutus sit. Ante omnia autem nobis viam aperit ad recte intelligendum alterum locum, de quo jam diximus, in Epistola illa ad Familiares [198]: »Scripsi igitur *Aristotelio more,* quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. Abhorrent enim a communibus praeceptis atque omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complectuntur«. Jam nobis licet de hac re breves esse, quum nemo non videat, his nihil aliud significari nisi hoc: Scripsi tres libros de Oratore in dialogo ita, *ut Aristotelio more in utramque partem disputarem.* Nam id ipsum, *in utramque partem disputare,* ex iis, quae paullo ante adscripsimus, proprium Aristotelii moris fuisse cognovimus. Ac mirum in modum sententiam nostram libri de Oratore confirmant, quibus evolutis istam rationem in utramque partem dicendi inde ab initio per magnam operis illius partem perductam et observatam esse cernimus. Et haec sic recte statui vel inde apparet, quod aliter vix ac ne vix quidem intelligere quisquam possit, cur Cicero, quae antea accuratissime, politissime, artificiosissime quasi condiderit atque exstruxerit, ea postea multo majore vel artis exercitatione vel judicii subtilitate oppugnare et quasi convellere studeat. Nempe est hic Aristotelius mos, cujus qui se compotem esse gloriari vult, recusare non debet, quo minus in eadem causa interdum duas contrarias orationes quamvis subito fundat. Quod quia ostendit quum alibi [199], tum in

198) I, 9, 23. 199) Ut in libris de *Republica*, qui quamquam magna ex parte interierunt, tamen ex eorum fragmentis, quae adhuc supersunt, cerni id satis perspicue potest, (cfr. ejus operis fragmenta

his potissimum libris de Oratore Cicero sibi perfacile esse, se ob eam rem verum et perfectum oratorem et talem significat et haberi vult, qualem a Crasso cogitatione et mente fingi ipse voluerat [200]). Quocirca quod valde sibi probatos esse hos de Oratore libros Cicero ait in Epistola illa ad Atticum [201]), profecto ejus rei nulla est alia causa, nisi quod, qualem summum et perfectum oratorem cogitatione atque animo intuebatur, talem se tandem aliquando ipsum exstitisse per libros de Oratore probatum lectoribus esse putabat. Et sane ut Crassus Platonem dicit in irridendis oratoribus summum sibi oratorem visum esse [202]), sic Cicero Aristotelio more dum, quae sint oratoris, quaerit et proponit in utramque partem disputans, ipse summus sibi orator sine dubio visus est. In qua re qui non admodum hebes est atque obtusus, facile perspicere poterit, ut Phidias inclusit in clypeo Minervae sui similem speciem [203]), item Ciceronem in illos de Oratore libros sui ipsius laudationem aliquam si minus apertam, at occultam tamen et obtectam inseruisse inque se tamquam in eum suorum civium oculos convertere voluisse, de quo velut vates majores tamquam aliquando futuro praesenserint, quo nihil umquam quidquam in genere oratorio, quod excellentius sit, exspectari debeat. Institutum autem esse ab Aristotele hoc maxime, ut in utramque partem disputaret, fere usquequaque apud Ciceronem legimus. Non solum enim dicendi disputandique exercitationem et sermonis ornatum cum rerum cognitione et philosophia ipsa conjunxisse perhibetur [204]), sed multo magis etiam in

libri tertii), et omnino in libris ad philosophiam pertinentibus, quatenus in iis Aristotelio more in utramque partem disputatur.

200) De *Orat.* III, 21, 80. 201) XIII, 19. 202) De *Orat.* I, 11, 47. 203) *Tusc. Disp.* I, 15, 34. 204) De *Orat.* III, 35, 141; *Tusc. Disp.* I, 4, 7.

omnibus rebus ut in utramque partem ornate dicere possent et copiose, discipulos exercuisse dicitur[205]).

Haec in utramque partem disputatio ut exerceri et ad quodcunque argumentum vel probandum vel muniendum vel labefactandum et refellendum ut accommodari posset ratione et arte, Aristotelis diligentia effectum est, quem primum eam disciplinam ad artis formam quandam ac rationem revocasse constat. Quam rationem qualem Cicero cogitando sibi finxerat, talem eam in dialogis suis effingere voluisse putandus est. Et colligi id debere videtur ex verbis, quae addidit »quemadmodum quidem volui[206])«. Nam si certum quoddam Aristotelis scriptorum genus tamquam exemplar ad imitandum propositum ante oculos habebat, in quo Aristotelii moris effigiem omnibus partibus expressam cerneret, quid tandem causae fuit, quare de eo more nescio quomodo per conjecturam pronuntiet? Neque enim video, quomodo non possit inesse istis verbis intellectus hic: Ciceronem credidisse, qualem Aristotelium morem in libris de Oratore effinxerit, talem fortasse ejus rationem et naturam ex Aristotelis disputandi praeceptis animo cogitandam esse. Quare se operam dedisse significare videtur, ut isti libri, quam maxime fieri possit, ad illius moris similitudinem, quam animo conceptam habuerit, expressi sint. Quamquam negari non potest, ista verba etiam in aliam sententiam accipi posse, qua disputandi arte Aristotelis subtilitatem et elegantiam, quam prae se ferant ejus exemplaria, imitando se assequi studuerit. De quibus rebus conjectura tantum dici posse videtur, quum, quae sit Aristotelis dialogorum ratio, minus cognitum habeâmus. Verum utcunque haec res se ha-

---

205) *Orat* 14, 46; de *Fin.* V, 4, 10. *Aristot. Top.* I, 2.
206) Ad *Fam.* l. c. I, 9, 23.

bet, sive cogitatione Cicero in scribendo istum Aristotelium morem sibi finxit, sive exempla ad imitandum proposita habuit, illud profecto dubitari non poterit, quin in libris de Oratore Aristotelius mos in eam sententiam sit accipiendus, qua *in utramque partem disputandi ratio* significetur.

Hoc disserendi genus quo magis aptum et commodum dialogo erat, eo magis a Cicerone adamatum et complexum est et quasi comes perpetuus ejus studiis accessit [207]).

Jam si, quae disputavimus, probabilia sunt, transeamus ad tertium locum, qui est de Aristotelio more in Epistola illa ad Atticum [208]), de quo jam supra mentionem fecimus. Ciceronis verba sunt haec: »Sunt etiam de Oratore nostri tres, mihi vehementer probati. In eis quoque eae personae sunt, ut mihi tacendum fuerit. Crassus enim loquitur, Antonius, Catulus senex, C. Julius, frater Catuli, Cotta, Sulpicius. Puero me hic sermo inducitur, ut nullae esse possent partes meae; quae autem his temporibus scripsi, *Ἀριστοτέλειον morem* habent; in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. Ita confeci quinque libros *περὶ τελῶν*, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, *περιπατητικὰ* M. Pisoni darem«. Hunc locum qui cum illo, de quo modo exposuimus, accuratius contulerit, unam certe ei similitudinem cum libris de Oratore, de quibus diximus, esse sentiet. Nam in libris de Finibus quoque, id quod e diversarum philosophiarum placitis sequitur, in utramque partem disputatio instituta est. Sed statim ab initio magna difficultas oboritur, quum in iis alius quidam Aristotelius mos, atque in libris de Oratore cognovimus, animadvertendus sit, qui quomodo ab altero differat,

---

207) *Tusc. Disp.* II, 3, 9. 208) XIII, 19, 4.

ex ipsis Ciceronis verbis satis apparere videtur. Nam ex toto loco perspicuum est, id esse proprium hujus Aristotelii moris, quod Cicero in libris de Finibus ipse partes colloquii habeat, quod in libris de Oratore contra instituerat. Quare alter alteri loco repugnat et contrarius est[209]). Ac primo quidem adspectu ex nostro loco conjicias Aristotelem in suis dialogis partes sibi sermonis sumsisse et e sua ipsum persona locutum esse. Sed si rem diligentius consideraveris, adeo multa argumenta esse repereris, quae nos ita statuere prohibeant, ut aliam istis Ciceronis verbis sententiam subesse suspicere. Scripsit quidem Aristoteles haud dubie dialogos, id quod produnt et fragmenta eorum hic illic apud scriptores servata et inprimis veterum ejus interpretum testimonia, Aristotelem tamen in istis dialogis non ipsum colloquentem prodiise, ex iis, quae supra disputavimus[210]), colligi posse videtur. Quid ergo? nonne jam probabile fit, Ciceronem, quum hoc loco Aristotelii moris mentionem faciat, de *imitandis Aristotelis dialogis* ne cogitasse quidem? Ut enim nos, si de vario docendi dicendique more Platonis et Aristotelis sermo esset, Aristotelium morem statim eum significari putaremus, quo scriptor ipse ex sua persona loqueretur, Platonis contra, quum hoc potissimum Aristotelis proprium esset, ut ipse loquens doceret, sic non facile videris, quid sit, quod de ea re veteres aliter senserint. An ideo aliter statuebant, quod Aristotelis dialogos quosdam habebant, temporis iniqui-

209) Hoc verum esse, alterum locum alteri repugnare et contrarium esse, sic breviter perspicias: Aristotelius mos est, quum scriptor dialogi ex sua persona loquitur et principatum tenet. Atqui in libris de Oratore scriptor dialogi nec ipse loquitur nec principatum tenet. Ergo non est in iis Aristotelius mos. At vero Aristotelio more scripti sunt. Sequitur, ut in eadem re alter locus alteri repugnet et contrarius sit. 210) p. 58, Not. 127 et 128.

tate nobis ereptos? At ii sane haud ita multi, ut aliquo numero haberi possent. Nec vero recte mos dici potest id, quod in singulis tantum rebus aut paucis locum habet. Et adjuvat nostram sententiam locus ille supra jam commemoratus ad Quintum fratrem[211]), ubi quum sermo de libris de Republica esset, Cicero a Sallustio se admonitum esse ait, multo majore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse (Cicero) loqueretur de republica, praesertim quum esset non Heraclides Ponticus, sed consularis et is, qui in maximis versatus in re publica rebus esset: quae tam antiquis hominibus attribueret, ea visum iri ficta esse. — »Aristotelem denique quae de re publica et praestante viro scribat ipsum loqui«. Quaesiveris, quodnam Aristotelis scriptum eorum, quae ad rempublicam pertineant, Sallustius significare voluerit. Plura enim ejus scripta ad rempublicam pertinentia a veteribus commemorantur. In qua quaestione vix dubitari poterit, quin a Sallustio significati sint illi octo libri Politicorum, quos tantum solos ex multis fortuna reliquos esse voluit. Nam ut Platonis decem sunt libri de Republica, Aristotelis octo Politicorum, sic Cicero voluit sine dubio suum exstare apud posteros aliquod de republica opus excellens, quod cum illis conferri possit, quum fere in nulla re Graecis cedere vellet[212]). Itaque et sermo, sane luculente, in novem libros distributus erat et aliunde comparatum, quod orationi pondus et dignitatem afferre posset. Quod quum Sallustius non ignorasse videtur, de dialogo eum aliquo Aristotelis Ciceroni imitando cogitasse vix credibile est. Aut enim nulli ii erant de republica omnino, aut si erant etiam, certe haud ita magnae molis, ut exempla sibi eos scribendi Cicero esse vellet. Quae si ita

211) III, 5. 1. 212) Cfr. etiam *Tuscul. Disput.* II, 2, 5 sq.

sunt, nonne satis graves causae nos impediunt, quominus, quod nostro loco de Aristotele dicatur, »ipsum loqui«, ad ejus dialogos referendum esse concedamus? Immo significatur illa Aristotelis consuetudo, qua non per dialogicam formam percunctando atque interrogando, sed perpetua oratione ipse loquens Aristoteles disputare solitus sit. Quare si nostrum locum consideramus, haud scio an ille sit Aristotelis mos cogitandus, quo discrepans a Platone res ipsas simpliciter, dialogi forma prorsus abjecta, persequens, quid sibi videret, ex sua persona disserebat, quali forma qui hodie exstant Aristotelis libri conscripti sunt. Quem Aristotelis morem perpetua oratione disputandi quatenus in libris de Finibus Cicero in usum suum converterit et mixtum dialogo consilio suo accommodaverit atque adhibuerit, Attico suo indicandum esse sensit. Quocirca non dubito nostro loco hanc sententiam adjungere: In iis quae his temporibus scripsi, Platonis consuetudine per alienas personas disputantis relicta Aristotelis morem amplexus sum, ita tamen, ut dialogi formam servaverim et ceterorum sermonem ita induxerim, ut penes ipsum (disputationis scriptorem) principatus sit. Quod quum lego »penes ipsum« nescio quomodo in mentem mihi venit veteris illius dicti *αὐτὸς ἔφα, ipse dixit*, quo Pythagorae discipulos magistri sui auctoritatem indicare voluisse notum est, tamquam Cicero ad istud dictum alludens festive atque jocose per *ipsum* se velut inter ceteros colloquentes principem ac magistrum dicere voluerit.

Est igitur omnino nihil aliud significatum, nisi differentia disputandi talis, qualis inter utrumque scriptorem, Platonem dico et Aristotelem, intercedebat. Quam etsi Cicero significavit, tamen sic quoque Platonem aliquo modo imitans, quod dialogi formam retinuit Attico amicissimo indicare certe potuit, quid esset, in

quo Aristotelium morem cerni vellet. Atque sic quidem, quae de Aristotelis disputandi ratione scimus cum ex ipsius libris hodie exstantibus, tum ex aliorum de ea velut veterum interpretum, testimoniis, quaeque aliunde satis probabiliter colligere possumus, ut inter se consentiant, aliquo modo effici posse videtur.

Hanc nostram sententiam siquis minus comprobaverit, equidem non repugnaverim, si ipso nostro loco tamquam teste utens Aristotelem in suis dialogis ipsum loqui et principatum obtinere solitum esse credat, in eaque re Ciceronem ejus consuetudinem secutum ex sua ipsum persona dixisse, atque hunc esse Aristotelium morem, quem Cicero isto loco indicare voluerit. Atque sine dubio multo id esset commodius et ad nostrum locum interpretandum facilius, si modo etiam aliunde constaret dialogos Aristotelem, in quibus ipse locutus sit, scripsisse. Quae res quia ejusmodi est, ut vix umquam, deficientibus testimoniis, satis ad liquidum perduci possit, *ἐπέχομεν*.

Sed utcunque sese haec res habet, illud modo certum stet, duos Aristotelios mores, quod quidem ad Ciceronem attinet, inter se distinguendos esse, unum in quo, ut ipse in utramque partem disputabat, sic etiam in ea re adolescentes exerceret, alterum, ut e sua persona diceret, quod factumne sit etiam in dialogis, an illa Aristotelis ratione, quae hodie ex ejus scriptis cognosci potest, incertum est. — Nisi forte sunt, qui negent fieri potuisse, ut, quemadmodum in alia re alius uniuscujusque hominis mos atque alia consuetudo sit, sic Aristotelis quoque in alia re alius mos atque usus fuerit.

At, dixeris, quorsum haec tam multa de Aristotelio more? Quia nobis quidem persuasum est, neminem posse Ciceronis philosophandi rationem recte intelligere, nisi qui bene perspectum habeat, quae sit

apud eundem istius moris ratio et finis[213]). Et habet praeterea iste quidem mos seu ratio in utramque partem disputandi multum sane, quo Ciceronem egregiam suam dicendi praestantiam ostentare moleste feramus, ut sine ulla dubitatione de se ipso praedicat, ubi Crassum dicentem facit[214]), eum esse verum, eum perfectum, eum solum oratorem, qui Aristotelio more de omnibus rebus in utramque partem possit dicere et in omni causa duas contrarias orationes explicare, et quae similia ibi dicit, nam sibi id perfacile esse ipse in contrariam partem dicendo ibidem satis luculente probavit. Eodem modo magna philosophiae cognitione se instructum esse Aristotelii moris ope prae se ferre potest. Quin etiam quod jam Socratis hanc rationem fuisse ait, ut contra omnia dissereret, eamque repetitam ab Arcesila, confirmatam a Carneade dicit, quae quamquam usque ad suam aetatem viguerit, tunc tamen propemodum in Graecia ipsa propter hominum tarditatem orba sit, nonne, quum hujus rationis patrocinium se suscepisse profiteatur, eodem se quo illos in philosophia dignitatis gradu collocari vult seque illis summis philosophis parem esse judicari, quorum ingenii acumen novas interdum philosophandi vias aperuit, praesertim quum dicat oportere habeat non singulas tantum, sed omnes disciplinas perceptas is, cui veri reperiendi causa contra omnes philosophos et pro omnibus dicere propositum sit[215])?

Sed tamen etiam alio ista disputandi ratione consilio Cicero usus est, quod haud scio an summopere probandum sit. Quum enim fortuna unius Caesaris po-

---

213) Quale aliquid fere accidisse videtur nostris diebus *Bunsenio*, qui vellem magis Aristotelii moris rationem cognitam habuisset; multo tum rectius de Cicerone judicaturus fuisset. Cf. ejus libr. qui inscribitur: Gott in der Geschichte. Lipsiae 1857 sq. Vol. II, p. 579 sqq. 214) De *Orat.* III, 21, 80. 215) Cfr. De *Nat. Deor.* I, 5, 11.

testati et arbitrio omnem reipublicae administrationem tradere voluisset, Ciceroni pro ereptis rei publicae muneribus studium philosophiae velut multo digniorem eo occupationem tribuit, quo non solum aetatis molestias levare posset, sed etiam ab omnibus eum omnium temporum hominibus gratiam inire necesse esset[216]. Itaque omnem philosophiam e Graecia in Italiam transferendam suscepit et quae philosophorum principum sententiae maxime tum vigebant, omnes scribendo Latinis litteris illustrare coepit. In quibus disciplinis suis hominibus explicandis quid potuit ei aptius videri quod adhiberet, quam ipse ille in utramque partem dicendi mos Aristotelius, quem jam in aliis causis amplexus erat, quum diversae de eadem re sententiae dicendae atque explicandae erant? Jam igitur hunc morem ita secutus est, ut quae cujusque disciplinae de quaque re placita ac praecepta erant, aut ipse pertractaret aut uni alicui ex suis civibus, penes quem earum rerum cura aliqua insignis esse existimabatur, peroranda traderet modo perpetua oratione, interdum ita, ut sermonis instar brevioribus aliorum interpellationibus, interrogationibus, quibus respondendum esset, talibus, locus relinqueretur. Atque de quibus tum maxime quaestionibus inter se philosophi dissentiebant, quas sententias probabant, quas rejiciebant, quasque ipse maxime pertinere arbitrabatur vel ad vitae institutionem vel ad doctrinam, de iis mirum quantum in suis libris copiosus est, quia noluit nec

216) Non enim sumus ii, qui in *Th Mommsenii* verba; juremus, qui multa nefarie in Ciceronem animadvertere non erubuit. Cfr. ejus: Römische Geschichte Dritter Band. Berlin, 1856 p. 572 sqq. Multo rectius de Cicerone *Bunsenius* haec: „Er war mehr als ein Römer, er war ein Mensch und hatte ein Herz für die Menschheit. Wer dieses verkennt, zeigt darin sich weder als Philosoph noch als Historiker". Cfr. ejus librum qui inscribitur: *Gott in der Geschichte*. Pars II p. 582.

suos homines nec posteriores in earum rerum ignoratione versari, quas nescire eruditissimum quemque turpissimum esset. Jam quod quacunque re posset, prodesse voluit quam plurimis, se praestitit talem, qualem justa laude prosequare. Accedit quod praeterea plurima nos docuit, quae quia fontes, unde hauriri possent, evanuerunt, frustra scire cupiveris. Quae quum ita sint, nemo, opinor, ita in eum ingratus erit, ut quot ejus quantaque in philosophiam merita sint, unquam ex memoria deponere velit. Horum autem de philosophia meritorum nobis quidem persuasum est principalem causam fuisse ***Aristotelium morem***, qui eum non modo coegit in quaque re tractanda quam accuratissimum esse et cum diligentia versari quam maxima, sed etiam si non omnium, at plurimorum tamen, qui et tum et antea florebant philosophorum doctrinas explicare et cuique earum rerum studioso tradere passus est.

At, dixeris, quae scripsit, *ἀπόγραφα* sunt. Et recte quidem et propter id ipsum eo pluris sunt nobis aestimanda, quo majorem, si *ἀπόγραφα* tantum sunt, earum rerum, quas continent, fidem facere possunt. Verum enimvero is mos est hominum plurimorum, — remotissimus sane ab isto Aristotelio — ut quibus ipsi multo inferiores sunt, eorum de fama stolida arrogantia judicent et detrahant, quasi vero, dum alterius laudes extenuant et tamquam nitedulae arrodunt, ipsi aliquid gloriae consequantur [216 a]).

Reliquum est, ut paucis verbis attingamus eam quaestionem, de qua inter viros doctos magna controversia est, quae Ciceronis ipsius sententia sit, quum in istis diversarum philosophiarum sententiis explicandis isto quo diximus modo in utramque partem dis-

---

216 a) Haec sint Mommsenio dicta!

putet. Quod quamquam ex se ipso quaeri non vult[217]), tamen de ea re satis judicare possumus. Atque illud quidem certum est, Ciceronem eam philosophandi rationem esse secutum, quae novae Academiae, inprimis Arcesilai et Carneadis auctoritate firmata et recepta erat[218]). Qua ratione qui philosophabantur, tantum aberat, ut certa quaedam probarent, ut omnino quidquam percipi posse aut sciri negarent[219]). Quum enim omnibus enuntiatis, quae vera esse viderentur, falsa quaedam admista crederent, et nullam inesse nec in rebus ipsis nec in sensibus nec in conclusione rationis atque dialectica[220]) vera a falsis distinguendi notam, quae certa esset, in omnibus rebus dijudicandis sapientem assensum cohibere voluerunt et id tantum sequi, quod probabile et verisimile esset. Itaque contra omnium sententias, qui aliquid affirmare vellent, studiose disputabant, atque in ea arte tota fere hujus philosophiae vis posita erat, non ut viderent, quid verum esset, quippe quod cerni posse negarent, sed quid contra alterius sententiam probabiliter dici posset[221]). Quod nescio an eodem fere redeat, quasi suo quemque judicio uti jusserint[222]). Nec aliud quidquam Cicero significare voluisse videtur, ubi curiosius quam necesse sit, eos facere ait, qui quaerant, quid de quaque re ipse sentiat, quasi magis auctoritatis quam rationis momenta quaerenda sint. Quapropter ut quidquid probabilitate aliqua animum ejus moverat, id vehementer arripuit[223]), sic suum cuique judicium liberum re-

317) De *Nat. Deor.* I, 5, 10 cf. *Tusc. Disp.* V, 4, 11. 218) De *Nat. Deor.* I, 5 11. 219) *Cic. Acad.* I, 12, 44 sq. 220) *Cic. Acad.* II, 28, 91 sqq. 221) Cf. *Cic.* de *Orat.* III, 18, 67 sq. 222) *Tusc. Disp.* IV, 3, 7. V, 29, 83. — Quare etiam contra se scribi tantum abest ut nolit, ut id maxime optet. ibid. II, 2, 4. Nec quum Academicus esset, aliter sentire poterat. 223) *Tusc. Disp.* V, 11, 33; de *Offic.* III, 4, 20.

liquit[224]), in probandis iis doctrinis quae sive ad vitam instituendam pertinere, sive ad verum cognoscendum proxime accedere arbitrabatur. Quae quum ita sint, errare videntur ii, qui quae contra quemque aut ipse interdum disputet[225]) aut alium disputantem faciat, ea omnia ex ipsius sententia semper dicta esse existimant. Immo vero ut omnino consuetudo hominum fert, ut sua quisque contra alterum maxime firmata et munita esse velit, sic etiam diversae philosophorum disciplinae semper ex veritate describendae et designandae erant, sive ipse sive alius loquebatur. Quare ejus ipsius disciplinae, cui maxime addictus erat, Academiam novam dico, multa erant commemoranda atque inducenda, quae vix umquam ab eo probata esse credideris. Velut ubi Cottam impugnantem inducit Stoicorum rationem[226]), qui omnia pulcherrime facta et divina mente regi et non solum universo hominum generi, sed etiam singulis a diis immortalibus consuli et provideri censebant. Cave enim credas ista ipsa fuisse placita Academiae novae, quae ut nulla fere erant omnino, sic ne probari quidem ac confirmari nec refelli poterant. Immo nihil nisi ratio erat Academicorum sustentanda, ex qua contra Stoicos disserebant, eorumque magis argumenta confutare volebant, quam ipsi quidquam quod affirmandum aut assensione probandum esset, statuere.

---

224) Cf. De *Nat. Deor.* III, 1, 1. 225) Ut quum paradoxa quaedam Stoica peculiari libello defendat eademque in libris de Finibus oppugnet. 226) De *Nat Deor.* lib. III. Cfr. in re simili *L Furius Phil.* apud *Cic.* de *Rep.* III c. 5, qui quidem in ea sententia, quam tuendam suscepit, indicare voluit, quam id aliena oratione, quae erat *Carneadis*, faceret. Et nostro quoque loco Cotta Carneadis sive dubitationes sive disputationes tradit. Ipse autem Cicero quid de his rebus senserit, breviter ab eo expositum habes de *Legg.* II, c. 7. Cfr. quae de hac re egregie disputat *Krischius* Forschungen etc. p. 9 sqq.

Atque in eo recte fecisse videntur. Quum enim veritas, ut Democritus censebat, in profundo sit demersa nec ab ullo vel homine vel saeculo aut possideri tota aut cerni sincera aut penitus explorari posse videatur, hoc quidem a Deo optimo maximo nobis assignatum esse munus credamus, ut vero quam fieri potest maxime, semper propius accedamus, quod ut fieri possit, Aristotelius profecto mos in utramque partem disputandi haud ultimo loco habendus est.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 7 lin. 5 in not. ab im leg. *253* pro 353.
„ 9 „ 2 in textu ab im. insere *non* ante *est.*
„ 13 „ 16 insere *tam* ante *clarus* et *qui* ante *maxime.*
„ 15 „ 20 leg. *solet* pro *solent.*
„ 16 „ 4 insere *colloquentes* ante *traducere*
„ 19 „ 4 ab im. post *Quid autem* pone interrogationis signum.
„ 24 „ 3 et 1 ab im. pro *quomodo* et *sit* lege *quod* et *est.*
„ 25 „ 7 ab im. lege *Νήρινθον* pro *Νηρινθον.*
„ 26 „ 5 leg. *de integro* pro *denuo.*
„ 30 „ 4 in not. leg. *διαυγεῖς* pro *διαγεῖς.* — Ibid. lin. 7 leg. *ἐμηχανήσατο* pro *ἐμηχανησατο.*
„ 32 „ 1 in not. leg fol. *b* pro fol. *6.*
„ 34 „ 10 pone *comma* post *plurimum.*
„ 39 „ 5 in textu ab im. leg. *ignavus* pro *ignarus.*
„ 42 „ 11 leg. *proximi* pro *proxime.*
„ 45 „ 1 in nota leg. *I, 35, 27* pro *I, 35.*
„ 48 „ 16 leg. *γὰρ* pro *γάρ.*
„ 49 „ 2 adde annot. ad [113]); locus, qui citatur, est *Magn. Mor.* I, 4, 1—4.
„ 51 „ 8 et 9 in not. leg. *γίγνηται* pro *γίγνεται.* — Ibid. lin. 11 post *τέχνην* pone interrogationis signum. — Ibid. lin. 14 corrige *γ'* pro *γε.*
„ 60 „ 14 lege *quoad* pro *quod.*
„ 63 „ 1 in not. ab im. leg. P. *58* pro p. *48.*
„ 66 „ 1 in not. ab im. leg. P. *58* pro P. *48.*
„ 67 „ 7 post *possit* pone signum interrogationis.
„ 72 „ 1 post *dicere* pone signum interrogationis.
„ 73 „ 15 et 16 post *nec* leg. *ignorat* pro *ignoras.*
„ 76 „ 16 pro *Aristotelis* lage *Aristotelio.*
„ 77 „ 6 lege *his* pro *hic.* — Ibid. in not. lin. 9 pone *colon* post *mirum* et perge: *ne civitates quidem* cet. — Ibid. lin. 11 post *contemtum* pone interrogationis signum.
„ 78 „ 7 post *partes sint* pone interrogationis signum.
„ 79 „ 3 ab im. post *refellit* pone interrogationis signum.

Alia minoris momenti errata lector humanissimus ipse benevole corrigat.

(2)

UEBER DEN

BEGRIFF DES WORTES

ΦΑΝΤΑΣΙΑ

BEI ARISTOTELES.

INAUGURAL - DISSERTATION

ZUR

ERLANGUNG DER PHILOSOPHISCHEN DOCTORWÜRDE

IN GÖTTINGEN

VON

J. FREUDENTHAL.

GÖTTINGEN,

DRUCK DER UNIVERSITÄTS-BUCHDRUCKEREI VON E. A. HUTH.

1863.

Dem

hochwürdigen Herrn Director

Dr. Z. Frankel

in Breslau

in treuer Liebe

gewidmet.

Nicht bloss Völker, Künste und Wissenschaften haben ihre Geschichte, sondern auch Worte und Begriffe, deren Bedeutung und Auffassung wandelbar ist, wie die Dinge, denen sie entsprechen, wie die Wissenschaften, deren Inhalt sie ausmachen, wie das Denken der Menschen selbst nach Köpfen, Ständen, Völkern und Zeiten verschieden ist. Diese Entwickelung vollzieht sich zwar leise und fast unmerklich, wirkt aber mit unwiderstehlicher Macht. Empirische Erfahrung und speculative Betrachtung üben ihre Kraft an den Worten, fast jeder neue grosse Gedanke, der einen bestimmten Begriff zum Gegenstande hat, schiebt eine neue Bedeutung hinein, scheidet eine alte aus und setzt so einen dauernden Niederschlag in ihm ab. Kurz, mit Ausnahme der mathematischen giebt es wenig Begriffe, deren Inhalt nur einige Jahrhunderte hindurch und bei demselben Volke gänzlich unverändert geblieben wäre. Daher ist denn auch die wissenschaftliche Bestimmung vieler Begriffe eine der schwierigsten Aufgaben der Naturforschung und die Geschichte der Philosophie ist an die Entwickelung weniger Begriffe geknüpft, an die Begriffe Gott, Substanz, Seele.

So hat denn auch das Wort *φαντασία* eine reiche Geschichte, die sich durch mehre Jahrtausende hindurchzieht. Lange Zeit mag es gesprochen worden sein, ehe Platon [1]) kam und es in einer Bedeutung anwendete, die allein ihm seine Bedeutung für die Psychologie gab, aber noch waren die vulgäre und diese psychologische Bedeutung unentwirrt beisammen. Erst Aristoteles hebt die psychologische Seite scharf und streng hervor, und sieht diesen Begriff als den Quell an, aus dem viele der wichtigsten Phänomene des See-

---

[1]) Ed. Müller, Geschichte der Theorie der Künste I, 42. Dass schon Xeniades und Protagoras *φαντασία* in psychologischem Sinne angewendet haben (nach Sext. Emp. adv. Mathem. VII, 53. 60), ist höchst unwahrscheinlich.

lenlebens hervorgehen. Seine Bedeutung steigt noch in den Philosophenschulen der Griechen nach Aristoteles, Philostratus giebt ihm auch für die Aesthetik sein volles Recht [1]), in wenig veränderter Gestalt und Bedeutung tritt das Wort dann ein in die romanischen und germanischen Sprachen und behält seinen Werth für Psychologie und Aesthetik bis auf unsere Tage.

Hier nun soll es versucht werden, die Bedeutungen, die dieses Wort bei Aristoteles hat, zu erkennen und aus einzelnen Lehren und Andeutungen, die über das ganze Corpus aristotelischer Schriften zerstreut sind, die aristotelische Theorie der *φαντασία* im Zusammenhang darzustellen Das Gelingen dieses Versuches wird aber wesentlich gefördert werden, wenn zuvor wenigstens einige wichtigere Stellen über *φαντασία*, bei denen eine Abweichung von den früheren Erklärungen [2]) nothwendig schien, näher betrachtet worden sind.

Der aristotelische Text zur Lehre von der *φαντασία*.

de anima 1, 4. 408 b 15: *τοῦτο δὲ μὴ ὡς ἐν ἐκείνῃ τῆς κινήσεως οὔσης, ἀλλ᾽ ὁτὲ μὲν μέχρι ἐκείνης, ὁτὲ δ᾽ ἀπ᾽ ἐκείνης, οἷον ἡ μὲν αἴσθησις ἀπὸ τωνδί, ἡ δ᾽ ἀνάμνησις ἀπ᾽ ἐκείνης ἐπὶ τὰς ἐν τοῖς αἰσθητηρίοις κινήσεις ἢ μονάς.*

Die Erklärungen der letzten Worte *ἡ δ᾽ ἀνάμνησις — μονάς* bei Philoponus und Simplicius werden von Trendelenburg zu Aristoteles de anima p. 270 f. mit Recht zurückgewiesen. Er selbst erklärt sie folgendermaassen: „Recordatio cum imaginandi facultate intime conjunta. . . . Ita inest vita (sc. memoriae) ut quod meminimus videre vel audire nobis videamur. Quod in recordatione motus ad ipsa usque sensuum instrumenta procedere dicuntur, id ultra veri fines dictum esse videatur . . . . Aristoteles, qui imaginationem motum esse ostendit ab efficaci sensu profectum (III, 3. §. 13 sqq.)

[1]) Ed. Müller a. a. O. II, 316.

[2]) Zumal da, wo ich gezwungen zu sein glaubte, von den Erklärungen eines Bonitz, Brandis, Trendelenburg, Zeller abzuweichen, ohne deren Werke dieser Versuch unmöglich hätte unternommen werden können.

quoniam recordatio imaginationem excitat, recordationi motum ab anima versus sensus inesse, jure suo dicere potuit."

Ausser dem eigenen Geständnisse Trendelenburg's „id ultra veri fines dictum esse", muss man gegen diese Erklärung einwenden, dass zwar die Bewegung der Sinne (*κινήσεις*), aber nicht die Ruhe (*μονάς*), welche durch die Rückerinnerung erzeugt werden soll, erwiesen worden ist.

Brandis Aristoteles und seine akad. Zeitgenossen 2te Hälfte S. 1089 übersetzt: „Die Bewegung reicht bald bis an die Seele, bald geht sie von ihr aus; in ersterer Weise verhält sich's mit der von den Organen ausgehenden und zur Seele hingehenden Wahrnehmung, in der andern mit der von der Seele ausgehenden und Bewegung oder Ruhe in den Sinnesorganen erregenden Wiedererinnerung."

Gegen diese Erklärung, die dem Simplicius folgt, ist auch wesentlich dasselbe, was Trendelenburg gegen Simplicius geltend macht, einzuwenden: In Aristoteles' Worten liegt nicht: „die Bewegung oder Ruhe erregende Wiedererinnerung", sondern: „die Rückerinnerung ist eine Bewegung von der Seele hin zu den *κινήσεις ἢ μονὰς ἐν τοῖς αἰσθητηρίοις*". Ferner sieht man zwar ein, wie eine Bewegung, nicht aber, wie Ruhe unmittelbar durch die Rückerinnerung erzeugt werden kann.

Der Sinn der Stelle scheint daher folgender zu sein: In den Sinnorganen bleiben nach dem Verschwinden der Sinneswahrnehmungen Affectionen zurück, die Aristoteles *κινήσεις* oder auch *μονὰς* an mehren Stellen nennt [1]). Die *ἀνάμνησις*, eine Rückerinnerung durch Ideenassociation, gleicht dem Schlusse [2]), geht also von der Seele aus hin zu den Affectionen, die in dem Sinnorgane, einem allerdings „inanime quoddam receptaculum" [3]), zurückgeblieben sind. Die Stelle ist also zu übersetzen: „So geht die Wahrnehmung von den Einzeldingen, die Rückerinnerung aber von der Seele

1) Anal. post. II, 19. 99 b 36: *ἐνούσης δ' αἰσθήσεως τοῖς μὲν τῶν ζῴων ἐγγίνεται μονὴ τοῦ αἰσθήματος* ... de ins. c. 3. 461a 18: *τὰ φαντάσματα καὶ αἱ ὑπόλοιποι κινήσεις* ... de anima III, 2. 425 b 24: *διὸ καὶ ἀπελθόντων τῶν αἰσθητῶν ἔνεισιν αἱ αἰσθήσεις καὶ φαντασίαι ἐν τοῖς αἰσθητηρίοις.*

2) de mem. c. 2. 453a 9.

3) S. 19 f.

aus hin zu den in den Sinnorganen befindlichen Affectionen oder Rückständen." [1])

Aehnlich Themistius, genau dasselbe bei Argyropylus: „recordatio autem ab illa, ad eos motus vel status, qui sunt in ipsorum sensuum instrumentis."

de anima II, 2. 413 b 21: *καὶ γὰρ αἴσθησιν ἑκάτερον τῶν μερῶν ἔχει καὶ κίνησιν τὴν κατὰ τόπον, εἰ δ' αἴσθησιν, καὶ φαντασίαν καὶ ὄρεξιν· ὅπου μὲν γὰρ αἴσθησις, καὶ λύπη τε καὶ ἡδονή, ὅπου δὲ ταῦτα ἐξ ἀνάγκης καὶ ἐπιθυμία.*

Aus den Worten *καὶ φαντασίαν* würde folgen, dass, wie hier die zerschnittenen Theile der Insecten, so alle Thiere, die Wahrnehmung haben, zugleich *φαντασία* besitzen müssten.

Dem widersprechen aber viele andere Stellen: Gleich im folgenden Cap. 3. 415 a 10 heisst es: *τοῖς μὲν οὐδὲ φαντασία.* Ferner: de anima III, 3. 428 a 9. 22. 24. Anal. post. II, 19, 99 b 36. Metaph. A, 1. 980 a 28 und zweifelhaft bleibt es, ob auch nur eine Art von dunkeler *φαντασία* bei niederen Thieren vorhanden sei: de an. II, 3. 414 b 16 und III, 11. 434 a 4. Auch unterbrechen die Worte *καὶ φαντασίαν* den Zusammenhang, denn durch den Satz *ὅπου μὲν γὰρ* u. s. w., der doch das Vorhergehende beweisen soll, wird nur begründet: *εἰ δ' αἴσθησιν, καὶ ὄρεξιν,* nicht aber, dass, wo *αἴσθησις* sei, nothwendig auch *φαντασία* vorhanden sein müsse.

Dass *καὶ φαντασίαν* zu streichen sei, wird noch klarer, wenn man eine Parallelstelle neben den Text stellt: 414 b 1 (vgl. de somno 1. 454 b 29): *εἰ δὲ τὸ αἰσθητικὸν καὶ τὸ ὀρεκτικόν .... ᾧ δ' αἴσθησις ὑπάρχει τούτῳ ἡδονή τε καὶ λύπη καὶ τὸ ἡδύ τε καὶ λυπηρόν, οἷς δὲ ταῦτα καὶ ἡ ἐπιθυμία.*

Wodurch die Verderbung entstanden und ob vielleicht von Aristoteles statt *καὶ φαντασίαν* ein *φαίνεται* geschrieben worden sei, muss zweifelhaft bleiben.

de anima III, 3. Der Zusammenhang dieses Capitels, dem einzigen, in welchem Aristoteles die *φαντασία* als solche in grösserer Ausführlichkeit bespricht, ist folgender:

---

[1]) Ein die Bedeutung von *μονή* deckendes deutsches Wort konnte ich nicht auffinden. „Bleibsel" oder „Stand" sind leider ungebräuchlich.

Im 12. Cap. des 2., sowie in den zwei ersten Cap. des 3. Buches war von Aristoteles die Wahrnehmung im Allgemeinen besprochen worden. Im Anfange des 3. Cap. wird die Ansicht widerlegt, Denken sei nichts wie eine Art des Wahrnehmens (*ἐπεὶ δὲ — καὶ λόγος* 427 a 17 — b 14.). Dann kommt eine Abschweifung zur *φαντασία*, die in ihrer Verschiedenheit vom Denken, insbesondere von der *δόξα* durch mehre Gründe nachgewiesen wird (*φαντασία γὰρ — θαρραλέα* b 24). Aristoteles wendet sich zum Denken zurück, giebt eine kurz vorher angeführte Eintheilung desselben, theilt dann das gesammte Gebiet des Denkens in *φαντασία* und *ὑπόληψις* und wendet sich zuerst zur Besprechung der *φαντασία* (— *λεκτέον* b 29). Sie ist weder *αἴσθησις* (— *ὁράματα* 428 a 16), noch *ἐπιστήμη* oder *νοῦς* (— *καὶ ψευδής* a 18), noch *δόξα* (— *ἡ φαντασία* b 10). Der Angabe ihres wirklichen Wesens oder vielmehr ihres physiologischen Grundes (— *γιγνομένη* 429 a 2) folgt eine Ableitung ihres Namens und eine kurze Bemerkung über ihre Bedeutung für Thiere und Menschen.

Wie diese Uebersicht zeigt, steht Alles in genauem Zusammenhange bis auf die Stelle 427 b 14—24. Dieser Mangel des Zusammenhanges zeigt sich auch sprachlich. *φαντασία γὰρ ἕτερον καὶ αἰσθήσεως καὶ διανοίας* soll die vorhergehende Behauptung begründen oder doch erläutern, dass Wahrnehmung und Denken verschieden seien, 1) weil *ἡ αἴσθησις τῶν ἰδίων* immer wahr, das Denken aber auch falsch sei; 2) weil Wahrnehmung allen Thieren, Denken nur den Menschen zukomme. Aber wie soll das möglich werden? Ist es klar und verständlich, wenn Brandis a. a. O. S. 1125 übersetzt: „Auch ist die Wahrnehmung der jedem Sinne eigenthümlichen Gegenstände stets wahr und allen Thieren gemeinsam, das Denken wahr oder falsch und nur bei solchen Thieren zu finden, die der Vernunft theilhaft; denn von beiden müssen wir das Vorstellen unterscheiden" u. s. w.?

Jul. Pacius in seinem Commentar zu de anima giebt folgende Erklärung des *γάρ*: „— probat enim distinctionem inter sensum et ratiocinationem ex eo quod inter utrumque collocatur phantasia, quae ab utroque separatur, nam si ambo extrema differunt a medio, multo magis differunt inter se."

Aber diese Erklärung ist viel zu gekünstelt, um für wahr gelten zu können.

Besser könnte man es folgendermassen zu erklären suchen: „Wahrnehmung“, so hiess es vorher, „kommt allen Thieren zu, Denken nur wenigen.“ (Dem darf man nicht einwenden, dass ja die *φαντασία* eine Art von *αἴσθησις* sei und wie das Denken nicht allen Thieren zukomme), „denn die *φαντασία* ist verschieden von Wahrnehmung und Denken.“

Dass ähnliche Ergänzungen bei Aristoteles zuweilen gemacht werden müssen, steht fest; dass sie aber so viel voraussetzen und hineinschieben dürfen, ist höchst zweifelhaft.

Andere Bedenken gegen die Stelle sind folgende: Die Eintheilung des *νοεῖν* 427 a 27 und der Uebergang zur nachfolgenden Betrachtung über die *φαντασία*, sieht gar nicht aus, als ob Aristoteles schon früher in 2 Paragraphen über *φαντασία* gesprochen habe.

Der in §. 8—10 gegebene, sehr ausführliche Nachweis, *φαντασία* sei nicht identisch mit *δόξα*, nimmt nicht die mindeste Rücksicht darauf, dass derselbe in unserer Stelle schon geführt ist, und die Worte *λείπεται ἄρα ἰδεῖν εἰ δόξα* 428 a 18 zeigen, dass diese Ansicht noch nicht widerlegt ist [1]).

Dass *φαντασία* und *δόξα* verschieden sind, wird durch folgende Gründe nachzuweisen gesucht:

427 a 17 *τοῦτο μὲν γὰρ τὸ πάθος* (*ἡ φαντασία*) *ἐφ' ἡμῖν ἐστίν, ὅταν βουλώμεθα* (*πρὸ ὀμμάτων γὰρ ἔστι ποιήσασθαι, ὥσπερ οἱ ἐν τοῖς μνημονικοῖς τιθέμενοι καὶ εἰδωλοποιοῦντες*) *δοξάζειν δ' οὐκ ἐφ' ἡμῖν· ἀνάγκη γὰρ ἢ ψεύδεσθαι ἢ ἀληθεύειν.* Dieser Gegensatz ist schief. Von der *φαντασία* wird gesagt, sie stehe in unserer Macht, *ὅταν βουλώμεθα*, also zeitlich;

1) Keine Schwierigkeit macht folgende Stelle: 427 b 16 *ὅτι δ' οὐκ ἔστιν ἡ αὐτὴ νόησις καὶ ὑπόληψις φανερόν.* Soll *νόησις*, wie es der Zusammenhang verlangt, *φαντασία* bezeichnen, so ist der Gegensatz, wie Trendelenburg hervorhebt, höchst unklar ausgedrückt. Unsere Lesart steht durch alle Handschriften und durch Simplicius und Philoponus fest und als blosse Emendation hat margo U kurzweg *φαντασία* statt *νόησις* geschrieben. Der Satz wird klar, wenn man *νόησις* nicht als Subject, sondern als Prädicat fasst und übersetzt: „Dass sie (die *φαντασία*) nun aber nicht dieselbe Art des Denkens ist, wie die Reflexion, (*ὑπόληψις*), ist klar.“ Als Arten der *νόησις* werden *φαντασία* und *ὑπόληψις* einander gegenübergestellt 427 b 28.

von der *δόξα*, sie sei nicht in unserer Gewalt, *ἀνάγκη γὰρ ἢ ψεύδεσθαι ἢ ἀληθεύειν*, also in Bezug auf Wahrheit und Falschheit.

Aber der Gegensatz ist zugleich falsch. Denn auch zu meinen und zu denken steht bei uns, wann wir wollen; vgl. de an. II, 5. 417 b 24: *διὸ νοῆσαι μὲν ἐπ' αὐτῷ ὁπόταν βούληται.* Und umgekehrt, wie die Meinung ist auch die *φαντασία* dem Kriteriüm der Wahrheit und Falschheit unterworfen, wenigstens nach der Ansicht, die Aristoteles in diesem Cap. ausspricht. 428 a 3 (*ἡ φαντασία*) *μία τίς ἐστι τούτων δύναμις ἢ ἕξις, καθ' ἣν κρίνομεν καὶ ἀληθεύομεν ἢ ψευδόμεθα.* — 12. 15. 18 b 17. 28 f. [1]).

Auch der folgende Beweis ist nicht stichhaltig 427 b 21: *ὅταν μὲν δοξάσωμεν δεινόν τι ἢ φοβερόν, εὐθὺς συμπάσχομεν, ὁμοίως δὲ κἂν θαρραλέον· κατὰ δὲ τὴν φαντασίαν ὡσαύτως ἔχομεν ὥσπερ ἂν οἱ θεώμενοι ἐν γραφῇ τὰ δεινὰ ἢ θαρραλέα.* Wie wir viel Furchtbares „meinen“ können, ohne zu erschrecken, so können wir auch durch Bilder der *φαντασία* in Freude oder Schrecken versetzt werden. Vgl. de ins. 3. 460 b 3 f. 462 a 14, Probl. XXX, 7. 956 a 20.

Diese Gründe scheinen hinreichend, um zu beweisen, dass Aristoteles die Stelle *φαντασία γὰρ — θαρραλέα* 427 b 14—24 in diesem Zusammenhang nicht geschrieben habe. Ob sie aber dennoch von Aristoteles herrühre, wie die durchweg aristotelische Ausdrucksweise glaublich macht [2]), oder von Jeman-

[1]) Allerdings herrscht über diesen Punkt bei Aristoteles einige Verworrenheit. Denn de an. III, 8. 432 a 11 wird behauptet, der *φαντασία* komme *τὸ ἀληθὲς ἢ ψεῦδος* gar nicht zu. Dasselbe geht hervor aus de mem. 1. 450 a 25 f., wonach *φάντασμα* ohne alle Beziehung zu einem Objecte sein soll. Aber in unserm ganzen Cap. ist von einer solchen *φαντασία* nicht die Rede. Eine ähnliche Unklarheit ist bei der *αἴσθησις* wahrzunehmen. Nach 428 a 16 *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τῶν ἀεὶ ἀληθευόντων* f. gehört *αἴσθησις* nicht zu diesen *ἀεὶ ἀληθευόντων*. a 11 aber heisst es: *αἱ μὲν* (sc. *αἰσθήσεις*) *ἀληθεῖς ἀεί*, was nach 427 b 11 auf *αἴσθησις τῶν ἰδίων* zu beschränken ist. Eine Einschränkung dieser Einschränkung wird wieder verlangt 428 b 18: *ἡ αἴσθησις τῶν μὲν ἰδίων ἀληθής ἐστιν ἢ ὅτι ὀλίγιστον ἔχουσα τὸ ψεῦδος.* vgl. übrigens Metaph. Γ, 5. 1010 b 1 f. Doch sind dergleichen Nachlässigkeiten noch keine Widersprüche.

[2]) Diese Ansicht würde sich der von Torstrik aufgestellten Hypo-

den zu 427 b 27 hinzugeschrieben worden ist, der sich hier erinnerte, dass *φαντασία* von Aristoteles auch mit *αἴσθησις* gleichgestellt werde, das wage ich nicht zu entscheidsn. Wenigstens muss man mit seinen Folgerungen aus diesem zweifelhaften Stücke zurückhaltend sein.

— 428 a 8 *εἶτα αἴσθησις μὲν ἀεὶ πάρεστι, φαντασία δ᾽ οὔ.* Das ist ein klarer Widerspruch mit dem kurz vorher 428 a 7 Gesagten: *φαίνεται δέ τι καὶ μηδετέρου τούτων ὑπάρχοντος,* sowie mit a 15f., de an. II, 5. 417 b 24f., de ins. 1. 458 b 3f. und vor Allem mit der einfachen Erfahrung, dass wir nicht immer wahrnehmen. Auch scheint im Nachfolgenden durch *εἰ δὲ* ein vorhergehender Grund weitergeführt, nicht aber ein ganz neuer Grund angegeben werden zu sollen.

Wollte man, wie Themistius es zu thun scheint, die Worte umstellend lesen: *εἶτα φαντασία μὲν ἀεὶ πάρεστι, αἴσθησις δ᾽ οὔ,* so vertauschten wir einen offenen Widerspruch mit einer nichtssagenden Tautologie.

Der einzige Ausweg scheint zu sein, statt *ἀεὶ* zu lesen *πᾶσι* sc. *τοῖς θηρίοις.* Dass zu *πᾶσι* nicht, wie unmittelbar nachher, *τοῖς θηρίοις* hinzugefügt ist, sondern ergänzt werden muss, findet sich auch de an. II, 3. 414 a 29.

— 428 b 27 *καὶ ἡ μὲν πρώτη (κίνησις) παρούσης τῆς αἰσθήσεως ἀληθής, αἱ δ᾽ ἕτεραι καὶ παρούσης καὶ ἀπούσης εἶεν ἂν ψευδεῖς, καὶ μάλιστα ὅταν πόρρω τὸ αἰσθητὸν ᾖ.*

πόρρω wird unter Vergleichung von 428 a 12 f. b 2 f. de sensu 448 b 13. de div. 464 a 30 nicht von einer zeitlichen, sondern von einer räumlichen Entfernung zu verstehen sein, durch welche die *φαντασία* am leichtesten getäuscht werden kann. So Argyropylus: „praesertim cum a sensu longe sensibile distat."

Torstrik Comment. zu de anima S. 175 bezieht es auf gänzliche Abwesenheit des Objectes, „praecipue absente re percepta." Nicht ganz klar sagt Brandis a. a. O. S. 1127: „und

---

these einer doppelten Recension von de anima anschliessen, welche, wenn auch sehr zu beschränken, doch wohl für einige Stellen besonders des 3ten Buches anzunehmen ist.

um so leichter wird sie falsch, je mehr sie sich von dieser (der zu Grunde liegenden Vorstellung) entfernt."

Durchaus falsch erklärt Biese die Philos. des Arist. I. 325 die Stelle: „Es wird demnach durch die Aussendinge die Wahrnehmung als die erste Bewegung veranlasst, dann als die zunächst folgende die Einbildungskraft erregt und indem die Wahrnehmung dessen, was jedem Sinne eigenthümlich ist, als die erste und unmittelbarste Empfindung fast gar nicht täuscht, so ist die Einbildungskraft in ihrer grösseren Entfernung von den Dingen der Aussenwelt dem Irrthume mehr ausgesetzt."

de anima III, 8. 432 a 10. *ἔστι δ' ἡ φαντασία. ἕτερον φάσεως καὶ ἀποφάσεως· συμπλοκὴ γὰρ νοημάτων ἐστὶ τὸ ἀληθὲς ἢ ψεῦδος· τὰ δὲ πρῶτα νοήματα τίνι διοίσει τοῦ μὴ φαντάσματα εἶναι; ἢ οὐδὲ ταῦτα φαντάσματα, ἀλλ' οὐκ ἄνευ φαντασμάτων.*

von einander zu unterscheiden seien. Mit einer Meinung sei Glauben, Ueberzeugung und Einsicht verbunden. Wäre nun *φαντασία* nichts wie Meinung, so müssten auch die Consequenzen derselben, also auch Einsicht, allen Geschöpfen zukommen, die *φαντασία* besässen. Viele Thiere aber hätten zwar *φαντασία*, aber nicht Einsicht [1]. Ebensowenig sei sie, wie Platon annahm [2], eine Verbindung von Meinung und Wahrnehmung, wie es in dem Falle möglich wäre, wenn eine Vorstellung sich mit einer undeutlichen Wahrnehmung verbindet und so eine Scheinwahrnehmung erzeugt, von der wir denn in gewissem Sinne zugleich eine Wahrnehmung und Meinung haben. In diesem Falle hiesse Vorstellung oder Einbildung die Meinung über Etwas, das wahrgenommen wird und zwar nicht *κατὰ συμβεβηκὸς* wahrgenommen wird, denn sonst fiele ja *φαντασία* mit *δόξα* gänzlich zusammen [3]. Dass sie nun eine solche Verbindung von *δόξα* und *αἴσθησις* nicht ist, erhellt daraus, dass wir zugleich eine Vorstellung und eine ihr ganz entgegengesetzte Meinung haben können. Der *φαντασία* ist die Sonne fussgross, der Meinung grösser als die Erde. Wäre nun *φαντασία* und *δόξα* identisch, so müsste dasselbe Object in demselben Zeitmomente für dieselbe Seelenthätigkeit zugleich wahr und falsch sein. Das ist aber unmöglich, folglich sind auch *φαντασία* und *δόξα* als zwei verschiedene Seelenthätigkeiten anzusehen [4].

Es möge jetzt, da wir am Ziele dieser Untersuchung sind, erlaubt sein, in kurzer Rückschau die Ergebnisse derselben zusammenzufassen.

---

1) ib. 428 a 22: *ἔτι πάσῃ μὲν δόξῃ ἀκολουθεῖ πίστις, πίστει δὲ τὸ πεπεῖσθαι, πειθοῖ δὲ λόγος· τῶν δὲ θηρίων ἐνίοις φαντασία μὲν ὑπάρχει, λόγος δ' οὔ.* Dass dies nicht zusammen mit dem Vorhergehenden 428 a 19—22 geschrieben sein könne, hat Torstrik erwiesen.

2) Soph. 264 A. B.

3) de an. III, 3. 428 b 1: *τὸ οὖν φαίνεσθαι ἔσται* (nach Trendelenburg's Conj. statt *ἔστι*) *τὸ δοξάζειν ὅπερ αἰσθάνεται μὴ κατὰ συμβεβηκός.* Tr. bezieht *κ. συμβεβηκὸς* auf *δοξάζειν*, aber die Stellung der Worte, wie der angegebene Sinn scheinen zu verlangen, sie auf *αἰσθάνεται* zu beziehen.

4) ib. 428 b 2 f.

Von den drei Bedeutungen, die nachweisbar auch bei Aristoteles das Wort *φαντασία* hat: „äussere Erscheinung", „Schein" und „innere Erscheinung" oder „Vorstellung", war es die letzte psychologisch nutzbare, die Platon zum Nachtheil seines Systems mit anderen Begriffen, mit Wahrnehmung und Meinung, verwechselt hatte. Aristoteles erkennt ihren selbstständigen Werth vollkommen an, sieht aber in der Vorstellungsthätigkeit keine geistige Macht, sondern nur die Function leiblicher Organe. In diesen werden sinnliche Affectionen aufbewahrt, allerdings nicht als todte Massen, nicht als starre Spuren der früheren Wahrnehmungsbilder, sondern als Reize, die, wenn sie nicht durch stärkere Bewegungen gehemmt werden, das Centralorgan der Empfindung, das Herz, abermals afficiren und hiermit die Vorstellungen erzeugen.

Diese mechanische Auffassnng wird von Aristoteles nur insoweit verlassen, als dem Princip seiner ganzen Psychologie entsprechend, alle Thätigkeit der Organe in der Beseelung des Leibes ihren Grund hat. Insoweit ist denn auch die *φαντασία* ein Seelenvermögen. Als Inconsequenz dagegen, die jedoch für die Theorie des Begriffes keine Folgen hat, musste es angesehen werden, dass auch allgemeine Bilder, die erst durch eine Denkthätigkeit erzeugt, Vorstellungen genannt werden.

Die Vorstellung ward nun die Grundlage vieler und wichtiger Erscheinungen des Seelenlebens. Als reproductive Einbildung ist sie die Quelle des Gedächtnisses, der Erinnerung, der Ideenassociation; als productive zeigt sie sich besonders in aufgeregten, leidenschaftlichen oder krankhaften Zustände, in Affecten, in der Fieberhitze, bei Melancholischen, bei verworrenen, undeutlichen Sinneswahrnehmungen und ganz ausschliesslich ist das Traumleben eine Gestaltung dieser Thätigkeit. Aber auch hier muss der Irrthum vermieden werden, als sei es eine selbstthätige, schöpferisch und rein aus sich heraus wirksame Thätigkeit, deren wundersame Macht in diesen Gestaltungen hervorbreche. Die seltsamsten Traumbilder, wie die Täuschungen aufgeregter Leidenschaften, die wirren Bilder des Fieberkranken, wie die herrlichen Gebilde dichtericher Verzückung haben ihren Ur-

sprung in **organischen Zuständen** und in dadurch veranlassten heftigen Bewegungen der Organe, durch welche die Affectionen verwirrt oder umgestaltet werden.

So bleibt durchgängig die Vorstellung oder Einbildung, denn ein vollkommen deckendes Wort war für *φαντασία* nicht aufzufinden, Bewegung des Wahrnehmungsbildes und als solche in innigster Verwandtschaft mit der Wahrnehmung, von welcher sie nur der Aeusserung nach getrennt ist, während Organ und Vermögen bei beiden zusammenfällt. Doch veranlasste es ihre eigenthümliche Mittelstellung zwischen Wahrnehmung und Denkthätigkeit, einige Unterschiede von der Wahrnehmung und andere Aehnlichkeiten mit der Denkthätigkeit, dass sie zuweilen geradezu eine Art der letzteren genannt wurde.

Wenn hiermit Bedeutung, Ursprung, Aeusserungsweisen und psychologischer Ort der *φαντασία* nach Aristotelischer Lehre dargestellt worden ist, so wäre es noch übrig, den Einfluss nachzuweisen, den sie auf das gesammte Seelenleben ausübt. Und Aristoteles erkennt einen solchen sehr wohl an. Die Vorstellung bereichert die Wahrnehmung, der ohne sie das Gebiet des accidentell Wahrgenommenen gänzlich fehlen würde [1]; ohne sie könnte die Sprache nicht zu Stande kommen [2]; sie ist die Vorbedingung des Denkens, dem sie durch die alle Begriffe begleitenden sinnlichen Schemata seine Klarheit giebt [3]; sie wird nebst der Wahrnehmung und dem Denken als Grundlage des Begehrens angesehen [4]) und hat auch für die Kunst die grösste Bedeutung [5]. Aber die Besprechung aller dieser Punkte würde eine Ausführlichkeit verlangen, die mit der Wichtigkeit des Gegenstandes in keinem Verhältniss steht: sie muss daher hier unterbleiben.

---

1) Anal. post. II, 19. 99 b 35 f.

2) de an. II, 8. 420 b 32.

3) de an. I, 1. 403 a 8. — III, 3. 427 b 16. — III, 7. 431 a 17. — b 2 f. — III, 8. 432 a 8. 12. de mem. 1. 449 b 30 f.

4) de an. III, 9. 432 b 16. III, 10. 433 a 9 f. b 28. de motu an. c. 6. 7. 8. 11.

5) de mem. 1, 451 a 8. Probl. XXX, 1. Poet. XVII, 1455 a 32 XXII, 1458 a 34 f.

Uebersicht.

Einleitung . . . . S. 5
Der aristotelische Text zur Lehre von der φαντασία . . . . » 6
Die Bedeutungen des Wortes φαντασία bei Aristoteles . . . . » 15
φαντασία als Seelenthätigkeit: Physiologische Grundlage und psychologische Bestimmungen . . . . » 19
Aeusserungsweisen der Vorstellungsthätigkeit . . . . » 32
Unterschiede zwischen φαντασία und den verwandten Seelenthätigkeiten . . . . » 52

Druck der Universitäts-Buchdruckerei von E. A. Huth in Göttingen.

DE

CAUSA FINALI ARISTOTELEA

SCRIPSIT

GUSTAVUS SCHNEIDER
DOCTOR PHIL.

BEROLINI
TYPIS ET IMPENSIS GEORGII REIMERI
MDCCCLXV.

FRIDERICO ADOLFO TRENDELENBURG

HUNC LIBRUM

PIETATIS ET ANIMI GRATI

MONUMENTUM ESSE VOLUIT

GUSTAVUS SCHNEIDER.

Causa finalis summum est philosophiae Aristoteleae principium. Atque in omnibus doctrinae partibus, ut decet egregium illum philosophum, hanc causam quasi regnare et omnia ex ea apta esse ac suspensa, si rem paullo accuratius inspexeris, facile intelleges. Et tamen ubi maxime expositio eius requiritur plenâ ac perfecta, dico in metaphysicorum libris, pauca de ea proferuntur. Reperitur quidem de fine disputatio in physicorum secundo atque etiam copiosior in primo de partibus animalium libro; sed neutra est eiusmodi, ut nihil ultra desideres, neque si quae loco utroque docentur coniunxeris, toti huic quaestioni satisfactum est. Praeter illos autem libros in scriptis Aristoteleis passim obviam fiunt loci qui ad causam illam spectant atque naturam eius aliqua ex parte aperiunt. Itaque operae pretium facturi esse nobis videbamur, si quae dispersa et dissipata apud Aristotelem leguntur, componeremus et inter se conciliaremus ita, ut omnia ex eodem fonte emanasse appareret. Tali enim modo Aristotelem quae, ubicunque sit, de causa finali protulerit mente fuisse complexum, propter summum eius ingenium credere convenit. At haec quaestio tot tantisque et philologicis et philosophis obstructa est difficultatibus, ut expe-

diendis iis ac removendis iuvenis vix par esse possit. Itaque sperare licet homines doctos in hoc libro iudicando ad ignoscendum futuros esse faciliores. Neve quis nimiae virium confidentiae tribuat, quod opus tam arduum aggressi sumus. Nam ubi ut in causae finalis apud Aristotelem naturam inquireremus in animum induximus, nondum quae essent difficultates perspicere poteramus. Neque hunc librum ausi essemus foras edere, nisi aliis qui doctrinam Aristoteleam probe norunt in explicanda Stagiritae philosophia eo aliquid profecisse essemus visi. Atque, ne implicaremur erroribus, in tota disputatione hoc maxime curavimus, ut devitaremus omnes coniecturas atque existimationes incertas neve quidquam statueremus quod Aristotelis verbis non inniteretur. Sed haec ipsa saepe intellectu admodum sunt difficilia, ita ut nonnumquam alios aliam iis subicere sententiam non sit, cur mireris. Neque raro nobis a reliquorum interpretum explicationibus erat discedendum. Quod ubi accidit in locis qui maioris momenti esse videbantur, cur iis non assentiremur apposuimus argumenta. Quod minime fecimus consilio eo, ut homines illos doctos vituperaremus, sed ob hanc solam causam, ne quid temere statuisse videremur.

Scr. Berolini mens. April. a. MDCCCLXV.

Commentationis dispositio.

1) Quae sint rerum causae ab Aristotele constitutae (p. 1).
2) Unde illas petierit (p. 2—3).
3) Proferuntur et examinantur argumenta quibus ut causam finalem in rerum natura agnoscendam esse demonstraret usus est (p. 3—8).
4) Rei finem contineri opere exsequendo (p. 8—9).
5) Opus exsequendum constituere rei naturam, ita ut causa formalis e causa finali pendeat (p. 9—12).
6) Cogitationis primum esse ultimum ortus (p. 12—14).
7) Causam finalem esse principium motionis (p. 15—16).
8) Quattuor causarum inter se necessitudo consideratur ratione habita Met. Z, 7 (p. 16—18).
9) De materiae apud Aristotelem natura (p. 18—20).
10) Confertur ei materia doctrinae Platonicae (p. 20—21).
11) Formam immotam movere materiam (p. 21—22).
12) Causam materialem Aristotelem e causa finali ducere non potuisse (p. 23—24).
13) Neque magis Platonem voluisse materiam originem habere a deo (p. 24).
14) Causam finalem efficere rei unitatem (p. 25—26).
15) Corporis partes singulas singularum et omnes omnium ratione habita procreari (p. 27).
16) Totum partibus esse prius (p. 28).
17) Partes inferioris gradus servire praestantioribus potioribusque (p. 28—30).
18) Idem cerni in rerum naturalium ordinibus et in vita hominum (p. 30).
19) Hominibus ineundas esse societates (p. 30—34).
20) Finem bonum aliquod esse (p. 34—36).
21) Naturas omnes appetere actum vitam aeternitatem (p. 36—37).
22) Fines hominum esse multos ideoque etiam bona multa (p. 38).
23) Qui finis et quod bonum hominis proprium sit (p. 38—39).
24) Societates quae sint secundum naturam in bonorum numero esse habendas (p. 40).

25) Summum bonum immanens esse mundi ordinem (p. 40—44).
26) De necessitate hypothetica (p. 44—52).
27) Quem locum Plato materiae eiusque viribus tribuerit (p. 52—53).
28) De casu et forte (p. 54—56).
29) De privatione (p. 56—65).
30) Statuendum esse motorem primum (p. 65).
31) Eundem esse immotum, aeternum, substantiam, actum, summum finem (65—67).
32) Eundem esse intellectum atque vita uti beatissima (p. 67—71).
33) Quid sibi velit dictum illud: cogitationem esse cogitationis cogitationem sive intellectum cogitare semet ipsum (p. 71—78).
34) Quid cogitet deus (p. 78—83).
35) Quo deus cogitationes adducat ad effectum (p. 83—85).
36) Quae ratio inter deum et materiam sit, ab Aristotele expositum non esse (p. 85—86).
37) Deo neque quidquam esse praeteritum neque futurum, sed praesentia omnia (p. 86).
38) Deum esse causam essendi et cognoscendi (p. 87—88).
39) Proferuntur aliorum de dei apud Aristotelem natura sententiae (p. 89—98).
40) Occurritur argumento quod aliquis contra nostram de deo Aristoteleo existimationem repetere possit ex idearum doctrina ab Aristotele improbata (p. 98—102).
41) Excursus (p. 103—119).
42) Index locorum ubi codicum verba mutavimus (p. 120).

Admirationem verissime ait Aristoteles et esse et fuisse causam philosophandi [1]). Admiramur enim, ubi rei naturam ignoramus [2]), qua admiratione ipsa ut accuratius in res inquiramus easque studeamus cognoscere adducimur. Cognoscere autem res, id habet hanc sententiam: cognoscere earum causas [3]). In qua indagatione acquiescere in finitis et determinatis non possumus, quippe quae ex aliis suspensa et apta sint, ita ut eorum ipsorum causae sint investigandae. Sic inquisitione ipsa impellimur quasi et cogimur ad primas et absolutas rerum causas quaerendas [4]). Iam hac ratione si res indagamus, ad causas pervenimus quattuor [5]). Primum enim causa dicitur id ex quo substrato aliquid oritur. Deinde causa vocatur forma et exemplar, *τὸ εἶδος καὶ τὸ παράδειγμα*, quemadmodum diapason efficitur ratione quae inter duo et unum intercedit atque in universum numero. Tum causam vocamus id unde profectum est initium rei aut mutatae aut in quietem redactae, quam causae significationem si respicis, is qui suasit est causa et pater filii atque omnino id quod efficit eius quod efficitur causam dicimus. Denique causa est finis et ultimum, cuius gratia aliquid fit, veluti ambulandi causa est salus.

---

[1]) Met. A, 2. 982 b 12: *διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν.* Cf. Plat. Theaet. p. 155 D.

[2]) Met. A, 2. 982 b 17.

[3]) Phys. II, 3. 194 b 17: *ἐπεὶ γὰρ τοῦ εἰδέναι χάριν ἡ πραγματεία, εἰδέναι δ' οὐ πρότερον οἰόμεθα ἕκαστον πρὶν ἂν λάβωμεν τὸ διὰ τί περὶ ἕκαστον.*

[4]) Phys. I, 1. 184 a 12: *τότε γὰρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρώτας καὶ μέχρι τῶν στοιχείων.* Met. A, 3. 983 a 24: *τῶν ἐξ ἀρχῆς αἰτίων*, 983 a 26: *τὴν πρώτην αἰτίαν.* Cf. Bonitz. comment. p. 59.

[5]) Phys. II, 3.

Videmus igitur Aristotelem quattuor quas posuit causas ex ipsa rerum natura earumque consideratione repetiisse. Neque minus id apparet ex metaphysicorum libri primi parte ea, ubi doctrinas a philosophis superioris aetatis constitutas tradit. Profert enim eadem quae iam vidimus rerum principia ineunte capite tertio metaphysicorum libri primi, ubi in hunc ordinem sunt redacta: primum ait causam esse substantiam et notionem substantialem, *τὴν οὐσίαν καὶ τὸ τί ἦν εἶναι,* 983 a 27, deinde materiam et substratum, *τὴν ὕλην καὶ τὸ ὑποκείμενον,* 983 a 29, tum id unde motus exoriatur, *ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως,* 983 a 30, denique id cuius causa aliquid fiat et bonum, *τὸ οὗ ἕνεκα καὶ τἀγαθόν,* 983 a 31. Qua ratione autem ad has rerum causas statuendas perveniamus, etsi diserte non dicit, tamen ex iis quae sequuntur cognoscere licet. Nam proferendis priorum philosophorum doctrinis non modo hoc demonstrare studet, constituta esse haec principia iam ante se a philosophis neque aliud praeterea causarum genus a quoquam esse repertum, verum etiam aliud quid inest. Una enim docet, cum homines progrederentur in rebus considerandis earumque causis investigandis, quin quattuor haec principia agnoscerent, fieri omnino non potuisse, atque ipsa rei natura et veritate, haec principia ut constituerent, philosophos superiores esse coactos [1]). Quod paullo accuratius inspicere ipsa rei gravitate iuberi nobis videmur. Primo quidem philosophos docet non posuisse causam nisi materialem eiusque aut unum aut compluria genera. Quod postquam paucis exposuit proferendis singulis superiorum philosophorum doctrinis, ipsam rei naturam ait illis viam munivisse atque coegisse, ut accuratius in res inquirerent. Nam etiamsi omnis ortus atque interitus ex uno aut e compluribus sit, tamen, quo efficiatur, esse quaerendum. Minime enim, substratum ipsum, ut moveatur, facere posse, nam neque lignum neque

---

[1]) Met. A, 3. 984 a 18: *προϊόντων δ' οὕτως αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ὡδοποίησεν αὐτοῖς καὶ συνηνάγκασε ζητεῖν.* 984 b 9: *πάλιν ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας, ὥσπερ εἴπομεν, ἀναγκαζόμενοι τὴν ἐχομένην ἐζήτησαν ἀρχήν.* Phys. I, 5. 188 b 29.

aes esse causam movendi, nec facere lignum lectum aut aes statuam, sed aliud quid esse mutationis causam. Hanc autem quaerere, id sibi velle, indagare alterum causarum genus, unde exordium sit motionis [1]). Sed cum ne duae quidem causae satis fuerint ad ortum rerum naturamque intellegendam, rursus veritate ipsa philosophos tertiam ut investigarent esse adactos. Quod enim bene et pulchre aliae res se habeant, oriantur aliae, neque ex elementis causam repetere licere neque casui opus tam magnum tamque praeclarum esse tribuendum. Sic impulsos esse philosophos, ut ordinis pulchritudinisque quae in hac rerum universitate cernatur causam statuerent mentem, hoc est, ut constituerent causam finalem. Sin autem finalem sumimus causam, una agnoscamus necesse est causam formalem, quippe quae artissime inter se cohaereant. Ipsa igitur rerum natura philosophos ut quattuor illas causas constituerent adduxit. Quo demonstrato reliqua quae ab Aristotele in metaphysicorum libro primo de superiorum philosophorum sententiis traduntur omittere posse nobis videmur, cum quae adhuc disputata sunt proposito nostro sufficiant. Satis enim comprobatum esse putamus, quattuor quae statuit principia Aristotelem repetiisse ex ipsa rerum natura.

Sed iam progrediamur ad summam quam constituit philosophus causam, ad causam finalem accuratius considerandam. Ac primum quidem argumenta quibus eam in rerum natura obtinere comprobare studuit examinare liceat. Nam homines quidem fines sibi proponere atque persequi posse, demonstratione egere non putavit [2]). Ex illis autem argumentis unum iam vidimus. Ordinem enim ait ac pulchritudinem quae in hac rerum universitate cernatur adegisse philosophos, ut a mente rerum principium peterent. Quod quamvis verissimum esse Aristoteli concedamus atque hominum animos ab omni antiquitate maxime mundi ordinisque eius et pulchritudinis aspectu, ut divinum numen agnoscerent, esse commotos credere conveniat, tamen hoc argumentum satis non esse apparet.

[1]) Met. A, 3. 984 a 18 sqq.
[2]) Eth. Nic. I, 1. in. Polit. I, 1. in.

Nam et fuerunt et sunt, qui talia quoque aut casui aut attractionis et repulsionis aliisque id generis viribus tribuant. Itaque progrediamur ad consideranda argumenta ea quae in physicorum libri secundi capite octavo proponit, ubi[1]) „Dubitationem", ait, „exhibet, quid impediat, quominus naturam non alicuius rei causa operari neque id efficere quod melius sit statuamus, sed omnia facere necessario, quemadmodum Jupiter non pluit, ut segetes crescant, sed necessario. Nam id quod sursum latum est necesse est refrigescat atque decidat, postquam refrigeratum et in aquam commutatum est. Quod autem eo facto segetes crescunt, id per accidens fit. Quid igitur impedit, quominus eadem ratione etiam partes rerum naturalium se habeant, veluti quominus dentes oriantur necessario primores quidem acuti, ita ut idonei sint cibis dissecandis, genuini autem planiores et ad molendos cibos apti, cum non ob eam causam tales facti sint, sed id una evenerit, similiterque etiam in reliquis corporis partibus res se habeat, in quibus finis inesse nobis videtur? Nam credere licet, ubi cunctae partes evenerint tales, quales etiam, si alicuius rei causa exstitissent, ea quidem corpora conservata esse, cum sponte orta sint idonea, quaecunque autem secus, et interiisse et interire, quemadmodum periisse Empedocles dicit boves a priore parte in hominum similitudinem conformatos."

Quibus extremis breviter et obscure significatur ratio qua Empedocles mundi rerumque quae in eo insunt ortum explicare studuerat, cuius opinionis vestigia quae in capite de quo agimus et Phys. II, 4. 196 a 20 seqq. reperiuntur optime composuit Trendelenburgius, Vir Summus, in hunc fere modum[2]): „Dum amor et odium, h. e. vires coniungentes et dissolventes, inter se certant, elementa quaedam et figurae concurrunt. Quae si ita conveniunt, ut postquam concreverunt servari nequeant, res ex iis compositae rursus pereunt, contra partes quae inter se concinunt atque ita, ut conservari possint, con-

---

[1]) Cf. p. 198 b 16 sqq.

[2]) Log. Unters. II, p. 63.

currunt, corpora quae possunt durare efficiunt [1]). Itaque quamvis sponte et fortuito res ortae sint, tamen sunt eiusmodi, quasi per causam finalem sint effectae, quocirca corporis partes alicuius rei causa, h. e. ad certas totique corpori convenientes functiones exhibendas institutae esse nobis videntur. Iam cum non noverimus nisi naturas ita comparatas, ut possint conservari, in rerum natura ubicunque causam finalem valere opinamur."

Contra quam rationem Empedocleam Aristoteles provocat ad constantiam quae in rebus naturae cernatur. Quaecunque enim natura gignantur aut semper oriri eadem ratione aut plerumque, contra ex iis quae casu et fortuito exsistant nihil ita se habere. Non enim casu videri saepe pluere hieme, sed si sub sidere caniculari saepe pluat, neque aestus dici sub stella canina, sed hieme accidere casu. Itaque cum res aut casu et fortuito sint aut ob aliquam causam, talia autem casu fieri nequeant, ob aliquam causam sint necesse esse. Cum vero natura sint talia omnia, in naturalibus rebus causam finalem esse agnoscendam. Qua argumentatione, si quid video, nihil efficitur. Nititur enim notione quam casus atque fortuiti Aristoteles constituit, maxime eo quod casu esse non possint ea quae aut semper aut plerumque eadem ratione eveniant [2]). Sed credendum est, Empedoclem concessisse iterum iterumque elementa concurrisse et rursus fuisse dissoluta, priusquam res quae possent durare exsisterent. Quod idem statuit Lucretius [3]).

---

[1]) Cui rerum ortarum explicationi conferre licet Lucret. V, 415 sqq.

[2]) Phys. II, 5 in.

[3]) Cf. V, 837 sqq.:

Multaque tum tellus etiam portenta creare
conatast mira facie membrisque coorta,
androgynum, interutraque nec utrum, utrimque remotum,
orba pedum partim, manuum viduata vicissim,
muta sine ore etiam, sine voltu caeca reperta,
vinctaque membrorum per totum corpus adhaesu,
nec facere ut possent quicquam nec cedere quoquam
nec vitare malum nec sumere quod foret usus.

Itaque etiam in rationem Empedocleam convenit notio casus quam Aristoteles proponit, dummodo rerum originem respiciamus, non, id quod facit Aristoteles, statum qui secutus est. Constantia autem quae in rerum natura inest, Empedoclem si sequimur, effecta est eo quod interierunt omnia animalium et plantarum genera, exceptis iis quae talia exstiterunt, ut non tantum ipsa durare possent, verum etiam saecla sua propagare. Quid vero contra talem opinionem proferendum sit, optime vidit Cicero qui[1]) „Hoc qui existimat,“ ait, „fieri potuisse, non intellego, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae litterarum, vel aureae vel qualeslibet, aliquo coniciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici; quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna.“

Sed iam pergamus ad considerandum argumentum alterum, quod in eodem physicorum capite reperitur. Ait enim Aristoteles in iis quae argumentum de quo disputavimus sequuntur: „In quibus finis inest, in iis quae priora sunt illius causa efficiuntur. Quam ob rem quemadmodum fit, ita constat unumquidque atque constat ita, quemadmodum fit, nisi quid impediat. Efficitur autem alicuius rei causa, itaque etiam constat huius rei causa. Veluti domus si esset in iis quae natura fiunt, oreretur eadem ratione qua nunc per artem; contra si res naturales non modo natura, verum etiam arte exsisterent, eadem ratione qua nunc natura orerentur. Alterum

---

Cetera de genere hoc monstra ac portenta creabat,
ne quiquam, quoniam natura absterruit auctum,
nec potuere cupitum aetatis tangere florem
nec reperire cibum nec iungi per Veneris res.
Multa videmus enim rebus concurrere debere,
ut propagando possint procudere saecla;
pabula primum ut sint, genitalia deinde per artus
semina qua possint membris manare remissa,
feminaque ut maribus coniungi possit avere,
mutuaque insinuent inter se gaudia uterque.
Multaque tum interiisse animantum saecla necessest
nec potuisse propagando procudere prolem.

[1]) Cf. de nat. deor. II, 37.

igitur alterius causa est. Atque omnino ars alia perficit et absolvit, quae natura efficere non valet, alia, quae a natura perfecta sunt, imitatur. Itaque si quae per artem fiunt alicuius rei causa sunt, etiam naturales res alicuius rei causa esse apparet. Nam eadem ratio in rebus et artis et naturae intercedit posterioribus cum iis quae sunt priora.“ Quod argumentum si paucis complectimur, est hoc: Finis natura est ea, ut quae, ortum si spectas, τῇ γενέσει, sunt priora, ex ultimo et extremo sint suspensa. Quam rationem in rebus quae arte efficiuntur obtinere apparet. Atqui ars naturam aut imitatur aut perficit et ad absolutionem perducit ea quae natura absolvere non potest. Ergo etiam in naturalibus rebus causa finalis operetur necesse est. Sed ne hoc quidem argumentum comprobandum est. Nam etsi ars, quam fines propositos sequi apparet, naturam imitatur, tamen id tum quoque fieri potest, si mundus atque res quae in eo insunt ea qua voluit Empedocles ratione exstiterunt[1]).

Tertium denique argumentum, quo philosophus causam finalem regnare in rerum natura evincere studet, reperitur Phys. II, 6. 198 a 5 seqq., ubi, postquam casus et fortuiti naturam exposuit, pergit in hunc fere modum: „Cum casus et fors causae sint eorum quorum etiam mens aut natura causa esse potest, quando per accidens causa quid fit eorum ipsorum, nihil autem quod per accidens est prius sit iis quae per se sunt, ne accidentalem quidem causam causa quae per se est priorem esse apparet. Posterior igitur casus ac fors est et mente et natura.“ Cui demonstrationi multum momenti tribuendum esse vix putamus. Nam causa finali ipsa nisus philosophus casus et fortis naturam definierat, neque quisquam notionem casus quam Aristoteles proponit accipiet, nisi finem causam esse primariam iam antea agnoverit. Itaque id quo Stagirites causam finalem obtinere comprobare studet, ex hac ipsa aptum suspensumque est. Atque praeterea aliud quid illi argumentationi opponere licet. Etiamsi

---

[1]) Trendelenb. Log. Unters. II, p. 66.

enim id quod modo obiectum ei a nobis est omittimus, tamen illo argumento nihil comprobatur nisi notione causam finalem casu esse priorem, re autem et veritate non item; sive ut utamur Aristotelea dicendi ratione: comprobatur nobis quidem causam finalem casu esse priorem, re et natura minus [1]).

Haec sunt argumenta quibus philosophus causam finalem in rerum natura valere demonstrare studuit; quibus consideratis et examinatis progrediamur iam ad contemplandam causae finalis naturam et indolem, qualis ab Aristotele constituta sit.

Unaquaeque res de Aristotelis quidem sententia gignitur a natura, ut certo quodam opere perfungatur. Sic oculi oriuntur, ut videant, ut cibos comminuant dentes, ac primores quidem ut escas dissecent, ut conterant molares. Nihil enim natura frustra efficit, sed unicuique rei quam procreat opus aliquod exsequendum imponit atque huius operis causa gignit [2]). Itaque opus rei finis est atque res ipsa eius instrumentum [3]). .Quocirca natura unicuique non tribuit, nisi quo possit uti [4]). Neque aliter agunt homines, certe prudentes qui sunt. Nam faciunt serram, ut eius auxilio ligna aliaque id generis dissecent, aedificant domus, ut a tempestatum iniuriis se defendant.

Operum autem duo sunt genera. Primum enim opus in ipsa actione inesse potest, cuiusmodi opera nos quidem actionibus immanentia vocare solemus, Aristoteles *ἐνυπάρχοντα* dicit [5]). In quo numero sunt videre, cogitare, vivere, quae omnia ab actionibus separari nequeunt, immo continentur actionibus ipsis. Quocirca unoquoque temporis momento

---

[1]) Trendelenb. Log. Unters. II, p. 65.

[2]) Polit. I, 2. 1258 a 9: *οὐθὲν γάρ, ὡς φαμέν, μάτην ἡ φύσις ποιεῖ.* De part. an. IV, 12. 694 a 14.

[3]) De part. an. I, 5. 645 b 14: *ἐπεὶ δὲ τὸ μὲν ὄργανον πᾶν ἕνεκά του, τῶν δὲ τοῦ σώματος μορίων ἕκαστον ἕνεκά του, τὸ δὲ οὗ ἕνεκα πρᾶξίς τις, φανερὸν ὅτι καὶ τὸ σύνολον σῶμα συνέστηκε πράξεώς τινος ἕνεκα πλήρους.*

[4]) L. l. IV, 10. 687 a 10. 8. 684 a 28. III, 1. 661 b 28.

[5]) Met. Θ, 6. 1048 b 22.

actio plena ac perfecta est, ita ut simul videamus et viderimus, cogitemus et cogitaverimus, vivimus et vixerimus [1]). Quod idem cernitur in multis rebus quae ab hominibus perficiuntur. Veluti aedificii opus est, ut nos tueatur a tempestatum iniuriis, figuram geometricam describimus, ut cogitationem quandam quasi exprimat et repraesentet, qui fines propositi una cum rebus ipsis et unoquoque temporis momento, quamdiu res durat, adsunt. Quamvis enim talibus rebus, utpote immotis, actiones tribuere non conveniat, tamen ea quae praestant naturalibus illis operibus modo a nobis commemoratis prorsus respondere apparet.

Alterum autem genus est, ubi id quod efficitur ab actione est diversum, veluti id quod procreatur et procreatio, cibi comminuti et dentium morsus inter se differunt. Cuiusmodi opera esse etiam rerum ab hominibus effectarum ut demonstremus, ad instrumenta aliaque id generis provocare videtur esse satis [2]).

Ut autem res opus suum exsequi possit, secundum illud ipsum conficiatur prorsus est necesse. Non enim usum ad instrumentum instituere licet, sed instrumentum ad usum, neque sectio serrae causa facta est, sed dissecandi gratia serra [3]). Quam ob causam serrae, ut scindat ligna, laminam efficimus tenuem et proceram dentibusque eam instruimus; atque similiter domum, ut a tempestatibus nos defendat, muris saepimus imponimusque tectum. Neque aliter operatur natura [4]).

---

[1]) De sens. 6. 446 b 2. Soph. el. 22 178 a 9. Met. Θ, 6. 1048 b 23.

[2]) Saepe quidem Aristoteles distinguit inter utrumque actionum genus atque vocat alteras *ἐνεργείας*, *κινήσεις* alteras. Met. Θ, 6. 1048 b 28: *τούτων δὴ τὰς μὲν κινήσεις λέγειν, τὰς δ' ἐνεργείας*. 1048 b 34. Tamen non satis sibi constat in hoc dicendi genere, cf. Eth. Nic. I, 1. 1094 a 3: *διαφορὰ δέ τις φαίνεται τῶν τελῶν· τὰ μὲν γάρ εἰσιν ἐνέργειαι, τὰ δὲ παρ' αὐτὰς ἔργα τινά. ὧν δ' εἰσὶ τέλη τινὰ παρὰ τὰς πράξεις, ἐν τούτοις βελτίω πέφυκε τῶν ἐνεργειῶν τὰ ἔργα.* Atque etiam *τὴν ἐνέργειαν* vocat *ἔργον*, cf. Met. Θ, 8. 1050 a 21: *τὸ γὰρ ἔργον τέλος, ἡ δὲ ἐνέργεια τὸ ἔργον.*

[3]) De part. an. I, 5. 645 b 17.

[4]) De part. an. IV, 12. 694 b 13: *τὰ δ' ὄργανα πρὸς τὸ ἔργον ἡ φύσις ποιεῖ, ἀλλ' οὐ τὸ ἔργον πρὸς τὰ ὄργανα.*

Quocirca dentes primores, ut dividant escas, perfecit acutos, latiores planioresque molares, ut cibos conterant. Sic finis ipse instrumentum suum constituit, quod si perfectum est, etiam finis ipse re exsistit. Veluti oculi finis est videre, quae actio ut perficiatur, natura procreat oculum, quo facto etiam visus adest atque id quod oculum constituerat iam oculo efficitur. Itaque actus videndi vera oculi vis ac natura est, quam ob rem oculus, si e statu potentiali in actum transit, ad semet ipsum quasi progreditur, cum suum assequatur finem. Optime igitur Aristoteles illum transitum vocat ἐπίδοσιν εἰς αὑτό[1]).

Videmus igitur finem, h. e. opus exsequendum constituere rei naturam. Iam ut bene res opere suo fungi possit, necesse est efficiatur secundum id ad quod opus spectat. Sic dentes accommodandi sunt nutrimento, quo animal usurum est, luci oculi, serra lignis. Atque in hoc quidem maxime finis natura cernitur, ut res ad aliud quid conformetur et instituatur; id quod Aristoteles optime intellexit et constanter per totam doctrinam servavit. Itaque cuiusque animalis naturam accommodatam esse voluit elemento ei in quo vivat. Non enim putavit, animal quod tali modo sit institutum, in tali degere elemento, sed quod in tali elemento futurum sit, tali modo a natura conformari atque institui. Veluti, Aristotelem si sequimur, terrestribus animantibus natura dedit pulmones, quia calorem qui in corpore inest refrigeraturi erant aere, contra branchias piscibus quippe aqua frigefacturis[2]). Atque etiam alioquin natura animalium vivendi rationi convenit. Sic insectarum volucrium eae quae nutrimenti adsciscendi causa loca mutent ac migrent oportet, quattuor alis instructae sunt atque leviore corpore utuntur, veluti apes et quae eiusdem sunt generis[3]). Pariter inter avium rostra discrimina intercedunt ea, ut vitae modo singulis generibus proprio con-

[1]) De anim. II, 5. 417 b 6: εἰς αὐτὸ γὰρ ἡ ἐπίδοσις καὶ εἰς ἐντελέχειαν. Trendelenb. comment. p. 366.

[2]) De part. an. III, 6. in.

[3]) L. l. IV, 6. 682 b 6.

gruant [1]), veluti aves rapaces curvis utuntur rostris, utpote quae idoneae sint bestiis aliis superandis et dilacerandis, contra quae aves in paludibus degunt atque vescuntur herbis, latiora habent rostra, ut fodere possint et carpere herbas. Atque harmonia a natura praestabilita est inter sensus atque eorum obiecta. Cum enim sensus recepturi sint rerum formas, secundum eas ipsas instituantur necesse est, atque illarum respondeant naturae. Itaque sensitivum potentia est, quale sensibile iam actu. Neque aliter res in mente se habet [2]).

Igitur hac quoque ex parte finis constituit rem. Quo efficitur, ut vera ac primaria rei natura consistat in eo, ut opus suum exsequatur aut certe possit exsequi. Itaque oculus amissa videndi facultate non amplius est oculus, nisi quod eodem utitur nomine, ita ut in eodem atque lapideus oculus numero sit, neque medicus est, nisi qui medici opere fungitur; is autem qui hoc praestare nequit, medicus est, quemadmodum etiam pictum medicum dicimus [3]). Quapropter etiam notio rei ex eius fine atque opere pendet, ita ut, definire si quid volumus, definitione necesse sit contineatur opus [4]).

Nihil vero discriminis intercedit inter notionem rei et

---

[1]) L. l. IV, 12. 693 a 10..

[2]) De anim. II, 5. 418 a 3: *τὸ δ' αἰσθητικὸν δυνάμει ἐστὶν οἷον τὸ αἰσθητὸν ἤδη ἐντελεχείᾳ.* III, 8. 431 b 26: *τῆς δὲ ψυχῆς τὸ αἰσθητικὸν καὶ τὸ ἐπιστημονικὸν δυνάμει ταὐτά ἐστι* (cf. Trendelenb. comment. p. 525. *ταὐτόν* Bekk.) *τὸ μὲν ἐπιστητὸν τὸ δὲ αἰσθητόν. ἀνάγκη δ' ἢ αὐτὰ ἢ τὰ εἴδη εἶναι. αὐτὰ μὲν γὰρ δὴ οὔ. οὐ γὰρ ὁ λίθος ἐν τῇ ψυχῇ, ἀλλὰ τὸ εἶδος· ὥστε ἡ ψυχὴ ὥσπερ ἡ χείρ ἐστιν· καὶ γὰρ ἡ χεὶρ ὄργανόν ἐστιν ὀργάνων, καὶ ὁ νοῦς εἶδος εἰδῶν καὶ ἡ αἴσθησις εἶδος αἰσθητῶν.* Cf. quae infra disputabuntur, unde mens veritatem suam ceperit.

[3]) De part. an. I, 1. 640 b 35: *ἔτι δ' ἀδύνατον εἶναι χεῖρα ὁπωσοῦν διακειμένην, οἷον χαλκῆν ἢ ξυλίνην, πλὴν ὁμωνύμως, ὥσπερ τὸν γεγραμμένον ἰατρόν. οὐ γὰρ δυνήσεται ποιεῖν τὸ ἑαυτῆς ἔργον, ὥσπερ οὐδ' αὐλοὶ λίθινοι τὸ ἑαυτῶν ἔργον, οὐδ' ὁ γεγραμμένος ἰατρός. ὁμοίως δὲ τούτοις οὐδὲ τῶν τοῦ τεθνηκότος μορίων οὐδὲν ἔτι τῶν τοιούτων ἐστί, λέγω δ' οἷον ὀφθαλμός, χείρ.*

[4]) Met. Z, 10. 1035 b 16: *ἕκαστον γοῦν τὸ μέρος* (scil. *τοῦ σώματος*) *ἐὰν ὁρίζηται καλῶς, οὐκ ἄνευ τοῦ ἔργου ὁριεῖται, ὃ οὐχ ὑπάρξει ἄνευ αἰσθήσεως.* Meteor. IV, 12. 390 a 10.

formam[1]), nisi velis formam significare rei naturam, quatenus in re ipsa insit, obiective quod vocant, quatenus a mente cogitetur, subiective quod dicimus, notionem. Itaque causa formalis e causa finali prorsus apta ac suspensa est, quod maxime cognoscimus, si cuius rei notionem ab Aristotele ipso propositam consideramus. Veluti[2]) domum definit ita, ut tegumentum sit, quod nos a ventis et imbribus atque aestibus tueatur, quam notionem non modo continere finem, verum etiam eo constitutam esse apparet. Praeterea autem forma si perfecta et absoluta est, etiam opus sive finis adest aut certe facultas operis exsequendi. Sic oculi si perfecti sunt, vident aut certe possunt videre, dentes ubi facti sunt, mandunt aut certe facultas mandendi suppetit. Quo fit, ut omnis in rerum natura ortus ad formam atque substantiam tendat, cum ea absoluta etiam finis re exsistat[3]). Itaque causa finalis et causa formalis ad idem fere redeunt[4]).

Sin autem forma est ad quam ortus tendit, ut omnis fiundi oriundique ratio ex ea pendeat efficitur. Talis enim forma ut exsistat necesse est, quam ob causam ortus omnesque eius gradus secundum eam sunt instituendi. Itaque principium oriundi est id quod erit, non id quod est[5]), nam ortus

---

[1]) De an. I, 1. 403 b 2: *ὁ μὲν γὰρ λόγος εἶδος τοῦ πράγματος.*

[2]) De an. I, 1. 403 b 4.

[3]) Phys. II, 1. 193 b 12: *ἔτι δ' ἡ φύσις ἡ λεγομένη ὡς γένεσις ὁδός ἐστιν εἰς φύσιν. . . . ἡ ἄρα μορφὴ φύσις,* coll. Polit. I, 2. 1252 b 31: *ἡ δὲ φύσις τέλος ἐστίν· οἷον γὰρ ἕκαστόν ἐστι τῆς γενέσεως τελεσθείσης, ταύτην φαμὲν τὴν φύσιν εἶναι ἑκάστου.* Phys. II, 2. 194 a 28: *ἡ δὲ φύσις τέλος καὶ οὗ ἕνεκα.*

[4]) Met. H, 4. 1044 b 1: *ἴσως δὲ ταῦτα* (sc. *τὸ εἶδος καὶ τὸ τέλος*) *ἄμφω τὸ αὐτό.* Phys. II, 8. 199 a 30: *καὶ ἐπεὶ ἡ φύσις διττή, ἡ μὲν ὡς ὕλη ἡ δ' ὡς μορφή, τέλος δ' αὕτη, τοῦ τέλους δ' ἕνεκα τἆλλα, αὕτη ἂν εἴη ἡ αἰτία ἡ οὗ ἕνεκα.* De gen. an. I, 1. 715 a 4: *ὑπόκεινται γὰρ αἰτίαι τέτταρες, τό τε οὗ ἕνεκα ὡς τέλος, καὶ ὁ λόγος τῆς οὐσίας. ταῦτα μὲν οὖν ὡς ἕν τι σχεδὸν ὑπολαβεῖν δεῖ.* De gen. et corr. II, 9. 335 b 5: *ὡς μὲν ὕλη τοῦτ' ἐστὶν αἴτιον τοῖς γενητοῖς, ὡς δὲ τὸ οὗ ἕνεκεν ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος· τοῦτο δ' ἐστὶν ὁ λόγος ὁ τῆς ἑκάστου οὐσίας.* De part. an. I, 1. 639 b 14.

[5]) De part. an. I, 1. 640 a 3.

substantiae causa est, minime vero substantia ortus gratia [1]). Si igitur domus efficienda est vel aliud quid, fieri atque moveri necesse est primum hoc, deinde illud atque hac ratione omnia deinceps, donec rei forma ac substantia perfecta est [2]). Iam apparet, quae ratio formae et notioni cum ortu singulisque eius gradibus intercedat. Notio enim et forma erat primum, contra ortum si spectamus est ultimum; nam tum demum rei substantia perfecta est, cum ortus gradus absoluti sunt omnes [3]). Quod ut magis appareat, fingamus medicum qui homini aegroto mederi vult, h. e. qui in corpore illius efficere vult sanitatem. Sanitas igitur ei finis est atque propositum. Haec autem ut exsistat, aliud quid antea fiat necesse est, veluti iusta corporis temperies; haec autem ut efficiatur, opus est calore. A sanitatis igitur notione incipiens medicus secum reputat ac deliberat, donec pervenit ad id quod ipse perficere valet [4]). Veluti calorem efficere potest frictione, fricat igitur corpus, quo exsistit calor; is autem restituit iustam corporis temperiem, quae bonae valetudinis est causa. Sic quod cogitationis fuerat primum, ultimum est ortus, id quod ex primaria et intima finis natura consequitur. Neque Aristoteles hanc cogitationis et ortus effectusque oppositionem non intellexit [5]). Itaque dicere licet sanitatem fieri e sanitate, cum sanitas cum materia coniuncta exsistat e sanitate quae materia caret. Nam concepta erat sanitas mente medici atque ars medica ipsa sanitatis notio est [6]).

---

[1]) L. l. a 18.

[2]) Phys. II, 8. 199 a 8: *ἔτι ἐν ὅσοις τέλος ἐστί τι, τούτου ἕνεκα πράττεται τὸ πρότερον καὶ τὸ ἐφεξῆς.* De part. an. I, 1. 640 a 15: *μᾶλλον γὰρ τάδε συμβαίνει καὶ περὶ τὴν οἰκοδόμησιν, ἐπεὶ τοιόνδ' ἐστὶ τὸ εἶδος τῆς οἰκίας, ἢ τοιόνδ' ἐστὶν ἡ οἰκία, ὅτι γίνεται οὕτως.* I, 1. 639 b 26. 640 b 1.

[3]) Phys. VIII, 7. 261 a 13: *ὅλως δὲ φαίνεται τὸ γινόμενον ἀτελὲς καὶ ἐπ' ἀρχὴν ἰόν, ὥστε τὸ τῇ γενέσει ὕστερον τῇ φύσει πρότερον εἶναι.*

[4]) Met. Z, 7. 1032 b 6 sqq.

[5]) Met. Z, 7. 1032 b 15: *τῶν δὲ γενέσεων καὶ κινήσεων ἡ μὲν νόησις καλεῖται ἡ δὲ ποίησις, ἡ μὲν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς καὶ τοῦ εἴδους νόησις, ἡ δ' ἀπὸ τοῦ τελευταίου τῆς νοήσεως ποίησις.* Eth. Eud. II, 11. 1227 b 32: *τῆς μὲν οὖν νοήσεως ἀρχὴ τὸ τέλος, τῆς δὲ πράξεως ἡ τῆς νοήσεως τελευτή.*

[6]) Met. Z, 7. 1032 b 11: *ὥστε συμβαίνει τρόπον τινὰ ἐξ ὑγιείας τὴν*

Eadem autem ratio etiam in rerum natura obtinet[1]). Itaque domus si esset eorum quae natura gignuntur, eadem prorsus atque nunc per artem ratione oreretur[2]). Exemplum autem e natura petitum, quo illum cogitationis regressum atque progressum ortus demonstraret, philosophus non proposuit. Cuius rei causa facilis est intellectu. In naturalibus enim rebus unde forma operari incipiat, hodieque ignoramus. Quod autem philosophus, ut rationem ortus, quae in rerum natura obtineat, demonstret, iterum iterumque provocat ad artem hominumque actiones, ei aliud quid praeterea videtur subesse. Etenim nos ipsi nisi fines nobis proponere et persequi possemus, ne in rebus naturalibus quidem causam finalem cognosceremus[3]), id quod philosophi menti videtur esse obversatum, etsi diserte nusquam dixit. Attamen in naturalibus quoque rebus substantiam et formam primum esse atque constituere oriundi rationem, manifesta res docet. Nam homo hominem procreat et plantam planta. Oritur quidem planta e semine pariterque homo, sed semen ipsum profectum erat e planta iam perfecta et absoluta, quo fit, ut in semine plantae forma insit, ita ut lex sit ac norma qua nascendi et crescendi ratio definitur[4]). Unde iam apparere putamus, cur philosophus formam materia carentem vocet *τὸ τί ἦν εἶναι*[5]). Nam forma erat ante rem concretam et eam constituit[6]).

ὑγίειαν γίνεσθαι καὶ τὴν οἰκίαν ἐξ οἰκίας, τῆς ἄνευ ὕλης τὴν ἔχουσαν ὕλην. ἡ γὰρ ἰατρική ἐστι καὶ οἰκοδομικὴ τὸ εἶδος τῆς ὑγιείας καὶ τῆς οἰκίας. De part. an. I, 1. 640 a 31.

1) De part. an. I, 1. 640 b 1: *ἐπεὶ δ' ἔστι τοιοῦτον, τὴν γένεσιν ὡδὶ καὶ τοιαύτην συμβαίνειν ἀναγκαῖον. διὸ γίνεται πρῶτον τῶν μορίων τόδε, εἶτα τόδε καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ὁμοίως ἐπὶ πάντων τῶν φύσει συνισταμένων.*

2) Phys. II, 8. 199 a 12.

3) Trendelenb. Log. Unters. II, p. 69.

4) De part. an. I, 1. 640 a 25: *γεννᾷ γὰρ ὁ ἄνθρωπος ἄνθρωπον, ὥστε διὰ τὸ ἐκεῖνον τοιόνδ' εἶναι ἡ γένεσις τοιάδε συμβαίνει τῳδί.*

5) Met. Z, 7. 1032 b 14: *λέγω δ' οὐσίαν ἄνευ ὕλης τὸ τί ἦν εἶναι.*

6) De part. an. I, 1. 640 a 33: *διὸ μάλιστα μὲν λεκτέον ὡς ἐπειδὴ τοῦτ' ἦν τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι, διὰ τοῦτο ταῦτ' ἔχει.* Cf. de hac formula Trendelenb. Rhein. Mus. 1828. IV, p. 457 sqq., de anim. libr. comment.

Ut autem forma rem concretam procreare possit, ei opus est vi. Atque hominis quidem menti patet praesto esse vim, qua notiones suae ut re exsistant efficiat, et cogitatio perficienda ipsa Aristoteli vis est, quae corporis motionem excitet ac dirigat[1]). Pariter autem naturalium quoque rerum formis vis addenda est. Ea enim si caret forma quae adhuc potentia est, veluti ea quae semine continetur, ad actum pervenire nequit, neque magis, ubi iam perfecta est, potest opere suo fungi; denique ad id quoque requiritur vis, ut alias sui generis procreet. Iam per se duo cogitari possunt. Aut enim forma vi qua moveat utitur a se diversa, aut ipsa est principium movendi. Quorum prius si statuimus, in dualismum incurrimus neque causae finali plenum absolutumque imperium possumus concedere. Quare forma ipsa sit principium motionis necesse est. Neque id Aristoteles non statuit. Itaque ex quattuor quas posuerat causis tres in unam redeunt[2]). Id quod luculenter apparet ex loco qui est de anim. II, 4. 415 b 7 seqq., ubi Aristoteles tres modos, quibus causa et principium sit anima, profert. Primum enim animam animalis esse causam,

---

p. 192 sqq. Hist. Beitr. II, p. 35 - 42. Aliter Struempell: Gesch. d. theoret. Philos. d. Gr. I, p. 241: „Der Verfasser findet also den Grund der Entstehung dieses Ausdrucks (*τί ἦν εἶναι*) in dem Unterschiede der Bedeutung des Seins nach der ersten und nach den übrigen Kategorien. Das Sein des nach den übrigen Kategorien Ausgesagten hängt davon ab, dass das Sein eines nach der ersten Kategorie Ausgesagten vorhergeht."

[1]) De an. III, 10. 433 a 27: *διὸ ἀεὶ κινεῖ μὲν τὸ ὀρεκτόν, ἀλλὰ τοῦτ' ἐστὶν ἢ τὸ ἀγαθὸν ἢ τὸ φαινόμενον ἀγαθόν. οὐ πᾶν δέ, ἀλλὰ τὸ πρακτὸν ἀγαθόν.* 433 b 10: *εἴδει μὲν ἓν ἂν εἴη τὸ κινοῦν τὸ ὀρεκτικόν, ᾗ ὀρεκτικόν, πρῶτον δὲ πάντων τὸ ὀρεκτόν (τοῦτο γὰρ κινεῖ οὐ κινούμενον τῷ νοηθῆναι ἢ φαντασθῆναι).*

[2]) Phys. II, 7. 198 a 24: *ἔρχεται δὲ τὰ 'τρία εἰς ἓν* (*εἰς τὸ ἓν* Bekk., *εἰς ἕν* Bonitz. Sitzungsber. d. kaiserl. Academ. d. Wissensch. Philos.-Histor. Class. XXXIX. Bd. II. Hft. Jahrg. 1862. Febr. Aristotel. Stud. p. 222) *πολλάκις· τὸ μὲν γὰρ τί ἐστι καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἕν ἐστι, τὸ δ' ὅθεν ἡ κίνησις πρῶτον τῷ εἴδει ταὐτὸ τούτοις· ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ.* De part. an. I, 1. 641 a 25: *τῆς φύσεως διχῶς λεγομένης καὶ οὔσης τῆς μὲν ὡς ὕλης τῆς δ' ὡς οὐσίας. καὶ ἔστιν αὕτη καὶ ὡς ἡ κινοῦσα καὶ ὡς τὸ τέλος.* Cf. Zeller, Phil. d. Gr. II, 2. p. 247.

cum sit substantia eius, deinde cum sit eius finis, denique cum sit id unde motus exoriatur.

Id autem quod forma movet est materia. Omnino formae, certe rerum quae ortui et interitui sunt obnoxiae, requirunt materiam neque possunt ea carere. Nam materia est substratum, in quo formae et oriuntur et pereunt[1]). Quam quattuor causarum inter se necessitudinem ut accuratius cognoscamus, satis esse nobis videtur proferre ea quae ab Aristotele Met. Z, 7 disputantur. Versu enim 1032 a 13 Stagirites in quovis procreationis genere ait tria esse distinguenda: id ex quo quid fiat, *τὸ ἐξ οὗ*, id a quo quid fiat, *τὸ ὑφ' οὗ*, atque id quod quid fiat, *τὸ τί*.

Ac primum quidem naturalem generationem considerare liceat. Videmus autem, ut quid possit oriri, opus esse duobus: eo ex quo, *τῷ ἐξ οὗ*, et eo a quo, *τῷ ὑφ' οὗ*. Quorum priore cum significetur materia, eo a quo fit id quod oritur tres reliquae praeter materiam causae contineantur necesse est. Ac primum quidem in eo inest causa formalis. Nam homo hominem procreat et plantam planta, atque omnino unumquidque gignit tale quale est ipsum[2]). Deinde inest causa finalis. Gignere enim non potest natura, nisi quae iam perfecta atque absoluta sit, is autem status etiam ei quod generatur est assequendus[3]). Denique eadem natura id est unde motus exoritur. Nam semen quod inde proficiscitur atque in quo potentia forma inest, h. e. in quo ita inest, ut oriundi et crescendi sit lex ac norma, movet materiam, veluti in pro-

---

[1]) De gen. et corrupt. I, 10. 328 b 10: *θάτερον μὲν δεκτικὸν θάτερον δ' εἶδος.* I, 4. 320 a 2: *ἔστι δὲ ὕλη μάλιστα μὲν καὶ κυρίως τὸ ὑποκείμενον γενέσεως καὶ φθορᾶς δεκτικόν.* Met. Z, 7. 1032 a 20: *ἅπαντα δὲ τὰ γιγνόμενα ἢ φύσει ἢ τέχνῃ ἔχει ὕλην.* H, 1. 1042 a 25: *αἱ δ' αἰσθηταὶ οὐσίαι πᾶσαι ὕλην ἔχουσιν.*

[2]) De anim. II, 4. 415 a 26: *φυσικώτατον γὰρ τῶν ἔργων τοῖς ζῶσιν, ὅσα τέλεια καὶ μὴ πηρώματα, ἢ τὴν γένεσιν αὐτομάτην ἔχει, τὸ ποιῆσαι ἕτερον οἷον αὐτό, ζῷον μὲν ζῷον, φυτὸν δὲ φυτόν.*

[3]) Polit. I, 2. 1252 b 31: *τέλος γὰρ αὕτη ἐκείνων, ἡ δὲ φύσις τέλος ἐστίν· οἷον γὰρ ἕκαστόν ἐστι τῆς γενέσεως τελεσθείσης, ταύτην φαμὲν τὴν φύσιν εἶναι ἑκάστου.*

creandis animalibus menstrua movet ex iisque animal progignit[1]).

Neque aliter res se habet in effectionibus artis. In iis enim principium est rei forma ac species mente concepta. A notione autem rei artifex cogitando regreditur, donec pervenit ad id quod ipse potest efficere. Inde autem agere et operari incipit, donec re exsistit id unde cogitatio erat exorsa. Quam contrariam quae inter cogitationem et effectionem intercedit rationem Aristoteles demonstrat proposito exemplo medici, qui hominem aegrotantem reddere vult sanum. Sanitas igitur ei finis est propositus. Ad eam autem efficiendam restituenda est iusta corporis temperies. Quae cum tale quid sit, efficietur, si corpori redditus fuerit calor. Quem efficere iam penes ipsum est; atque efficit eum frictione. Calor autem qui ea in corpore exsistit aut pars est sanitatis aut sequitur eum aliquid quod pars sanitatis est, idque aut statim aut post complures commutationis gradus[2]). Hoc extremum autem, h. e. calor qui frictione exsistit, est id quod efficit sanitatem, et id quod ita se habet, ut sanitatem efficiat, pars sanitatis est[3]). Sic tres habemus causas coniunctas ita, ut sint una. Principium enim actionis erat sanitas. Haec primum est causa formalis, sed eadem est causa finalis, cum eam restituere medico sit propositum, atque excitat motionem, qua ut ipsa re exsistat opus est[4]). Videmus igitur, quemadmodum in generationibus naturalibus, ita etiam in artificiosis effectionibus tres causas redire in unam. Sed pariter atque in rebus

---

[1]) Met. H, 4. 1044 a 34: *οἷον ἀνθρώπου τίς αἰτία ὡς ὕλη; ἆρα τὰ καταμήνια; τί δ' ὡς κινοῦν; ἆρα τὸ σπέρμα; Λ*, 6. 1071 b 29: *οὐ γὰρ ἥ γε ὕλη κινήσει αὐτὴ ἑαυτήν, ἀλλὰ τεκτονική, οὐδὲ τὰ ἐπιμήνια οὐδ' ἡ γῆ, ἀλλὰ τὰ σπέρματα καὶ ἡ γονή.*

[2]) Met. Z, 7. 1032 b 28: *ἢ διὰ πλειόνων*, cf. Alexandr. Aphrodis. Schol. in Aristot. coll. Brandis. p. 750 b 1 sqq. Bonitz. comment. p. 328, qui illum in interpretatione huius loci secutus est.

[3]) L. l. b 28: *τοῦτο δ' ἔσχατον τὸ ποιοῦν, καὶ τὸ οὕτως μέρος ἐστὶ τῆς ὑγιείας.*

[4]) 1032 b 21: *τὸ δὴ ποιοῦν καὶ ὅθεν ἄρχεται ἡ κίνησις τοῦ ὑγιαίνειν, ἐὰν μὲν ἀπὸ τέχνης, τὸ εἶδός ἐστι τὸ ἐν τῇ ψυχῇ.*

naturae praeter has tres causas requirebatur materia, hic quoque opus est substrato. Quam ob rem Aristoteles pergit in hunc modum: *τοῦτο δ' ἔσχατον τὸ ποιοῦν, καὶ τὸ οὕτως μέρος ἐστὶ τῆς ὑγιείας καὶ τῆς οἰκίας, οἷον οἱ λίθοι, καὶ τῶν ἄλλων. ὥστε καθάπερ λέγεται, ἀδύνατον γενέσθαι εἰ μηθὲν προϋπάρχοι· ὅτι μὲν οὖν τι μέρος ἐξ ἀνάγκης ὑπάρξει, φανερόν· ἡ γὰρ ὕλη μέρος· ἐνυπάρχει γὰρ καὶ γίγνεται αὕτη.* Ex quibus apparet in artis effectionibus semper requiri substratum, quod ante actionem et ortum suppetat; verba autem sana non sunt [1]).

Ut paucis complectamur quae proxime disputata sunt, vidimus ex quattuor quas Aristoteles ponit causis tres in unam quasi coire atque hanc, ut exstare possit, requirere materiam. Itaque iam progrediendum nobis est ad materiae naturam, qualem Aristoteles constituerit, considerandam. Ac primum quidem philosophus materiam nec ortam esse nec posse interire statuit. Quod comprobare studet argumentatione fere hac: „Quatenus," ait Phys. I, 9. 192 a 25seqq., „materia est id in quo, *τὸ ἐν ᾧ*, scil. forma esse potest, h. e. quatenus est privatio (*τὸ ἐν ᾧ* formula quid sibi velit, intellegitur collata locutione *τόδε ἐν τῷδε*), per se interit. Id enim quod in ea perit est privatio (quae antea erat eius conditio, ubi nihil erat nisi *τὸ ἐν ᾧ*); contra quatenus est secundum potentiam, *κατὰ τὴν δύναμιν*, h. e. quatenus est potentia ex qua res oriuntur, per se non perit, sed neque corrumpatur nec unquam orta sit necesse est. Sive enim orta est, suppeditare quid necesse erat prius ex quo substrato oreretur, *τὸ ἐξ οὗ ἐνυπάρχοντος*, cf. Trendelenburg. Histor. Beitr. I, p. 110 not. 3. Haec autem materiae ipsius est natura, scil. ut substratum sit ex quo res oriuntur, 192 a 30: *τοῦτο δ' ἐστὶν αὐτῆς ἡ φύσις*, cf. Bonitz. Aristot. Stud. p. 192, *τοῦτο δ' ἐστὶν αὐτὴ ἡ φύσις*, Bekker. Itaque ortam esse materiam si statueremus, fuisset priusquam orta esset. Nam materia est id quod est primum cuique rei substratum, ex quo haec oritur, cum ipsum subsit non per acci-

---

[1]) Cf. excurs. I.

dens. (Quam ob rem orta si esset materia, ex materia fieret necesse erat). Sive perit, in semet ipsam extremo deveniet, a 33 εἰς τοῦτο, intell. εἰς τὴν ὕλην [1]). Itaque periisset priusquam periret."

Quam argumentationem non difficile est visu niti sententia, ex nihilo nihil fieri neque quidquam in nihilum dissolvi posse [2]). Itaque ex Aristotelis mente omnis ortus est compositio materiae et formae, omnis interitus disiunctio [3]). Quam sententiam si retinemus atque eandem quam Aristoteles materiae tribuimus naturam, profecto ea oriri non potest nisi ex materia neque in aliud quid periens dissolvi nisi in materiam, ita ut fuisset priusquam orta esset et priusquam interiret interiisset.

Haec autem materia per se omni forma et qualitate caret [4]). Quae enim tribuuntur materiae qualitates, eae re quidem cum materia in unum coalescunt, contra notione materia ab iis

---

[1]) Alia atque nos ratione haec verba interpretatus est Prantlius: „Und verginge er, so würde er auf das als äusserstes kommen, dass er vergangen sein müsste, ehe er verginge." Hoc esset: materia si periret, extremus eius status esset discrepantia logica. At nos quidem in discrepantiam logicam, si tale quid statuamus, incurrere dici possumus, materia non item. Fraudi Prantlio videtur fuisse liberior generis neutrius (εἰς τοῦτο) usus, de quo cf. Bonitz. Met. comment. p. 157. Fritzsch. Arist. de amicit. p. 34. Waitz. Organ. I, p. 291. Zell. Eth. Nic. comment. p. 22.

[2]) Met. B, 4. 999 b 5: ἀλλὰ μὴν εἴ γε ἀΐδιον οὐθέν ἐστιν, οὐδὲ γένεσιν εἶναι δυνατόν· ἀνάγκη γὰρ εἶναί τι τὸ γιγνόμενον καὶ ἐξ οὗ γίγνεται καὶ τούτων τὸ ἔσχατον ἀγέννητον, εἴπερ ἵσταταί τε καὶ ἐκ μὴ ὄντος γίγνεσθαι ἀδύνατον.

[3]) Met. Z, 8. 1033 b 12: δεήσει γὰρ διαιρετὸν εἶναι ἀεὶ τὸ γιγνόμενον, καὶ εἶναι τὸ μὲν τόδε τὸ δὲ τόδε, λέγω δ' ὅτι τὸ μὲν ὕλην τὸ δ' εἶδος. b 16: φανερὸν δὴ ἐκ τῶν εἰρημένων ὅτι τὸ μὲν ὡς εἶδος ἢ οὐσία λεγόμενον οὐ γίγνεται, ἡ δὲ σύνοδος ἡ κατὰ ταύτην λεγομένη γίγνεται, καὶ ὅτι ἐν παντὶ τῷ γενομένῳ ὕλη ἔνεστι, καὶ ἔστι τὸ μέν τόδε τὸ δὲ τόδε.

[4]) Met. Z, 3. 1029 a 24: ὥστε τὸ ἔσχατον καθ' αὑτὸ οὔτε τὶ οὔτε ποσὸν οὔτε ἄλλο οὐθέν ἐστιν. Z, 10. 1036 a 8: ἡ δ' ὕλη ἄγνωστος καθ' αὑτήν. Z, 11. 1037 a 27: μετὰ μὲν γὰρ τῆς ὕλης οὐκ ἔστιν scil. λόγος (ἀόριστον γάρ). Phys. III, 6. 207 a 25: διὸ καὶ ἄγνωστον ᾗ ἄπειρον· εἶδος γὰρ οὐκ ἔχει ἡ ὕλη.

differt[1]). Itaque ne vi quidem praedita est, ita ut operari nullo modo possit, sed tantum patiatur[2]). Quo id quoque efficitur, ut maxime idonea sit, quae formetur ac fingatur. Itaque hac quidem ex parte Aristotelis materia prorsus respondet substrato, quale Plato describit in Timaeo dialogo; id quod Aristoteles ipse vidit[3]). Necesse autem esse materia per se careat forma et qualitate Plato explicare et demonstrare studet similitudine usus admodum idonea[4]). Reputandum esse ait, si effigies futura sit omni distincta varietate ad adspectum, non aliter sane id ipsum in quo exprimenda sit bene praeparatum fore, nisi vacuum sit a formis illis omnibus quas sit suscepturum. Nam simile si esset cui ex iis quae recipienda sint, si alia contrariae atque diversae naturae accessissent, ea accepta male redditurum fore, cum sua ipsius species interluceret. Quam ob causam substratum illud neque conspici potest et caret forma, *ἀνόρατον εἶδος καὶ ἄμορφον*[5]). Quod autem conspici nequit, id efficitur eo quod forma et

---

[1]) Met. Z, 3. 1029 a 21: *ἔστι γάρ τι καθ' οὗ κατηγορεῖται τούτων ἕκαστον, ᾧ τὸ εἶναι ἕτερον καὶ τῶν κατηγοριῶν ἑκάστῃ.*

[2]) De gen. et corrupt. II, 9. 335 b 29: *τῆς μὲν γὰρ ὕλης τὸ πάσχειν ἐστὶ καὶ τὸ κινεῖσθαι, τὸ δὲ κινεῖν καὶ ποιεῖν ἑτέρας δυνάμεως.* I, 7. 324 b 18: *ἡ δ' ὕλη ᾗ ὕλη παθητικόν.*

[3]) De caelo III, 8. 306 b 17: *ἀειδὲς καὶ ἄμορφον δεῖ τὸ ὑποκείμενον εἶναι· μάλιστα γὰρ ἂν οὕτω δύναιτο ῥυθμίζεσθαι, καθάπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραπται, τὸ πανδεχές.* Plat. Tim. p. 51 A: *ταὐτὸν οὖν καὶ τῷ τὰ τῶν πάντων ἀεί τε ὄντων* (fortasse scribendum est: *τὰ τῶν πάντων ὄντως ἀεί τε ὄντων*) *κατὰ πᾶν ἑαυτοῦ πολλάκις ἀφομοιώματα καλῶς μέλλοντι δέχεσθαι πάντων ἐκτὸς αὐτῷ προσήκει πεφυκέναι τῶν εἰδῶν. διὸ δὴ τὴν τοῦ γεγονότος ὁρατοῦ καὶ πάντως αἰσθητοῦ μητέρα καὶ ὑποδοχὴν μήτε γῆν μήτε ἀέρα μήτε πῦρ μήτε ὕδωρ λέγωμεν, μήτε ὅσα ἐκ τούτων μήτε ἐξ ὧν ταῦτα γέγονεν· ἀλλ' ἀνόρατον εἶδός τι καὶ ἄμορφον, πανδεχές... λέγοντες οὐ ψευσόμεθα.*

Nos *ὄντως* ante *ἀεί τε ὄντων* excidisse putamus. Certe *τῶν πάντων ἀεί τε ὄντων*, quae leguntur in libris manu scriptis, ferri nequeunt, cum *τὰ ἀεὶ ὄντα* sint ideae, ita ut *τὰ πάντα ἀεί τε ὄντα* essent: omnes et ideae. Idem iam Stallbaumius vidit, alia autem atque nos ratione difficultatem removere studuit. Irrepsisse enim errore putat *τε* particulam.

[4]) Tim. p. 50 D.

[5]) Tim. p. 51 A.

qualitate prorsus destitutum est, neque cerni potest nisi quod aliqua forma et qualitate est praeditum. Non enim putamus quemquam facturum esse cum Stallbaumio, qui materiam apud Platonem opinatur adeo tenuem esse subtilemque, ut oculorum adspectum prorsus fugiat nec possit ullo modo cerni ac diiudicari[1]). Sed iam revertamur ad Aristotelem atque inquiramus, quae ei ratio inter formam et materiam intercedere videatur. Exponit autem eam Phys. I, 9. 192 a 16 seqq., ubi „Cum divinum quid sit," ait, „et bonum atque appetendum (intell. formam), unum oppositum ei esse dicimus (intell. privationem), alterum autem quod per naturam suam illud (intell. formam) appetat et studeat assequi. Contra illis (intell. maxime Platonem et qui eum sequuntur) accidit, ut id quod oppositum est suum ipsius interitum appetat. Attamen neque ipsa se appetere potest forma, cum nihilo careat, neque id quod ei est oppositum (scil. formam appetere potest). Nam corrumpunt inter se quae sunt contraria. (Quocirca privatio, si formam appeteret, ad suum ipsius interitum tenderet). Sed hoc est materia (intell. id quod appetit formam), veluti si femina marem appetit et turpe pulchrum. 192 a 22: ἀλλὰ τοῦτ' ἔστιν ἡ ὕλη, ὥσπερ ἂν εἰ θῆλυ ἄρρενος καὶ αἰσχρὸν καλοῦ[2])."

Quem locum ad verbum si intellegimus, magnae oriuntur difficultates atque, ne tota ratio Aristotelea vacillet et clau-

---

[1]) Parmenid. Prolegg. libr. I. sect. I. p. 135.

[2]) Aliam sententiam loco de quo agimus Prantlius subicit: „Aber eben dies ist ja gerade das Wesen des Stoffes, etwa wie wenn das Weibliche Stoff des Männlichen und das Hässliche Stoff des Schönen wäre." Quae sententia tam mira esse nobis videtur, ut vix audeamus imputare eam Aristoteli. Accedit quod tota qua hic philosopus utitur argumentatio nititur appetendi notione, quod iam Chalcidius intellexit. Cf. Chalcidii Timaeus de Platonis translatus ed. Meurs. p. 386: „Tres ab eo origines universae rei (statuuntur): species, sylva, carentia. Speciem laudat, ut summi dei similem divinitatem, pleno perfectoque nixam bono ideoque appetibilem. Quid est ergo, quod appetit? Neque ipsa se, inquit, quia nihil ei deest ad perfectam exornationem et est proprius indigentium appetitus. Nec vero carentia; interitum enim suum cuperet. Quippe accessu speciei formaeque tollitur indigentia nec in habitu proprio perseverat. Superest ergo, ut sylva cultum ornatumque desideret."

dicet, maximo opere est verendum. Primum enim nimium positum esset in materia, cum si non appeteret materia, nihil omnino posset exsistere. Tenendum autem est creatam a deo hanc materiam non esse, sed esse aeternam pariter atque deum ipsum. Creata enim si esset, offensionis ille appetitus haberet nihil. Nam indere deus poterat materiae illam appetendi vim. Itaque aeternam esse materiam cum Aristoteles statuat, appetendi verbum si premimus, habemus harmoniam inter formam et materiam praestabilitam, quae autem non a deo effecta sit, sed exstet casu. Prima igitur omnium causarum esset casus, quod quantum a ratione Aristotelea abhorreat, vix dicto opus est [1]). Sed accedit aliud quid. Appetere enim non potest nisi quod habet in se principium movendi, quo materia per se, si sequeris Aristotelem, prorsus caret. Itaque alia ratione locus de quo agimus interpretandus est. Ac nobis quidem inesse videtur sententia haec: Necesse est aut forma ad materiam aut materia ad formam se accommodet atque conformet. Sed forma quidem ad materiam accommodari nequit, quippe quae hac sit melior et praestantior, itaque necesse est materia accommodetur formae, cum ea per se omni forma careat. Conformat autem materia se ad illam, cum eius naturam appetat. Attamen is appetitus per formam ipsam excitatur, a qua motus quo, ut materia appetere possit, opus est exoritur. Putamus enim apparere, subesse his doctrinam Aristoteleam, nihil ipsum se movere posse, sed quidquid moveatur aliud quod moveat requirere. Quo fit, ut id quod ultimum movet ipsum sit immotum. Itaque id quod ab eo movetur illud appetit, sed appetitus ipse et motus qui in eo cernitur excitatur ab eo quod movet. Atque tali modo forma movet materiam [2]).

Videmus igitur quattuor quas Aristoteles Met. A. 3 posuit

---

[1]) Phys. II, 6. ex.

[2]) Phys. II, 7. 198 a 35: *διτταὶ δὲ αἱ ἀρχαὶ αἱ κινοῦσαι φυσικῶς, ὧν ἡ ἑτέρα οὐ φυσική· οὐ γὰρ ἔχει κινήσεως ἀρχὴν ἐν αὑτῇ. τοιοῦτον δ' ἐστὶν εἴ τι κινεῖ μὴ κινούμενον, ὥσπερ τό τε παντελῶς ἀκίνητον καὶ τὸ πάντων πρῶτον καὶ τὸ τί ἐστι καὶ ἡ μορφή.*

causas ad duas redire: ad causam finalem et causam materialem, quas philosophus, etsi alteram ex altera ducere non potuit, tamen artissime inter se coniunxit. Causa finalis enim, ut ad vim naturamque suam perveniat, eget materia atque haec promptam paratamque ad formandum illi se praebet. Sed hoc mirari quis possit, cum materia originem e causa finali non duxerit, quo fiat, ut fini tam facilem morigeramque se praestet. Cui quaestioni ex Aristotelea quidem ratione facile est responsu. Cum enim omne movendi principium situm sit in causa finali, materia resistere nullo modo potest. Nam ad resistendum opus est vi, quae sine motu esse nequit. Atque ob eandem causam destituta est omni forma. Motus enim est qui format ac fingit. Apparet autem talem materiam per se nunquam exstare potuisse [1]). Sed hanc difficultatem Aristoteles removit eo quod mundum voluit esse aeternum [2]). Quod nobis intellegendum esse videtur in modum eum, ut ortus quidem sit mundus, sed ab omni aeternitate, non certo aliquo temporis momento. Nam deus est aeternus, quocirca etiam mundus ex aeterno tempore effectus sit necesse est, cum intellegi nequeat, cur deus aeternus non statim ab initio, hoc est ab omni aeternitate, mundi creandi consi-

---

[1]) Phys. IV, 7. 214 a 14: *ἡ μὲν γὰρ ὕλη οὐ χωριστὴ τῶν πραγμάτων.* IV, 9. 217 a 21: *ἡμεῖς δὲ λέγομεν ἐκ τῶν ὑποκειμένων ὅτι ἐστὶν ὕλη μία τῶν ἐναντίων, θερμοῦ καὶ ψυχροῦ καὶ τῶν ἄλλων τῶν φυσικῶν ἐναντιώσεων, καὶ ἐκ δυνάμει ὄντος ἐνεργείᾳ ὂν γίνεται, καὶ οὐ χωριστὴ μὲν ἡ ὕλη, τῷ δ' εἶναι ἕτερον.* Chalcid. Tim. p. 410 ed. Meurs: „Etiam hoc communiter ab omnibus pronunciatur, sylvam sine qualitate esse ac sine figura et sine specie; non quod sine his unquam esse possit, sed quod haec ex propria natura non habeat nec possideat potius quam comitetur species et qualitates."

[2]) De caelo I, 10 sqq. Cic. Academ. pr. 38, 119: „Cum enim tuus iste Stoicus sapiens syllabatim tibi ista dixerit, veniet flumen orationis aureum fundens Aristoteles, qui illum desipere dicat: neque enim ortum esse unquam mundum, quod nulla fuerit novo consilio inito tam praeclari operis inceptio, et ita esse eum undique aptum, ut nulla vis tantos queat motus mutationemque moliri, nulla senectus diuturnitate temporum exsistere, ut hic ornatus unquam dilapsus occidat."

lium inierit et confecerit opus tam praeclarum [1]. Attamen dualismi aliquid restare negari non potest. Neque minus is in doctrina Platonica reperitur. Apud Platonem enim mens regit necessitatem persuadendo [2]. Persuademus autem ei qui suam habet voluntatem atque vim resistendi; neque persuasio fieri potest, nisi alterius naturae rationem habemus eique aliquantum concedimus. Itaque cui persuadeamus necesse est, in eum imperium nostrum non est plenum perfectumque. Valet autem mens tali ratione materiam regere et gubernare, cum ipsa sit prudens, caeca illa. Quod a Platone significari putamus verbis: *δι᾽ ἀνάγκης ἡττωμένης ὑπὸ πειθοῦς ἔμφρονος*, etsi id pro certo affirmare non audemus. Prorsus vero convenit persuadendi verbo quod dicit: „ut plurima ad optimum perducat,“ non: „omnia“. Neque minus cum eo congruit quod Plato iterum iterumque dicit deum mundum, quantum fieri potuerit, optimum effecisse [3]. Itaque vel uno persuadendi vocabulo prohiberi videmur, quominus apud Platonem de idealistica quam vocant materia cogitemus. Qui enim, quaeso, materia id generis vi uti potest resistendi? Neque magis sumere licet materiam Platonem voluisse a deo esse profectam. Cur enim mens necesse esset ei persuaderet?

Sed iam nobis redeundum est ad Aristotelem. Vidimus

---

[1] Cum universa doctrinae Aristoteleae indole requiratur, ut deus rerum principium sit, velit autem philosophus aeternum esse mundum, facere non possumus, quin ab omni aeternitate eum conditum esse sumamus. Qui autem loci Aristotelei cum hac sententia conciliari posse non videntur, profecti sunt inde quod initium ab omni aeternitate factum menti humanae adversari solet.

[2] Tim. p. 48 A: *μεμιγμένη γὰρ οὖν ἡ τοῦδε τοῦ κόσμου γένεσις ἐξ ἀνάγκης τε καὶ νοῦ συστάσεως ἐγεννήθη. νοῦ δὲ ἀνάγκης ἄρχοντος τῷ πείθειν αὐτὴν τῶν γιγνομένων τὰ πλεῖστα ἐπὶ τὸ βέλτιστον ἄγειν, ταύτῃ κατὰ ταῦτά τε δι᾽ ἀνάγκης ἡττωμένης ὑπὸ πειθοῦς ἔμφρονος οὕτω κατ᾽ ἀρχὰς ξυνίστατο τόδε τὸ πᾶν.*

[3] Tim. p. 30 A: *βουληθεὶς γὰρ ὁ θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φλαῦρον δὲ μηδὲν εἶναι κατὰ δύναμιν, οὕτω δὴ πᾶν, ὅσον ἦν ὁρατόν, παραλαβὼν οὐχ ἡσυχίαν ἄγον, ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας.*

causam finalem requirere materiam. Haec autem per se unitate prorsus caret; itaque causa finalis ut una sit materia efficit; constituit enim formam, qua continetur substrati unitas. Id quod optime cognoscimus e Met. Z, 17, ubi „Si rei causam," ait, „quaerimus, quaerimus cur hoc substrato haec certa insit qualitas, sive cur huic substrato hoc tribuendum sit praedicatum. Sic si quis quaerit, cur haec, *ταδί*, veluti lateres et ligna, sint domus, nihil aliud quaerit nisi, huic materiae, quae per se unitate caret (*ταδί*, animus advertendus est ad pluralem numerum), cur hoc certum praedicatum tribuatur. 1041 b 4: *ἐπεὶ δὲ δεῖ ἔχειν τε καὶ ὑπάρχειν τὸ εἶναι, δῆλον δὴ ὅτι τὴν ὕλην ζητεῖ ταδὶ διὰ τί ἐστιν* [1]).

Causam igitur quaerit, quae ut materia certum ac definitum quid sit efficiat. Haec autem est *τὸ τί ἦν εἶναι*, si universe notionem spectamus, a 28: *τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ τί ἦν εἶναι, ὡς εἰπεῖν λογικῶς* [2]). Veluti haece sunt domus, quia suppeditat id quod erat notio domus, b 5: *οἷον οἰκία ταδὶ διὰ τί; ὅτι ὑπάρχει ταδί, ὅ ἦν οἰκίᾳ εἶναι* [3]). Atque haec materia sive hoc corpus homo est, quod inest id quod erat notio hominis, b 6: *καὶ ἄνθρωπος τοδί, ἢ τὸ σῶμα τοῦτο τοδὶ ἔχον* [4]).

---

[1]) Vocabulum *ταδί* ante *διὰ τί ἐστιν* de coniectura addidit Bonitzius, cf. Observat. crit. p. 99. Séd si quid video, *τοδί*, non *ταδί* erat addendum. Nam sententia est haec: quaerit, materia cur hoc certum ac definitum sit. Materia quidem est *ταδί*, cum per se unitate careat, contra praedicatum est unum, quam ob causam numero significandum est singulari, cf. 1041 a 26: *καὶ διὰ τί ταδί, οἷον πλίνθοι καὶ λίθοι, οἰκία ἐστίν;* b 2: *ἀλλὰ μὴ διορίζειν ὅτι τάδε* (intelleg. materiam) *τόδε* (intelleg. praedicatum sive substantiam). b 5: *οἷον οἰκία ταδὶ διὰ τί;* h. e. cur haec materia est domus?

[2]) Cf. Trendelenb. Hist. Beitr. I, p. 41. Met. Z, 17. 1041 b 7: *ὥστε τὸ αἴτιον ζητεῖται τῆς ὕλης· τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ εἶδος ᾧ τί ἐστιν·, τοῦτο δ' ἡ οὐσία.*

[3]) Hic sane, quin scribatur *τοδί*, fieri omnino non potest, cum sententia sit haec: quia inest id quod erat forma et notio domus.

[4]) Scribendum esse nobis videtur: *καὶ ἄνθρωπος ταδί* „et haec materia, *ταδί*, homo est," scil. *ὅτι ὑπάρχει τοδί, ὅ ἦν τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι.* Saepius quidem in hoc metaphysicorum capite mutavimus. Sed in tali sententiarum cohaerentia prorsus necesse esse putamus, materiam significari plurali numero (*ταδί*), singulari (*τοδί*) formam et substantiam. Facillime autem libra-

Si quid enim compositum est, ut unum sit, non tamen acervi, sed syllabae instar, quaeritur, quid sit quod ut elementa singula rem constituant unam efficiat. Elementum id esse non potest neque ex elementis compositum. Nam elementum si id esset, rursus opus esset alio quo quod hoc cum reliquis in unum coniungeret conciliaretque, quod cum semper denuo requireretur, res progrederetur in infinitum, cf. b 21: *ἐκ τούτου γὰρ καὶ πυρὸς καὶ γῆς ἔσται ἡ σάρξ καὶ ἔτι ἄλλου, ὥστ' εἰς ἄπειρον βαδιεῖται.* Contra ex elementis si constaret, rediret quaestio quae in carne et syllaba consideranda occurrebat: quid horum elementorum unitatem constituat. Itaque elementum id esse nequit, sed est uniuscuiusque rei substantia. Haec enim prima rei causa est. Iam cum nonnullae rerum substantiae non sint, quotcunque autem substantiae sunt, secundum naturam et natura constiterint, natura ipsa substantia est, quae non elementum est, sed principium, b 28: *ἐπεὶ δ' ἔνια οὐκ οὐσίαι τῶν πραγμάτων, ἀλλ' ὅσαι οὐσίαι κατὰ φύσιν καὶ φύσει συνεστήκασι, φανείη ἂν καὶ αὕτη ἡ φύσις οὐσία* (nobis scribendum videtur: *καὶ αὐτὴ ἡ φύσις*), *ἥ ἐστιν οὐ στοιχεῖον ἀλλ' ἀρχή* [1]).“ Sic animalium substantia est anima [2]). Anima vero etiam unitatem animalis efficit [3]).

---

rios haec potuisse inter se confundere apparet. Cuius generis error nostra quidem sententia reperitur etiam Phys. II, 9. 200 b 1: *ἐπεὶ ἡ οἰκία τοιόνδε, τάδε δεῖ γίγνεσθαι καὶ ὑπάρχειν ἐξ ἀνάγκης, καὶ ἐπεὶ ἡ ὑγίεια τοδί, τάδε δεῖ γίγνεσθαι ἐξ ἀνάγκης καὶ ὑπάρχειν. οὕτως καὶ εἰ ἄνθρωπος τοδί, ταδί· εἰ δὲ ταδί, ταδί.* Existimamus enim scribendum esse: *εἰ δὲ τοδί, ταδί.*

[1]) Primariam enim si spectas *οὐσίας* significationem, rerum sensibilium substantiae non sunt nisi naturales, cf. de anim. II, 1. 412 a 11: *οὐσίαι δὲ μάλιστ' εἶναι δοκοῦσι τὰ σώματα, καὶ τούτων τά φυσικά· ταῦτα γὰρ τῶν ἄλλων ἀρχαί.* Tamen offendendum est in eo quod substantias esse praeter res naturales negatur. Itaque proponere audemus haec: *ἐπεὶ δ' ἔνια οὐκ οὐσίαι τῶν πραγμάτων, ἀλλ' οὐσίαι, ὅσα κατὰ φύσιν καὶ φύσει συνεστήκασι, φανείη ἂν καὶ αὐτὴ ἡ φύσις οὐσία.*

[2]) Met. Z, 10. 1035 b 14: *ἐπεὶ δὲ ἡ τῶν ζῴων ψυχή (τοῦτο γὰρ οὐσία τοῦ ἐμψύχου) ἡ κατὰ τὸν λόγον οὐσία καὶ τὸ εἶδος καὶ τὸ τί ἦν εἶναι τῷ τοιῷδε σώματι* et quae sequ. De anim. II, 1. 412 a 19: *ἀναγκαῖον ἄρα τὴν ψυχὴν οὐσίαν εἶναι ὡς εἶδος σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος.*

[3]) De anim. II, 4. 416 a 6: *πρὸς δὲ τούτοις τί τὸ συνέχον εἰς τἀναντία*

Postquam quae ratio quattuor causis Aristoteleis inter se intercedat exposuimus, ad initium disputationis nobis redeundum est. Dixerat Aristoteles unumquidque natura creari, ut opere quo fungatur. Non autem coacervare natura amat compluria opera in rem unam, sed suum cuique operi, ubi fieri potest, suppeditat instrumentum. Minime enim natura solet facere tale quid, qualem fabri gladium Delphicum [1]) aut lanceam quae eadem sit lychnuchus [2]). Sed ad duo opera praestanda natura non utitur eadem re, nisi ubi aliter fieri nequit [3]). Quod cum ita se habeat, quin complures res concilientur in unam, ita ut iam exsistant eius partes, fieri omnino nequit. Sic vident oculi, pedes currunt, audiunt aures, sed seiunctae separataeque eae res constare non possunt. Non enim per se pes est neque manus, nisi quod eodem utuntur nomine. Itaque coniungantur necesse est et rem conficiant unam. Quod fieri non potest, nisi pars altera alterius et singulae omnium ratione habita efficiuntur. Atque re vera eo modo natura corpora instituit, veluti animalium oculi et pedes utrique ab anteriore corporis parte collocati sunt, cum summa esset discrepantia, si visus non eadem qua pedes uteretur directione. Necesse enim est praevidere id quo tendat motio [4]).

φερόμενα τὸ πῦρ καὶ τὴν γῆν; διασπασθήσεται γάρ, εἰ μή τι ἔσται τὸ κωλῦσον· εἰ δ' ἔσται, τοῦτ' ἐστὶν ἡ ψυχή.

[1]) Polit. I, 2. 1252 b 1. Göttling. Commentatio de machaera Delphica, quae est apud Aristotelem. Progr. Jenens. a. MDCCCLVI. p. 10: „Fuit igitur machaera Delphica ita fabrefacta, ut cultro ipsi adiunctum esset cochlear ferreum vel tale quid, quo, simulatque ipsa victima mactata cultro esset, extemplo ad culinarium negotium uti possent Delphi."

[2]) De part. an. IV, 6. 683 a 22: *ὅπου γὰρ ἐνδέχεται χρῆσθαι δυσὶν ἐπὶ δύ' ἔργα καὶ μὴ ἐμποδίζειν πρὸς ἕτερον, οὐδὲν ἡ φύσις εἴωθε ποιεῖν ὥσπερ ἡ χαλκευτικὴ πρὸς εὐτέλειαν ὀβελισκολύχνιον.* Göttling. l. l. p. 8.

[3]) In qua sententia non satis sibi constare Aristotelem vere animadvertit Meyer. Aristotel. Thierk. p. 470, cui assentitur Zeller. Philos. d. Gr. II, 2. p. 384.

[4]) De part. an. II, 10. 656 b 26: *τέτακται δὲ τὸν τρόπον τοῦτον τὰ αἰσθητήρια τῇ φύσει καλῶς, τὰ μὲν τῆς ἀκοῆς ἐπὶ μέσης τῆς περιφερείας, ... ἡ δ' ὄψις εἰς τὸ ἔμπροσθεν (ὁρᾷ γὰρ κατ' εὐθυωρίαν, ἡ δὲ κίνησις εἰς τὸ ἔμπροσθεν, προορᾶν δὲ δεῖ ἐφ' ὃ ἡ κίνησις).*

Atque ubi partis natura est ea, ut per se turbaret totum corpus, id ut removeatur, pars addita est qualitatis illi contrariae, qua iusta corporis temperies et aequabilitas restituatur [1]). Sic natura, ut corporis aequabilitas conservaretur, cordi calidiori frigidius opposuit cerebrum [2]). Itaque quamvis res tota e partibus constet, tamen partes earumque natura e totius notione suspensae sunt. Totum quidem sine partibus esse non potest, quam ob causam partes oriuntur, verum quae partes adsciscendae sint, quales sint instituendae in quemque disponendae ordinem, constituit notio totius, ita ut totum partibus sit prius [3]).

Sed alia praeterea partibus ratio inter se intercedat oportet, ut omnium inter se convenientia atque concordia plena sit ac perfecta. Necesse enim est, ut eae quae inferioris sunt ordinis, etsi suam habent naturam suumque finem sequuntur, serviant praestantioribus potioribusque. Quo fit, ut altera pars alteri sit instrumenti instar. Sic animalium totum corpus instrumentum est animae [4]). Cuius sententiae locus est egregius de part. an. IV, 10. 687 a 7—23, ubi Aristoteles disputat contra Anaxagoram, qui hominem esse dixerat animalium sapientissimum, cum haberet manus, quod Stagirites convertit ita, ut homo habeát manus, cum animal sit sapientissi-

---

[1]) L. l. II, 7. 652 a 31: *ἀεὶ γὰρ ἡ φύσις μηχανᾶται πρὸς τὴν ἑκάστου ὑπερβολὴν βοήθειαν τὴν τοῦ ἐναντίου παρεδρίαν, ἵνα ἀνισάζῃ τὴν θατέρου ὑπερβολὴν θάτερον.*

[2]) L. l. II, 7. 652 b 16: *ἐπεὶ δ' ἅπαντα δεῖται τῆς ἐναντίας ῥοπῆς, ἵνα τυγχάνῃ τοῦ μετρίου καὶ τοῦ μέσου (τὴν γὰρ οὐσίαν ἔχει τοῦτο καὶ τὸν λόγον, τῶν δ' ἄκρων ἑκάτερον οὐκ ἔχει χωρίς), διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν πρὸς τὸν τῆς καρδίας τόπον καὶ τὴν ἐν αὐτῇ θερμότητα μεμηχάνηται τὸν ἐγκέφαλον ἡ φύσις, καὶ τούτου χάριν ὑπάρχει τοῦτο τὸ μόριον τοῖς ζῴοις, τὴν φύσιν ἔχον κοινὴν ὕδατος καὶ γῆς.*

[3]) L. l. I, 1. 640 a 33: *διὸ μάλιστα μὲν λεκτέον ὡς ἐπειδὴ τοῦτ' ἦν τὸ ἀνθρώπῳ εἶναι, διὰ τοῦτο ταῦτ' ἔχει· οὐ γὰρ ἐνδέχεται εἶναι ἄνευ τῶν μορίων τούτων.* Polit. I, 2. 1253 a 20: *τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ μέρους.*

[4]) De part. an. I, 5. 645 b 14: *ἐπεὶ δὲ τὸ μὲν ὄργανον πᾶν ἕνεκά του, τὸ δ' οὗ ἕνεκα πρᾶξίς τις, φανερὸν ὅτι καὶ τὸ σύνολον σῶμα συνέστηκε πράξεώς τινος ἕνεκα πλήρους.*

mum. Etenim naturam pariter atque hominem prudentem unicuique, quo uti possit, tribuere; nam magis convenire ei qui tibiis canere sciat tibias dare, quam qui tibias habeat, ei concedere artem tibiis canendi. Nam ei quod maius et melius sit naturam tribuere inferiora, minime vero ei quod inferius sit meliora ac praestantiora. „Itaque hac ratione," inquit, „si res se habet melius, natura autem ex iis quae fieri possunt facit id quod optimum est, non propter manus homo est animal sapientissimum, immo sapientissimum cum sit animal, instructus est manibus. Is enim qui sapientissimus est plurimis bene uti potest instrumentis, manum vero non unum sed multa instrumenta esse apparet. Nam tanquam instrumentum ante instrumenta est, a 20: ἔστι γὰρ ὡσπερεὶ ὄργανον πρὸ ὀργάνων. Ei igitur qui plurimas artes tractare scit natura concessit manum, cum sit instrumentum id quod plurima possit efficere."

Sic id quod inferioris est ordinis potiori ac meliori servit. Neque minus id ex anima variisque eius quas Aristoteles ponit facultatibus apparet. Etenim plantarum quidem anima est vegetativum, quod summus earum est finis. In brutis animalibus autem ad vegetativum accedit sensitivum, quod iam eorum est summum atque extremum. Sed ut esse possit, opus est vegetativo. Ultimum igitur quod erat in plantis atque extremum, iam est instrumenti instar. Quam ob causam vegetativum carere potest sensitivo, hoc tamen illo minus. In hominibus denique ad has duas partes (partes dicimus quae Aristoteles μόρια vocat, ita tamen ut in voce Latina eandem quam Aristoteles verbo Graeco subiecit notionem inesse velimus) accedit intellectivum, quod hominum est summus finis. Sed hoc ut sit, vegetativum requiri facile est intellectu. Neque minus opus est sensitivo. Nam sine perceptionibus memoria esse non potest, sine memoria autem experientia exsistere nequit, qua, ut ad artem et scientiam perveniamus, carere non possumus[1]. Inferioris igitur gradus quod erat

[1] Met. A, 1. in.

summum, superioris fit instrumentum eique suppeditat exsistendi copiam. Minime vero gradus superior procreatur ab inferiore, sed novum quid semper in superiore inest, quod ex illo ducere ac repetere non licet, atque tantum abest ut praestantior gradus oriatur per inferiorem, ut hic non sit nisi ut praestantior possit consistere.

Vidimus igitur in individuis inferiorem partem subici superiori. Eadem autem ratio etiam in rerum naturalium ordinibus cernitur. Nam sua quidem causa oriuntur plantae, tamen ita, ut simul animalium causa sint iisque suppeditent pabula. Pariter bestiae quamvis suis utantur finibus, tamen simul hominum causa sunt, cicures quidem propter usum atque nutrimentum quod inde capitur, ferae autem, etsi non omnes tamen plurimae, nutrimenti atque alius utilitatis gratia, veluti ut vestitus et instrumenta ex earum partibus fiant[1]).

Quod idem etiam in hominum vita cognoscere licet, ubi aliae artes et opificia aliis sunt subiecta. Veluti arti equestri subiecta est ea quae in frenis conficiendis occupata est, ceteraeque omnes quae instrumenta equestria comparant, atque haec ipsa equestris omnisque actio militaris arti imperatoriae, itemque aliae aliis sunt subiectae[2]). Neque homines singuli, si finem suum volunt assequi, per se possunt consistere, sed ineundae sunt iis societates.

Ac primum quidem sunt qui non habeant nisi tantum prudentiae, ut percipere possint atque efficere, ab aliis quae imperantur; corpora autem eorum firma a natura facta sunt ac robusta, ut exsequendis iis quae mandantur sint idonea. Id generis autem homines par est servire aliis, qui mente

---

[1]) Polit. I, 8. 1256 b 15: *ὥστε ὁμοίως δῆλον ὅτι καὶ γενομένοις οἰητέον τά τε φυτὰ τῶν ζῴων ἕνεκεν εἶναι καὶ τἆλλα ζῷα τῶν ἀνθρώπων χάριν, τὰ μὲν ἥμερα καὶ διὰ τὴν χρῆσιν καὶ διὰ τὴν τροφήν, τῶν δ' ἀγρίων, εἰ μὴ πάντα, ἀλλὰ τά γε πλεῖστα τῆς τροφῆς καὶ ἄλλης βοηθείας ἕνεκεν, ἵνα καὶ ἐσθὴς καὶ ἄλλα ὄργανα γίνηται ἐξ αὐτῶν. εἰ οὖν ἡ φύσις μηθὲν μήτε ἀτελὲς ποιεῖ μήτε μάτην, ἀναγκαῖον τῶν ἀνθρώπων ἕνεκεν αὐτὰ πάντα πεποιηκέναι τὴν φύσιν.*

[2]) Eth. Nic. I, 1. 1094 a 10 sqq.

possunt providere, similiter atque naturae convenit, ut corpus pareat rationi, hominibus bestiae cicures atque omnino id quod est inferius meliori ac praestantiori [1]).

Neque minus ex usu his est servire aliis, cum hac sola conditione serventur [2]), similiter atque corpus tum demum bene se habet, si paret rationi, atque bestiae cicures pereunt, nisi se submittunt ac serviunt hominibus [3]).

Sed non magis per se consistere possunt ii qui mente quidem antecellunt, corporibus autem utuntur ad perficienda ea quae volunt non satis idoneis. Qui ut alios sibi subigerent iisque uterentur instrumentorum instar, ipsa natura voluit, quocirca vel bella ad servos sibi comparandos instituere fas est [4]). In hac igitur societate et domini et servi salus consistit, ita ut utrique eo quo voluit natura modo colenda sit atque alter necesse sit ut bene imperet, ut bene serviat alter [5]).

---

[1]) Polit. I, 5. 1254 b 16: *ὅσοι μὲν οὖν τοσοῦτον διεστᾶσιν ὅσον ψυχὴ σώματος καὶ ἄνθρωπος θηρίου (διάκεινται δὲ τοῦτον τὸν τρόπον, ὅσων ἐστὶν ἔργον ἡ τοῦ σώματος χρῆσις, καὶ τοῦτ' ἔστ' ἀπ' αὐτῶν βέλτιστον), οὗτοι μέν εἰσι φύσει δοῦλοι, οἷς βέλτιόν ἐστιν ἄρχεσθαι ταύτην τὴν ἀρχήν.* L. l. b 27: *βούλεται μὲν οὖν ἡ φύσις καὶ τὰ σώματα διαφέροντα ποιεῖν τὰ τῶν ἐλευθέρων καὶ τῶν δούλων, τὰ μὲν ἰσχυρὰ πρὸς τὴν ἀναγκαῖαν χρῆσιν, τὰ δ' ὀρθὰ καὶ ἄχρηστα πρὸς τὰς τοιαύτας ἐργασίας, ἀλλὰ χρήσιμα πρὸς πολιτικὸν βίον.*

[2]) L. l. I, 5. 1254 b 39: *ὅτι μὲν τοίνυν εἰσὶ φύσει τινὲς οἳ μὲν ἐλεύθεροι οἳ δὲ δοῦλοι, φανερόν, οἷς καὶ συμφέρει τὸ δουλεύειν καὶ δίκαιον.*

[3]) L. l. 1254 b 6 sqq.

[4]) L. l. I, 8. 1256 b 23: *διὸ καὶ ἡ πολεμικὴ φύσει κτητική πως ἔσται. ἡ γὰρ θηρευτικὴ μέρος αὐτῆς, ᾗ δεῖ χρῆσθαι πρός τε τὰ θηρία καὶ τῶν ἀνθρώπων ὅσοι πεφυκότες ἄρχεσθαι μὴ θέλουσιν, ὡς φύσει δίκαιον τοῦτον ὄντα τὸν πόλεμον.*

[5]) L. l. I, 2. 1252 a 26: *ἀνάγκη δὴ πρῶτον συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι, οἷον θῆλυ μὲν καὶ ἄρρεν τῆς γενέσεως ἕνεκεν, ... ἄρχον δὲ φύσει καὶ ἀρχόμενον διὰ τὴν σωτηρίαν· τὸ μὲν γὰρ δυνάμενον τῇ διανοίᾳ προορᾶν ἄρχον φύσει καὶ δεσπόζον φύσει, τὸ δὲ δυνάμενον τῷ σώματι ταῦτα ποιεῖν ἀρχόμενον καὶ φύσει δοῦλον. διὸ δεσπότῃ καὶ δούλῳ ταὐτὸ συμφέρει.* 6. 1255 b 6: *(δῆλον) καὶ ὅτι ἔν τισι διώρισται τὸ τοιοῦτον, ὧν συμφέρει τῷ μὲν τὸ δουλεύειν τῷ δὲ τὸ δεσπόζειν, καὶ δίκαιον, καὶ δεῖ τὸ μὲν ἄρχεσθαι τὸ δ' ἄρχειν, ἣν πεφύκασιν ἀρχὴν ἄρχειν, ὥστε καὶ δεσπόζειν. τὸ δὲ κακῶς ἀσυμφόρως ἐστὶν ἀμφοῖν·*

Sed satis haec una societas non est. Cum enim animalibus natura insitum sit, ut procreent alia sui generis, viro et feminae ineundum est coniugium [1]. Quamvis vero prima haec sit causa, cur vir et femina inter se coniungantur et copulentur, tamen sola non est, immo multae praeterea sunt aliae. Etenim natura opera functionesque inter utrumque divisit, ita ut alia sint viri, alia feminae, veluti, ut hoc uno utamur exemplo, viri est parare et acquirere, conservare ac tueri mulieris [2]. Itaque neuter eorum per se bene vivere potest neque assequi sufficientiam, sed necesse est eos opera sua in unum quasi conferre et conciliare [3]. Atque natura animi eorum et ingenia exstiterunt ea, ut optime inter se congruerent.

In unaquaque autem societate, ut conservetur, uni reliqui se subiciant prorsus est necesse [4]. Iam cum vir muliere

---

τὸ γὰρ αὐτὸ συμφέρει τῷ μέρει καὶ τῷ ὅλῳ καὶ σώματι καὶ ψυχῇ, ὁ δὲ δοῦλος μέρος τι τοῦ δεσπότου, οἷον ἔμψυχόν τι τοῦ σώματος κεχωρισμένον δὲ μέρος. διὸ καὶ συμφέρον ἐστί τι καὶ φιλία δούλῳ καὶ δεσπότῃ πρὸς ἀλλήλους τοῖς φύσει τούτων ἠξιωμένοις.

[1]) L. l. I, 2. 1252 a 26: ἀνάγκη δὴ πρῶτον συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι, οἷον θῆλυ μὲν καὶ ἄρρεν τῆς γενέσεως ἕνεκεν (καὶ τοῦτο οὐκ ἐκ προαιρέσεως, ἀλλ' ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζῴοις καὶ φυτοῖς φυσικὸν τὸ ἐφίεσθαι, οἷον αὐτό, τοιοῦτον καταλιπεῖν ἕτερον). De anim. II, 4. 415 a 26 sqq.

[2]) Polit. III, 4. 1277 b 24: ἐπεὶ καὶ οἰκονομία ἑτέρα ἀνδρὸς καὶ γυναικός· τοῦ μὲν γὰρ κτᾶσθαι τῆς δὲ φυλάττειν ἔργον ἐστίν.

[3]) Eth. Nic. VIII, 14. 1162 a 19: τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις ἐπὶ τοσοῦτον ἡ κοινωνία ἐστίν, οἱ δ' ἄνθρωποι οὐ μόνον τῆς τεκνοποιίας χάριν συνοικοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τῶν εἰς τὸν βίον· εὐθὺς γὰρ διῄρηται τὰ ἔργα, καὶ ἔστιν ἕτερα ἀνδρὸς καὶ γυναικός· ἐπαρκοῦσιν οὖν ἀλλήλοις, εἰς τὸ κοινὸν τιθέντες τὰ ἴδια. Oecon. I, 3. 1343 b 26: οὕτω προῳκονόμηται ὑπὸ τοῦ θείου ἑκατέρου ἡ φύσις, τοῦ τε ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικός, πρὸς τὴν κοινωνίαν. διείληπται γὰρ τῷ μὴ ἐπὶ ταὐτὰ πάντα χρήσιμον ἔχειν τὴν δύναμιν, ἀλλ' ἔνια ἐπὶ τἀναντία, εἰς ταὐτὸ δὲ συντείνοντα· τὸ μὲν γὰρ ἰσχυρότερον, τὸ δ' ἀσθενέστερον ἐποίησεν, ἵνα τὸ μὲν φυλακτικώτερον ᾖ διὰ τὸν φόβον, τὸ δ' ἀμυντικώτερον διὰ τὴν ἀνδρίαν, καὶ τὸ μὲν πορίζῃ τὰ ἔξωθεν, τὸ δὲ σώζῃ τὰ ἔνδον. 1343 b 13 sqq. maxime haec: ἐν ἀνθρώπῳ δὲ μάλιστα, ὅτι οὐ μόνον τοῦ εἶναι, ἀλλὰ καὶ τοῦ εὖ εἶναι συνεργὰ ἀλλήλοις τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄρρεν ἐστί. Cf. Fritzsch. Aristot. de amic. p. 73.

[4]) Polit. I, 5. 1254 a 28: ὅσα γὰρ ἐκ πλειόνων συνέστηκε καὶ γίνεται

sit praestantior, is ut imperium in illam exerceat efficitur, tamen non idem quod in servos, sed aristocratiae quod conferre liceat; neque omnium rerum imperium arrogare sibi debet, sed quae sunt mulieris libero eius arbitrio concedere [1]).

At sola quidem per se neutra harum societatum satis est. Itaque opus est tertia quae utramque amplectatur. Haec autem est domus sive familia [2]). Neque domus sola per se sufficit, sed et ipsa alii quod potius sit est subicienda. Proxima autem domui consociatio est pagus [3]). Ex pagis vero compluribus quae exsistit societas plena et perfecta, civitas est, quae iam omnem' prope sufficientiam in se continet. Sufficientia autem finis est et optimum [4]). Itaque civitas reliquarum societatum omnium est absolutio et consummatio, atque in ea demum homo indolis perfectionem quam voluit natura adipisci potest et omnium animalium evadit praestantissimum, cum pessimum sit omnium, si civitate careat [5]). Civitas quidem totum est, societates reliquae et singuli homines eius partes.

ἕν τι κοινόν, εἴτ' ἐκ συνεχῶν εἴτ' ἐκ διῃρημένων, ἐν ἅπασιν ἐμφαίνεται τὸ ἄρχον καὶ τὸ ἀρχόμενον.

[1]) Eth. Nic. VIII, 12. 1160 b 32: ἀνδρὸς δὲ καὶ γυναικὸς ἀριστοκρατικὴ φαίνεται· κατ' ἀξίαν γὰρ ὁ ἀνὴρ ἄρχει, καὶ περὶ ταῦτα ἃ δεῖ τὸν ἄνδρα· ὅσα δὲ γυναικὶ ἁρμόζει, ἐκείνῃ ἀποδίδωσιν. ἁπάντων δὲ κυριεύων ὁ ἀνὴρ εἰς ὀλιγαρχίαν μεθίστησιν. Polit. I, 13. 1260 a 20: ὥστε φανερὸν ὅτι ἐστὶν ἠθικὴ ἀρετὴ τῶν εἰρημένων πάντων, καὶ οὐχ ἡ αὐτὴ σωφροσύνη γυναικὸς καὶ ἀνδρός, οὐδ' ἀνδρία καὶ δικαιοσύνη, καθάπερ ᾤετο Σωκράτης, ἀλλ' ἣ μὲν ἀρχικὴ ἀνδρία ἣ δ' ὑπηρετική. Cf. Fritzsch. Aristot. de amic. p. 60.

[2]) Polit. I, 2. 1252 b 9: ἐκ μὲν οὖν τούτων τῶν δύο κοινωνιῶν οἰκία πρώτη, καὶ ὀρθῶς Ἡσίοδος εἶπε ποιήσας 'οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε βοῦν τ' ἀροτῆρα'. ὁ γὰρ βοῦς ἀντ' οἰκέτου τοῖς πένησίν ἐστιν.

[3]) L. l. 1252 b 15: ἡ δ' ἐκ πλειόνων οἰκιῶν κοινωνία πρώτη χρήσεως ἕνεκεν μὴ ἐφημέρου κώμη. μάλιστα δὲ κατὰ φύσιν ἔοικεν ἡ κώμη ἀποικία οἰκίας εἶναι.

[4]) L. l. I, 2. 1253 a 1.

[5]) L. l. I, 2. 1253 a 31: ὥσπερ γὰρ καὶ τελεωθὲν βέλτιστον τῶν ζῴων ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτω καὶ χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης χείριστον πάντων. .....διὸ ἀνοσιώτατον καὶ ἀγριώτατον ἄνευ ἀρετῆς, καὶ πρὸς ἀφροδίσια καὶ ἐδωδὴν χείριστον. ἡ δὲ δικαιοσύνη πολιτικόν· ἡ γὰρ δίκη πολιτικῆς κοινωνίας τάξις ἐστίν· ἡ δὲ δίκη τοῦ δικαίου κρίσις.

Iam quemadmodum partes corporis durare naturamque suam tenere non possunt, ubi a corpore sunt segregatae ac seiunctae, sic ne homines quidem finem suum possunt adipisci, ubi civitatis communitate carent [1]). Itaque natura hominibus indidit impetum consociationis id generis ineundae atque concessit facultatem dicendi et intellegendi, quid probum sit, quid improbum, atque iustum quid sit, quid iniustum. Ex talibus vero oritur et familia et civitas [2]). Sic natura hominem effecit animal politicum. Quibus expositis iam apparere putamus, quid sibi velit illud Aristoteleum: civitatem et domo et singulis hominibus esse priorem.

Ut paucis complectamur quae adhuc disputata sunt, reperimus causae finalis apud Aristotelem vim atque naturam in his quattuor: primum in eo quod suum cuique opus est exsequendum, deinde in contraria quae inter cogitationem et ortum aut effectionem intercedit ratione, tum in eo quod totum partes constituit iisque est prius, denique quod inferiora potioribus praestantioribusque subiciuntur atque iis serviunt.

Sed iam aliud quid addendum est. Finis idem est atque bonum [3]), ac duplici quidem modo. Primum enim fines qui

---

[1]) Polit. I, 2. 1253 a 18: *καὶ πρότερον δὴ τῇ φύσει πόλις ἢ οἰκία καὶ ἕκαστος ἡμῶν ἐστιν. τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ μέρους· ἀναιρουμένου γὰρ τοῦ ὅλου οὐκ ἔσται ποὺς οὐδὲ χείρ, εἰ μὴ ὁμωνύμως, ὥσπερ εἴ τις λέγοι τὴν λιθίνην· διαφθαρεῖσα γὰρ ἔσται τοιαύτη. πάντα δὲ τῷ ἔργῳ ὥρισται καὶ τῇ δυνάμει, ὥστε μηκέτι τοιαῦτα ὄντα οὐ λεκτέον τὰ αὐτὰ εἶναι ἀλλ' ὁμώνυμα. ὅτι μὲν οὖν ἡ πόλις καὶ φύσει καὶ πρότερον ἢ ἕκαστος, δῆλον· εἰ γὰρ μὴ αὐτάρκης ἕκαστος χωρισθείς, ὁμοίως τοῖς ἄλλοις μέρεσιν ἕξει πρὸς τὸ ὅλον.*

[2]) L. l. a 1: *ἐκ τούτων οὖν φανερὸν ὅτι τῶν φύσει ἡ πόλις ἐστί, καὶ ὅτι ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῷον. . . . . . οὐθὲν γάρ, ὡς φαμέν, μάτην ἡ φύσις ποιεῖ, λόγον δὲ μόνον ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζῴων. ἡ μὲν οὖν φωνὴ τοῦ λυπηροῦ καὶ ἡδέος ἐστὶ σημεῖον, διὸ καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει ζῴοις· μέχρι γὰρ τούτου ἡ φύσις αὐτῶν ἐλήλυθεν ὥστε αἰσθάνεσθαι τοῦ λυπηροῦ καὶ ἡδέος καὶ ταῦτα σημαίνειν ἀλλήλοις· ὁ δὲ λόγος ἐπὶ τῷ δηλοῦν ἐστι τὸ συμφέρον καὶ τὸ βλαβερόν, ὥστε καὶ τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον. τοῦτο πρὸς τἄλλα ζῷα τοῖς ἀνθρώποις ἴδιον, τὸ μόνον ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ καὶ δικαίου καὶ ἀδίκου καὶ τῶν ἄλλων αἴσθησιν ἔχειν. ἡ δὲ τούτων κοινωνία ποιεῖ οἰκίαν καὶ πόλιν.*

[3]) Met. A, 3. 983 a 31: *τετάρτην δὲ τὴν ἀντικειμένην αἰτίαν ταύτῃ,*

sunt secundum naturam bona sunt per se, obiective quod nos vocamus, veluti per se est bonum videre cogitare vivere, cum, id quod infra demonstrabimus, originem habeant a deo optimo. Deinde vero bona sunt etiam subiecto. Quod cur ita se habeat, apparebit ex his. Iam saepius vidimus suum cuique rei a natura opus exsequendum esse impositum. Sed ab initio quidem rei non indita est nisi functionis potentia, ita tamen, ut simul insit impetus ad actum eius perducendae. Itaque si quid opere suo rite fungitur, suum ipsius finem assequitur atque suae ipsius naturae satis facit, quo efficitur, ut finis ad actum perductus ipsi sit bonum indeque oriatur voluptas, certe iis quae voluptatis et doloris sensu utuntur. Quam ob causam nos quidem amamus sensuum perceptiones et actiones mentis[1]). Duo igitur finis genera Aristoteles distinguit, quorum alterum vocat *τὸ οὗ*, quod finem significat, quatenus per se est bonum, alterum *τὸ ᾧ*, quod denotat finem, quatenus bonum est subiecto. Quod finis discrimen Aristoteles significavit quidem saepius, nusquam vero, certe in libris qui nobis servati sunt, satis perspicue explicuit[2]). Disputarunt autem de eo interpretes Graeci ad Phys. II, 2. 194 a 35, quibuscum consentiens luculentius etiam rem exposuit Themistius ad Aristot. de

---

τὸ οὗ ἕνεκα καὶ τἀγαθόν (τέλος γὰρ γενέσεως καὶ κινήσεως πάσης τοῦτ᾽ ἐστίν). A, 2. 982 b 10: *καὶ γὰρ τἀγαθὸν καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἓν τῶν αἰτίων ἐστίν.* B, 2. 996 a 28: *ὃ ἂν ᾖ ἀγαθὸν καθ᾽ αὑτὸ καὶ διὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν, τέλος ἐστὶν καὶ οὕτως αἴτιον, ὅτι ἐκείνου ἕνεκα καὶ γίγνεται καὶ ἔστι τἄλλα.* Δ, 2. 1013 b 25: *τὰ δ᾽ ὡς τὸ τέλος καὶ τἀγαθὸν τῶν ἄλλων.* K, 1. 1059 a 35: *οὔτε γὰρ περὶ τὸ οὗ ἕνεκεν· τοιοῦτον γὰρ τἀγαθόν.*

1) Met. A, 1. in.: *Πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. σημεῖον δ᾽ ἡ τῶν αἰσθήσεων ἀγάπησις· καὶ γὰρ χωρὶς τῆς χρείας ἀγαπῶνται δι᾽ αὑτάς, καὶ μάλιστα τῶν ἄλλων ἡ διὰ τῶν ὀμμάτων. οὐ γὰρ μόνον ἵνα πράττωμεν, ἀλλὰ καὶ μηθὲν μέλλοντες πράττειν τὸ ὁρᾶν αἱρούμεθα ἀντὶ πάντων ὡς εἰπεῖν τῶν ἄλλων.*

2) Phys. II, 2. 194 a 35: *διχῶς γὰρ τὸ οὗ ἕνεκα· εἴρηται δ᾽ ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας.* De anim. II, 4. 415 b 2: *τὸ δ᾽ οὗ ἕνεκα διττόν, τὸ μὲν οὗ, τὸ δὲ ᾧ.* Met. Λ, 7., 1072 b 2: *ἔστι γάρ τινι τὸ οὗ ἕνεκα, ὧν τὸ μὲν ἔστι τὸ δ᾽ οὐκ ἔστι* (Bekk., contra Schweglerus et Bonitzius: *ἔστι γὰρ διττὸν τὸ οὗ ἕνεκα.* Nos assentimur Bernaysio scribenti: *ἔστι γάρ τινι τὸ οὗ ἕνεκα καί τινος.* Cf. Die Dialoge des Aristoteles, p. 169.)

anim. II, 4. 415 b 2: *τὸ δ' οὗ ἕνεκα διττόν, τὸ μὲν οὗ, τὸ δὲ ᾧ. ὥσπερ γὰρ καὶ ἐν τοῖς Ἠθικοῖς* (cf. Brandis. de Aristotelis libris perditis p. 9) *ἐλέγετο, διττὸν τὸ τέλος, ὡς μὲν τὸ οὗ εὐδαιμονία, ὡς δὲ τὸ ᾧ αὐτὸς ἕκαστος αὑτῷ· καὶ γὰρ τὴν εὐδαιμονίαν δι' αὐτὸν αἱρεῖται καὶ ὥστε ἑαυτῷ ταύτην περιποιήσασθαι. ὥσπερ καὶ ἐπὶ ἰατρικῆς οὗ μὲν ἡ ὑγίεια, ᾧ δὲ τῷ κάμνοντι, οὕτω δὲ καὶ ἐν τῇ φύσει τὴν διπλόην ταύτην θετέον τοῦ τέλους, καὶ οὗ μέν ἐστι ῥητέον τοῦτο εἶναι τὸ θεῖον καὶ ἀΐδιον, ᾧ δὲ τοῦτο εἶναι τὸ ἔμψυχον καὶ τὸ ἐν γενέσει· τούτῳ γὰρ περιποιῆσαι βούλεται εἰκόνα θειότητος καὶ ἀϊδιότητος ἡ φύσις καθ' ὅσον δύναται*[1]).

Finis igitur cum et per se et rei bonum sit, res omnes eum appetunt atque student assequi. Cum autem rerum naturae sint variae, fines quoque quos persequuntur ut sint varii efficitur[2]). Atque ob eandem causam variis utuntur etiam voluptatibus. Nam voluptas e fine apta ac suspensa est. In opere igitur suo uniuscuiusque rei voluptas posita est[3]). Attamen actum, quod iam vidimus, omnes appetunt. Neque id repugnat locis Aristoteleis quos modo attulimus, cum actus omnes genere quidem sint iidem, quamvis specie inter se differant. Iam cum ad actum omnes naturae pervenire studeant, primum omnes appetunt vitam. Ex quo hoc quoque consequitur, ut sustentare eam studeant ac tueri. Nam etiam hoc in causae finalis natura inest, ut finis, ubi effectus est, conservetur, quantum fieri potest. Quocirca animalia instrumentis utuntur a natura concessis, quibus se ab iniuriis aliorum

---

[1]) Cf. Trendelenb. de anim. libr. comment. p. 354: „Illud (*τὸ οὗ*) res est, quam consequi velis, hoc (*τὸ ᾧ*) illud, cui res quam consecutus fueris inservit."

[2]) Eth. Eud. I, 8. 1218 a 30: *τό τε φάναι πάντα τὰ ὄντα ἐφίεσθαι ἑνός τινος ἀγαθοῦ οὐκ ἀληθές. ἕκαστον γὰρ ἰδίου ἀγαθοῦ ὀρέγεται, ὀφθαλμὸς ὄψεως, σῶμα ὑγιείας, οὕτως ἄλλο ἄλλου.*

[3]) Eth. Nic. X, 5. 1176 a 3: *δοκεῖ δ' εἶναι ἑκάστῳ ζώῳ καὶ ἡδονὴ οἰκεία, ὥσπερ καὶ ἔργον· ἡ γὰρ κατὰ τὴν ἐνέργειαν. καὶ ἐφ' ἑκάστῳ δὲ θεωροῦντι τοῦτ' ἂν φανείη· ἑτέρα γὰρ ἵππου ἡδονὴ καὶ κυνὸς καὶ ἀνθρώπου, καθάπερ Ἡράκλειτός φησιν ὄνον σύρματ' ἂν ἑλέσθαι μᾶλλον ἢ χρυσόν· ἥδιον γὰρ χρυσοῦ τροφὴ ὄνοις.*

impetibusque defendant [1]), atque summa sollertia natura nobilioribus ac praestantioribus corporis partibus ne laederentur providit. Sic oculi palpebrarum tegmento utuntur, ne quid incidat, atque latent utiliter et excelsis undique partibus saepiuntur. Pariter natura pectus eiusque partes, quippe quae ad conservandum corpus maximi sint momenti, costis munivit atque cor et cerebrum validissimis membranis circumdedit [2]).

Porro ex eo quod plantae et animalia vitam appetunt eamque student conservare, manat id quoque quod nutrimento utuntur et procreant prolem. Maxime enim naturale operum est animatis, perfecta quae sunt et non mutila neque ortum habent spontaneum, efficere alia sui generis, veluti animal quidem animal, plantam planta procreat, ut aeternum ac divinum, quantum fieri potest, participent. Nam omnia illud appetunt atque eius causa faciunt quae faciunt secundum naturam. Cum autem aeternum atque divinum participare non possint vitae continuitate, quoniam nihil ex iis quae mortalia sunt numero unum et idem manet, qua ratione quidque eius particeps esse potest, ea participat atque manet non idem, verum quale ipsum est, numero quidem non unum, sed unum specie [3]).

Sic omnes naturae vitam appetunt actusque ipsis proprios exhibendos atque student vitam conservare et participes fieri aeternitatis. Quae omnia faciunt, cum sint bona. Homo

---

[1]) De part. an. III, 2.

[2]) L. l. II, 9. 654 b 32: *τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις ὕπεστιν ὀστᾶ τοῖς σαρκώδεσι μορίοις, τοῖς μὲν κινουμένοις διὰ κάμψιν τούτου χάριν, τοῖς δ' ἀκινήτοις φυλακῆς ἕνεκεν, οἷον αἱ συγκλείουσαι πλευραὶ τὸ στῆθος σωτηρίας χάριν τῶν περὶ τὴν καρδίαν σπλάγχνων.* III, 11. 673 b 8: *μέγιστοι δὲ καὶ ἰσχυρότατοι τῶν ὑμένων εἰσὶν οἵ τε περὶ τὴν καρδίαν καὶ περὶ τὸν ἐγκέφαλον, εὐλόγως· ταῦτα γὰρ δεῖται πλείστης φυλακῆς· ἡ μὲν γὰρ φυλακὴ περὶ τὰ κύρια, ταῦτα δὲ κύρια μάλιστα τῆς ζωῆς.*

[3]) De anim. II, 4. 415 a 26, de gen. anim. II, 1. 735 a 17, de gen. et corr. II, 10. 336 b 26, Polit. I, 2. 1252 a 28, coll. Plat. Sympos. p. 206 C: *ἔστι δὲ τοῦτο θεῖον τὸ πρᾶγμα, καὶ τοῦτο ἐν θνητῷ ὄντι τῷ ζώῳ ἀθάνατον ἔνεστιν, ἡ κύησις καὶ ἡ γέννησις.* 206 E: *τί δὴ οὖν τῆς γεννήσεως; ὅτι ἀειγενές ἐστι καὶ ἀθάνατον ὡς θνητῷ ἡ γέννησις.*

vero, quidquid agit et operatur, non ab aliam causam operatur, quam quod bonum aut est aut ipsi videtur [1]), atque omnis ars similiterque actio et agendi consilium bonum aliquod appetit [2]). Multae autem cum sint actiones et artes doctrinaeque, fines quoque exsistunt multi. Nam medicinae quidem finis est bona valetudo, artis construendarum navium navis, victoria artis imperatoriae, oeconomiae divitiae [3]). Qui vero opus aliquod efficiunt actionemque aliquam obeunt, iis in opere ipso bonum suum consistit. Itaque homini quoque, si quod eius est opus et munus, in eo ipso bonum positum est. Credere autem non licet fabri et sutoris aliquod esse opus et aliquam actionem, hominis vero esse nullum, immo ut oculi, manus, pedis singularumque partium omnium suum cuiusque opus et munus est, sic hominis quoque praeter haec omnia aliquod opus esse nobis est statuendum. Quod ubi cognoverimus, etiam quod bonum sit hominis proprium, habebimus perspectum. Quod autem vivit, id quidem cum stirpibus et plantis ei commune esse apparet. Quocirca vita ea quae in alendo et augescendo consistit, ubi opus quaerimus hominis proprium, removenda est. Pariter vita quae in sentiendo est posita homini communis est cum equo et bove atque animantibus omnibus. Relinquitur igitur vita quaedam agens, propria illius in homine quod ratione praeditum est. Eius autem pars una est quae rationi obtemperat, cum ipsa sit rationis expers, altera quae cogitandi munere fungitur. Cuius actionem apparet esse illa nobiliorem. Sed cum haec ipsa vita duobus modis dicatur, eam quae in functione muneris consistit ponere debemus praestantiorem. Itaque opus hominis statuamus necesse est vitam quandam esse eamque actum animi et actiones cum ratione coniunctas [4]). Iam cum unamquamque actionem

---

[1]) Eth. Nic. III, 6. Met. *Λ*, 1072 a 27: *ἐπιθυμητὸν μὲν γὰρ τὸ φαινόμενον καλόν, βουλητὸν δὲ πρῶτον τὸ ὂν καλόν.*

[2]) Eth. Nic. I, 1. in.: *Πᾶσα τέχνη καὶ πᾶσα μέθοδος, ὁμοίως δὲ πρᾶξίς τε καὶ προαίρεσις, ἀγαθοῦ τινὸς ἐφίεσθαι δοκεῖ.*

[3]) L. l. I, 1. 1094 a 6.

[4]) L. l. I, 6. 1097 b 30sqq.

quae secundum naturam est consequatur voluptas eaque tanto maior, quanto praestantior illa est[1]), speculationem quoque (nam haec est actio partis eius quae cogitandi munere fungitur) necesse est sequatur voluptas eaque summa. Praeterea mentis actio omnium maxime continua est et maxime utitur sufficientia[2]). Quam ob rem homini hac ratione instituto si suppeditant quae necessaria sunt ad vitam suo modo sustentandam, atque absunt magna mala cladesque, summa ei exsistit felicitas et vita optima, quae praestantior est quam humana, *ἢ κατ᾽ ἄνθρωπον*. Non enim quatenus homo est, ita vivit, sed qua divinum quiddam ei inest. Minime vero oportet humana cogitare eum qui homo natus est, neque mortalia qui est mortalis, quin potius summa ope nitendum est, ut quantum licet mortalitatis conditioni nos eximamus, omniaque sunt agenda, ut vivamus secundum partem nostri eam quae est melior.

---

[1]) L. l. X, 4. 1174 b 18: *καθ᾽ ἕκαστον δὲ βελτίστη ἐστὶν ἡ ἐνέργεια τοῦ ἄριστα διακειμένου πρὸς τὸ κράτιστον τῶν ὑφ᾽ αὐτήν. αὕτη δ᾽ ἂν τελειοτάτη εἴη καὶ ἡδίστη· κατὰ πᾶσαν γὰρ αἴσθησίν ἐστιν ἡδονή, ὁμοίως δὲ καὶ διάνοιαν καὶ θεωρίαν, ἡδίστη δ᾽ ἡ τελειοτάτη, τελειοτάτη δ᾽ ἡ τοῦ εὖ ἔχοντος πρὸς τὸ σπουδαιότατον τῶν ὑφ᾽ αὐτήν. τελειοῖ δὲ τὴν ἐνέργειαν ἡ ἡδονή.*

[1]) L. l. Θ, 2. 1046 b 4: *καὶ αἱ μὲν μετὰ λόγου πᾶσαι τῶν ἐναντίων αἱ αὐταί, αἱ δ' ἄλογοι μία ἑνός, οἷον τὸ θερμὸν τοῦ θερμαίνειν μόνον, ἡ δὲ ἰατρικὴ νόσου καὶ ὑγιείας.* 1046 b 18: *τὸ μὲν ὑγιεινὸν ὑγίειαν μόνον ποιεῖ καὶ τὸ θερμαντικὸν θερμότητα καὶ τὸ ψυκτικὸν ψυχρότητα, ὁ δ' ἐπιστήμων ἄμφω.*

[2]) L. l. 5. 1048 a 5: *τὰς μὲν τοιαύτας δυνάμεις* (intell. *τὰς ἀλόγους*) *ἀνάγκη, ὅταν ὡς δύνανται τὸ ποιητικὸν καὶ τὸ παθητικὸν πλησιάζωσι, τὸ μὲν ποιεῖν τὸ δὲ πάσχειν, ἐκείνας δ' οὐκ ἀνάγκη.*

[3]) An. post. 8. 93 a 23 sqq.

[4]) De gen. an. IV, 3. 768 b 15: *αἴτιον δὲ τοῦ μὲν λύεσθαι τὰς κινήσεις ὅτι τὸ ποιοῦν καὶ πάσχει ὑπὸ τοῦ πάσχοντος, οἷον τὸ τέμνον ἀμβλύνεται ὑπὸ τοῦ τεμνομένου καὶ τὸ θερμαῖνον ψύχεται ὑπὸ τοῦ θερμαινομένου, καὶ ὅλως τὸ κινοῦν ἔξω τοῦ πρώτου ἀντικινεῖταί τινα κίνησιν, οἷον τὸ ὠθοῦν ἀντωθεῖταί πως καὶ ἀντιθλίβεται τὸ θλῖβον.*

[5]) L. l. 768 b 20: *ἐνίοτε δὲ καὶ ὅλως ἔπαθε μᾶλλον ἢ ἐποίησεν, καὶ ἐψύχθη μὲν τὸ θερμαῖνον, ἐθερμάνθη δὲ τὸ ψῦχον, ὁτὲ μὲν οὐθὲν ποιῆσαν, ὁτὲ δὲ ἧττον ἢ παθόν.*

[6]) L. l. 769 b 7: .... *ἔτι δὲ διὰ τίν' αἰτίαν ὁτὲ μὲν ἄνθρωπος μὲν*

Sic saepe natura impeditur atque res male procreat, cum obsistat materia. Semper quidem natura finem sibi proponit atque bonum quid efficere studet, sed saepe eo excidit pariter atque ars ea quae vult nonnumquam assequi non valet[1]). Quamquam in artis operibus causa finis ad effectum non adducti sita esse potest et in artificis inscitia et in materia, contra in rebus naturalibus eam tribuere non licet nisi materiae. Videmus igitur Aristoteli quoque materiam aliqua ex parte esse causam mali. Neque id repugnat iis quae supra de materiae apud Aristotelem natura disputavimus. Ibi enim descripsimus materiam primariam, quae prorsus indefinita est; contra ea quae naturae operanti suppetit, iam aliquatenus definita est, nam aut aer est aut ignis aut aqua aut terra. Ea autem materia certis qualitatibus et sua utitur vi nec semper naturae promptam et paratam ad formandum ac fingendum se praebet.

Sed iam progrediamur ad potentias considerandas rationales. Hae quidem efficere possunt contraria. Nam pendent e scientia, quae contrariorum est eadem[2]). Per se quidem spectat ad formam atque notionem, contra ad privationem formae oppositam per accidens, quia una cum notionis affirmatione continet negationem. Notio autem est in anima, quae utitur principio motionis, quocirca anima ab eadem notione

---

τούτων δὲ οὐθενὶ προσόμοιος, ὁτὲ δὲ προϊὸν οὕτως τέλος οὐδὲ ἄνθρωπος ἀλλὰ ζῷόν τι μόνον φαίνεται τὸ γιγνόμενον, ἃ δὴ καὶ λέγεται τέρατα. καὶ γὰρ ἐχόμενον τῶν εἰρημένων ἐστὶν εἰπεῖν περὶ τῶν τοιούτων τὰς αἰτίας. τέλος γὰρ τῶν μὲν κινήσεων λυομένων, τῆς δ᾽ ὕλης οὐ κρατουμένης, μένει τὸ καθόλου μάλιστα· τοῦτο δ᾽ ἐστὶ τὸ ζῷον. IV, 4. 770 b 15: διὰ τὸ καὶ τὸ παρὰ φύσιν εἶναι τρόπον τινὰ κατὰ φύσιν, ὅταν μὴ κρατήσῃ τὴν κατὰ τὴν ὕλην ἡ κατὰ τὸ εἶδος φύσις.

[1]) Phys. II, 8. 199 a 33: ἁμαρτία δὲ γίγνεται καὶ ἐν τοῖς κατὰ τέχνην· ἔγραψε γὰρ οὐκ ὀρθῶς ὁ γραμματικός, καὶ ἐπότισεν οὐκ ὀρθῶς ὁ ἰατρὸς τὸ φάρμακον· ὥστε δῆλον ὅτι ἐνδέχεται καὶ ἐν τοῖς κατὰ φύσιν. εἰ δὴ ἔστιν ἔνια κατὰ τέχνην ἐν οἷς τὸ ὀρθῶς ἕνεκά του, ἐν δὲ τοῖς ἁμαρτανομένοις ἕνεκα μέν τινος ἐπιχειρεῖται ἀλλ᾽ ἀποτυγχάνεται, ὁμοίως ἂν ἔχοι καὶ ἐν τοῖς φυσικοῖς, καὶ τὰ τέρατα ἁμαρτήματα ἐκείνου τοῦ ἕνεκά του.

[2]) Met. K, 3. 1061 a 18: ἐπεὶ δ᾽ ἐστὶ τὰ ἐναντία πάντα τῆς αὐτῆς καὶ μιᾶς ἐπιστήμης θεωρῆσαι. Γ, 2. 1004 a 9. An. pr. I, 36. 48 b 4. Eth. Nic. V, 1. 1129 a 13.

profecta efficere potest contraria, cum ea comprehendat uno[1]). Quo fit, ut utamur libero arbitrio. Itaque facere possumus et quae bona sunt et quae mala[2]). Verum cum homo ea quae contraria sunt una efficere non possit, utrum facturus sit, pendet ex alio quo. Aptum autem est ex appetitu[3]). Semper enim, ut quid agamus, opus est appetitu. Is vero aut se subicit rationi eique obtemperat, aut superat eam ac sequitur sua[4]). Potest quidem haec animae pars a ratione superari, sed saepe illam vincit. Itaque ad moralem hominum vitam quod attinet, privatio efficitur primum eo quod facultate utimur cogitandi contraria; hac enim nititur liberum arbitrium; maxime vero causa privationis appetitus est, qui saepe agat contra rationem. At hoc ipsum quaeritur, cur

---

[1]) Met. Θ, 2. 1046 b 8: *ὁ δὲ λόγος ὁ αὐτὸς δηλοῖ τὸ πρᾶγμα καὶ τὴν στέρησιν, πλὴν οὐχ ὡσαύτως, καὶ ἔστιν ὡς ἀμφοῖν, ἔστι δ' ὡς τοῦ ὑπάρχοντος μᾶλλον. ὥστ' ἀνάγκη καὶ τὰς τοιαύτας ἐπιστήμας εἶναι μὲν τῶν ἐναντίων, εἶναι δὲ τοῦ μὲν καθ' αὑτὰς τοῦ δὲ μὴ καθ' αὑτάς· καὶ γὰρ ὁ λόγος τοῦ μὲν καθ' αὑτό, τοῦ δὲ τρόπον τινὰ κατὰ συμβεβηκός· ἀποφάσει γὰρ καὶ ἀποφορᾷ δηλοῖ τὸ ἐναντίον. ἡ γὰρ στέρησις ἡ πρώτη τὸ ἐναντίον, αὕτη δ' ἀποφορὰ θατέρου· ἐπεὶ δὲ τὰ ἐναντία οὐκ ἐγγίγνεται ἐν τῷ αὐτῷ, ἡ δ' ἐπιστήμη δύναμις τῷ λόγον ἔχειν, καὶ ἡ ψυχὴ κινήσεως ἔχει ἀρχήν, τὸ μὲν ὑγιεινὸν ὑγίειαν μόνον ποιεῖ καὶ τὸ θερμαντικὸν θερμότητα καὶ τὸ ψυκτικὸν ψυχρότητα, ὁ δ' ἐπιστήμων ἄμφω. λόγος γάρ ἐστιν ἀμφοῖν μέν, οὐχ ὁμοίως δέ, καὶ ἐν ψυχῇ ἣ ἔχει κινήσεως ἀρχήν· ὥστε ἄμφω ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἀρχῆς κινήσει πρὸς τὸ αὐτὸ συνάψασα.*

[2]) Eth. Nic. III, 7. 1113 b 6: *ἐφ' ἡμῖν δὲ καὶ ἡ ἀρετή, ὁμοίως δὲ καὶ ἡ κακία.*

[3]) Met. Θ, 5. 1048 a 8: *αὗται μὲν γὰρ πᾶσαι μία ἑνὸς ποιητική, ἐκεῖναι δὲ τῶν ἐναντίων, ὥστε ἅμα ποιήσει τἀναντία· τοῦτο δὲ ἀδύνατον. ἀνάγκη ἄρα ἕτερόν τι εἶναι τὸ κύριον· λέγω δὲ τοῦτο ὄρεξιν ἢ προαίρεσιν. ὁποτέρου γὰρ ἂν ὀρέγηται κυρίως, τοῦτο ποιήσει, ὅταν ὡς δύναται ὑπάρχῃ καὶ πλησιάζῃ τῷ παθητικῷ.*

[4]) De anim. III, 10. 433 a 22: *νῦν δὲ ὁ μὲν νοῦς οὐ φαίνεται κινῶν ἄνευ ὀρέξεως· ἡ γὰρ βούλησις ὄρεξις· ὅταν δὲ κατὰ τὸν λογισμὸν κινῆται καὶ κατὰ βούλησιν κινεῖται. ἡ δ' ὄρεξις κινεῖ παρὰ τὸν λογισμόν· ἡ γὰρ ἐπιθυμία ὄρεξίς τις ἐστίν. νοῦς μὲν οὖν πᾶς ὀρθός· ὄρεξις δὲ καὶ φαντασία καὶ ὀρθὴ καὶ οὐκ ὀρθή.* Eth. Nic. I, 13. 1102 b 16: *φαίνεται δ' ἐν αὐτοῖς καὶ ἄλλο τι παρὰ τὸν λόγον πεφυκός, ὃ μάχεταί τε καὶ ἀντιτείνει τῷ λόγῳ. ἀτεχνῶς γὰρ καθάπερ τὰ παραλελυμένα τοῦ σώματος μόρια εἰς τὰ δεξιὰ προαιρουμένων κινῆσαι τοὐναντίον εἰς τὰ ἀριστερὰ παραφέρεται, καὶ ἐπὶ τῆς ψυχῆς οὕτως· ἐπὶ τἀναντία γὰρ αἱ ὁρμαὶ τῶν ἀκρατῶν.*

homini potentia qua indita sit, quae rationi, parti hominis optimae ac praestantissimae, adversetur atque repugnet, quae quominus homo finem a natura propositum assequatur et possit impedire et saepissime impediat. Inquirendum est, cur naturae humanae discrepantia, quae a causa finali prorsus esse aliena videtur, sit admissa. Sed vix apud Aristotelem huius quaestionis reperies responsum.

Apparet autem ex iis quae de privatione disseruimus Aristotelem malorum principium per se consistens non agnovisse, sed tribuisse mala privationi eamque in rerum natura partim e materia eiusque viribus, partim e perturbationibus et impedimentis, quae exsisterent necessario, repetiisse, in morali autem hominum vita e libero arbitrio atque cupiditatibus homini a natura insitis [1]).

Atque etiam demonstrare studet malum quid per se et seorsum constare non posse [2]). „Melior," ait, „et praestantior actus est bona potentia. Nam quaecunque sunt potentia, ea evadere possunt contraria. Eadem enim est potentia sanitatis et morbi atque status et motus. Contra actus in alterutro contrariorum consistit, altero excluso, quam ob causam actus necessario aut bonus aut malus est [3]). Itaque bonus actus

---

[1]) Haec si vera sunt, ad privationem quod attinet lenius iudicandum est de Aristotele quam fecit Struempell. Theoret. Philos. d. Gr. p. 227 sq.

[2]) Met. Θ, 9. in.

[3]) Aristoteles hic respicit formam et privationem eam quae formae instar sit, atque actiones et conditiones quae iis respondeant, id quod apparet ex exemplis quae profert. Cf. 1051 a 7: *ὑγιαίνειν καὶ νοσεῖν*, a 8: *ὑγιαίνειν καὶ κάμνειν*, a 9: *ἠρεμεῖν καὶ κινεῖσθαι, οἰκοδομεῖν καὶ καταβάλλειν*, a 10: *οἰκοδομεῖσθαι καὶ καταπίπτειν*. Sed quamvis saepe ea quae inter se contraria sunt sint eiusmodi, ut alterum boni quid sit, mali quid alterum, tamen non omnia contraria boni et mali discrimini subicere licet, veluti hic in motum et statum hoc discrimen non convenit, cf. Bonitz. Metaph. comment. p. 406. Contra non assentimur Bonitzio, quod p. 407 dicit falso hic ab Aristotele iudicium morale de bono et malo immisceri rebus iis a quibus alienum sit. Nam bonum quod dicit Aristoteles non tantum ad mores spectat, verum etiam metaphysica, ut ita dicamus, utitur significatione, quia artissime cohaeret cum causa finali. Atque de huius generis bono hic cogitandum est.

melior est potentia, ut quae contrariorum sit eadem. Contra in malis rebus necesse est finem et actum deteriorem esse potentia, cum e potentia etiam bonum quid exsistere possit, actus autem rei malum habeat integrum. Apparet igitur malum non esse extra res, a 17: *δῆλον ἄρα ὅτι οὐκ ἔστι τὸ κακὸν παρὰ τὰ πράγματα*, h. e. malum seorsum ac per se non constare. Nam posterius natura malum est quam potentia, contra substantiae quae per se constant aeternae et necessariae illa sunt priores. Quapropter malum in iis esse non potest."

Omittamus quod iam supra contra hanc argumentationem monuimus atque examinemus extremam eius partem, utpote in qua omnia posita sint. Dicit igitur Aristoteles in rebus malis actum deteriorem esse potentia; apparere igitur malum non esse extra res, nam posterius natura malum esse quam potentiam. Quae ordinanda videntur esse in hunc modum: In rebus malis actus potentia deterior est. [Atqui quod deterius est, idem est posterius, cf. *Λ*, 7. 1072 a 35: *καὶ ἔστιν ἄριστον ἀεὶ ἢ ἀνάλογον τὸ πρῶτον*. Phys. VIII, 9. 265 a 22: *πρότερον δὲ καὶ φύσει καὶ λόγῳ καὶ χρόνῳ τὸ τέλειον μὲν τοῦ ἀτελοῦς, τοῦ φθαρτοῦ δὲ τὸ ἄφθαρτον*.] Ergo posterius malum est potentia atque ob eam causam per se consistere nequit.

Sententiam, quod deterius sit, idem esse posterius, inseruimus, cum quomodo argumentatio antea melioris et deterioris notionibus nixa deflectat ad posterius, alia ratione explicari posse non videatur. Iam num constet demonstratio, examinemus. Ac primum quidem huic argumentationi non nimis confidemus, cum proficiscatur a melioris et deterioris notionibus, quae primariam rerum naturam parum attingant. Deinde vidimus argumentationem inniti sententia, melius quod sit, idem esse prius. Sed haec sententia ipsa unde petita est? Profecto inde quod deus omnium primum est atque idem optimum. Sin autem inde quod deus omnium optimum sit idemque primum colligimus, quae priora sint eadem esse meliora et quae meliora eadem priora, tacite aliud quid ad-

dimus: deum primum esse solum nec esse iuxta eum principium mali. Itaque in sententia quae adsciscitur iam inest quod erat demonstrandum [1]).

Si respicimus quae proxime disputata sunt, mala quoque in hac rerum universitate inesse Aristoteles concedit [2]), originem autem eorum repetit e causa finali perturbata. Itaque principem locum tenet causa finalis. Qui vero finem summum rerum principium esse vult, idem prorsus necesse est statuat naturam esse providam, quae fines cogitaverit atque adduxerit ad effectum, h. e. necesse est auctorem mundi fabricati et conditi existimet esse deum. Tamen Aristoteles, ubi numen divinum agnoscendum esse demonstrare studet, non a causa finali proficiscitur, sed a motione. Quae quomodo inter se conveniant, paullo infra videbimus.

Met. Λ, 6. 1071 b 6 seqq. aeternum esse demonstrat atque continuum motum et tempus. Motus autem aeternus ut sit, opus est aliquo quod moveat, idque necesse est et ipsum aeternum sit et semper in actu versetur. Nam potentia quod est, potest etiam non operari. Itaque statuendum est principium, cuius substantia actus sit et careat materia. Nam quidquid cum materia coniunctum est, in eo inest potentia. Potentiale autem nihil est aeternum. Iam cum eadem semper sit omnium rerum vicissitudo, oportet poni aliquid quod perpetuo eodem modo agat, contra ut explicemus, qui possit esse generatio et interitus, sumendum alterum est quod et ipsum in actu perpetuo sit, sed varium usque in modum. Illud autem quod semper eodem motu movetur eoque orbiculari, primum caelum est, h. e. caelum quod stellas fixas continet. Cum vero nihil se movere possit ipsum, requiritur aliquid quod moveat, ita tamen, ut ipsum non moveatur; nam si moveretur, ab alio quo moveretur. Itaque statuendum est primum motorem esse immotum, eundemque aeternum, sub-

---

[1]) Bonitzius quoque hanc Aristotelis argumentationem impugnat, verum alia atque nos ratione. Cf. Met. comment. p. 407.

[2]) Met. A, 4. 984 b 32.

stantiam, actum. Hunc autem in modum movet id quod appetibile et quod cogitabile sive intellegibile est; quorum prima sunt eadem, *Λ*, 7. 1072 a 27: *τούτων τὰ πρῶτα τὰ αὐτά*, h: e. *τὸ πρῶτον ὀρεκτὸν καὶ τὸ πρῶτον νοητὸν τὸ αὐτό ἐστιν*, nos: „sie fallen zusammen." Cupiditas enim appetit id quod pulchrum esse videtur, contra voluntas, quod pulchrum est. Appetimus autem potius propterea quod videtur aliquid pulchrum esse, quam pulchrum illud videtur propterea quod appetimus. Nam principium est cogitatio. (Nihil enim appetere possumus, nisi quod antea cogitavimus). Intellectus autem excitatur eo quod intellegibile est; intellegibilis autem per se est altera series, (qua continentur ea quae per affirmationem definiuntur), atque huius prima substantia, atque huius ea quae simplex est et semper in actu versatur. Haec substantia est primum intellegibile. Sed etiam bonum et quod per se appetibile est eadem serie continetur, atque id quod primum est idem semper optimum est aut id quod ei respondeat. Itaque optimum est substantia simplex et semper actu consistens; cumque optimum sit, etiam appetibile per se est. Substantia igitur illa est primum intellegibile et primum appetibile, atque ob eam causam finis summus. Etenim finem in immobilibus esse intellegitur, ubi finis notionem distinguimus atque in genera sua dividimus. Duplex enim est *τὸ οὗ ἕνεκα*, quorum alterum est *τὸ οὗ*, alterum *τὸ ᾧ*. Et *τὸ οὗ* quidem, cum ipsum sit immobile, quominus in substantiis immobilibus reperiatur nihil impedit, contra *τὸ ᾧ*, utpote quod per mutationem sui ipsius ad illud accedat, in immobilibus esse nequit [1]).

Sed hic paulisper subsistendum est. Primum Aristoteles demonstrare studet, primam substantiam esse causam moventem, deinde, eandem esse finem summum, quam ob causam postquam primam substantiam movere cum ipsa non moveatur

---

[1]) *Λ*, 7. 1072 b 2: *ἔστι γάρ τινι τὸ οὗ ἕνεκα, ὧν τὸ μὲν ἔστι τὸ δ' οὐκ ἔστι*, cf. Bonitz. Met. comment. p. 499, Bernays. Die Dialoge d. Aristot. p. 169.

docuit, ab eo quod appetibilia et intellegibilia eodem modo moveant profectus eandem substantiam summum esse finem comprobat. Sed concedendum est, hunc locum non esse aptum, ubi substantiam illam mundi finem esse demonstretur. Nam nihil aliud adhuc Aristoteles docuit nisi motorem primum esse aeternum, immotum, substantiam, actum. Sin autem natura summae substantiae, quae eadem summus finis est, his solis utitur virtutibus, admodum exigua est et inops.

Proximis philosophus motum mutationemque omnem a substantia prima abesse efficere studet[1]). Quo facto subito conditionem eius describit talem, ut mentem esse appareat. Sed quomodo id fieri potest? Profectus erat Aristoteles in definienda primae substantiae natura a motu qui in hoc mundo inest, atque hunc ab illa manare demonstraverat. Iam ad mentem quomodo perducatur statuendam, facile est ad videndum. Motus enim constituit mundum omnesque quae eo continentur naturas. Boni autem et pulchri quod et in singulis rebus et in hac rerum universitate reperitur originem, si sequimur Aristotelem, tribuere non licet nisi substantiae providae ac praeditae mente[2]). Omnino constans Aristotelis fuisse sententia videtur, ordine ac pulchritudine mundi quin adigamur ad numen divinum agnoscendum nos facere non posse[3]). Itaque motio qua mundus conditus

---

[1]) L. l. 1072 b 4—13.

[2]) Met. A, 3. 984 b 11: τοῦ γὰρ εὖ καὶ καλῶς τὰ μὲν ἔχειν τὰ δὲ γίγνεσθαι τῶν ὄντων ἴσως οὔτε πῦρ οὔτε γῆν οὔτ' ἄλλο τῶν τοιούτων οὐθὲν οὔτ' εἰκὸς αἴτιον εἶναι οὔτ' ἐκείνους οἰηθῆναι· οὐδ' αὖ τῷ αὐτομάτῳ καὶ τῇ τύχῃ τοσοῦτον ἐπιτρέψει πρᾶγμα καλῶς εἶχεν. νοῦν δή τις εἰπὼν εἶναι, καθάπερ ἐν τοῖς ζῴοις, καὶ ἐν τῇ φύσει τὸν αἴτιον τοῦ κόσμου καὶ τῆς τάξεως πάσης οἷον νήφων ἐφάνη παρ' εἰκῇ λέγοντας τοὺς πρότερον. Λ, 10. in.: Ἐπισκεπτέον δὲ καὶ ποτέρως ἔχει ἡ τοῦ ὅλου φύσις τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἄριστον, πότερον κεχωρισμένον τι καὶ αὐτὸ καθ' αὑτό, ἢ τὴν τάξιν; ἢ ἀμφοτέρως ὥσπερ στράτευμα. καὶ γὰρ ἐν τῇ τάξει τὸ εὖ καὶ ὁ στρατηγός, καὶ μᾶλλον οὗτος· οὐ γὰρ οὗτος διὰ τὴν τάξιν ἀλλ' ἐκείνη διὰ τοῦτόν ἐστιν.

[3]) Sextus, adversus mathemat. IX, 20: Ἀριστοτέλης δὲ ἀπὸ δυοῖν ἀρχῶν ἔννοιαν θεῶν ἔλεγε γεγονέναι ἐν τοῖς ἀνθρώποις, ἀπό τε τῶν περὶ

est et servatur, caeca esse non potest, immo necesse est exoriatur a substantia sapienti ac plena rationis.

Itaque apparet argumentationem qua Aristoteles numen divinum agnoscendum esse demonstrare studet, quamquam a motu orditur, tamen causa inniti finali. Iam consideremus proxima, quibus philosophus quali vitae conditione prima substantia utatur describit[1]). „Vita autem est, qualis optima qua nos per breve temporis spatium fruimur. Nam semper illud sic se habet, (nobis enim hoc non contingit), cum etiam voluptas actus sit, b 16: *ἐπεὶ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια* [*τούτου*] [2]), cf. Eth. Nic. VII, 15. 1154 b 25, VII, 13. 1153 a 12, X, 4. 1174 b 23: *τελειοῖ τὴν ἐνέργειαν ἡ ἡδονή*. Antea primam substantiam aeternum actum esse docuit; atqui actus affert voluptatem; ergo substantia prima et voluptate fruitur et semper ea fruitur. Atque ob hanc causam, b 17: *καὶ διὰ τοῦτο*, h. e. *ἐπεὶ καὶ*

ψυχὴν συμβαινόντων καὶ ἀπὸ τῶν μετεώρων· ἀλλ᾽ ἀπὸ μὲν τῶν περὶ τὴν ψυχὴν συμβαινόντων, διὰ τοὺς ἐν τοῖς ὕπνοις γινομένους ταύτης ἐνθουσιασμοὺς καὶ τὰς μαντείας . . . . . ἀλλὰ δὴ καὶ ἀπὸ τῶν μετεώρων· θεασάμενοι γὰρ μεθ᾽ ἡμέραν μὲν ἥλιον περιπολοῦντα, νύκτωρ δὲ τὴν εὔτακτον τῶν ἄλλων ἀστέρων κίνησιν, ἐνόμισαν εἶναί τινα θεὸν τὸν τῆς τοιαύτης κινήσεως καὶ εὐταξίας αἴτιον. Cicero, de natur. deor. II, 37. 95: Praeclare ergo Aristoteles si essent, inquit, qui sub terra semper habitavissent bonis et illustribus domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii qui beati putantur, nec tamen exissent umquam supra terram, accepissent autem fama et auditione esse quoddam numen et vim deorum, deinde aliquo tempore patefactis terrae faucibus ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent, cum repente terram et maria caelumque vidissent, nubium magnitudinem ventorumque vim cognovissent adspexissentque solem, eiusque cum magnitudinem pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret toto caelo luce diffusa, cum autem terras nox opacasset, tum caelum totum cernerent astris distinctum et ornatum, lunaeque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis eorumque omnium ortus et occasus et in omni aeternitate ratos immutabilesque cursus cum viderent: profecto et esse deos et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur.

[1]) *Λ*, 7. 1072 b 14 sqq.

[2]) *τούτου* genetivum delendum esse arbitramur. Vid. excurs. IV.

ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια, expergefieri, percipere, cogitare iucundissimum est, spes autem et recordationes propter haec scil. iucundissimae sunt, h. e. propterea quod ad unam ex illis actionibus spectant. Iam ad summam et praestantissimam mentis humanae actionem describendam transit. Dixerat enim primae substantiae vitam esse talem, qualis nobis nonnumquam per breve temporis spatium contingeret. Itaque iam declarandum est, quae nostra sit vita optima ac praestantissima. Beatissimam autem hominibus vitam suppeditat summa mentis actio. Cogitatio vero per se est eius quod per se optimum est et summa summi. Nam dignitas cogitationis pendet ex eo quod cogitatur, cf. *Λ*, 9. 1074 b 29 seqq. Summa vero est cogitatio et optima, ubi semet ipsum intellectus cogitat. Semet ipsum autem intellectus cogitat, cum participet intellegibile. Hoc quid sibi velit proximis brevissime exponitur. Intellegibilis enim exsistit comprehendens et cogitans, scil. intellegibilia, h. e. notiones sive formas a materia seiunctas. *θιγγάνων*, cf. *Θ*, 10. 1051 b 24, ubi dicitur de cognoscendis substantiis simplicibus. [Aliter Brandis. II, 2. 1, 577: „In ähnlicher Weise wird vom göttlichen Geiste gesagt, dass er sich berührend sich selber denke.“ Quam interpretationem probat Schwegler. Metaph. IV, p. 266. Nobis autem ea psychologiae Aristoteleae adversari videtur.] ita ut idem sit intellectus et intellegibile. b 21: *ὥστε ταὐτὸν νοῦς καὶ νοητόν*. Nos: „sie fallen zusammen.“ Nam id quod recipere potest intellegibile atque substantiam est intellectus. b 22: *τοῦ νοητοῦ καὶ τῆς οὐσίας*. *καί* particula hic quemadmodum saepissime apud Aristotelem notioni generali aliam, quae rem accuratius significet, adiungit, cf. Waitz. Organ. II, p. 397 sq. Bonitz. Met. comment. p. 218. Intellegibile enim quod intellectus recipit rerum forma materiae immunis sive substantia est. Actu autem est, ubi habet, scil. intellegibile, h. e. ubi formae re in intellectu insunt. Tum enim opere suo fungitur et actu est, vel ut accuratius dicamus: tum *θεωρεῖ*. Nam proprius intellectus actus est speculatio,

cf. Phys. VIII, 4. 255 b 2: ὁ γὰρ ἔχων ἐπιστήμην μὴ θεωρῶν δὲ δυνάμει ἐστὶν ἐπιστήμων πως, ἀλλ' οὐχ ὡς καὶ πρὶν μαθεῖν. ὅταν δ' οὕτως ἔχῃ, ἐάν τι μὴ κωλύῃ, ἐνεργεῖ καὶ θεωρεῖ. De anim. II, 5. 417 b 5: θεωροῦν γὰρ γίγνεται τὸ ἔχον τὴν ἐπιστήμην. Itaque hoc, scil. quod actu est intellegibilis et speculatur, magis quam illud, scil. quod capax est intellegibilis recipiendi et speculandi utitur potentia, est id quod divini intellectus habere videtur. Nam haec mentis cogitatio sui ipsius summa hominis actio est atque ea, per quam prope ad vitam divinam accedat, cf. Eth. Nic. X, 7. 1177 b 26. Atque speculatio gratissimum est et optimum. Iam huic praestantissimae et beatissimae vitae humanae philosophus confert divinam[1]). Si igitur tam

---

[1]) Schweglerus putat verba inde a b 18: ἡ δὲ νόησις ἡ καθ' αὐτήν κτλ. referenda esse ad mentem divinam. Cui sententiae primum totius loci ratio obstat. Nam cum dixerit philosophus b 14: διαγωγὴ δ' ἐστὶν οἵα ἡ ἀρίστη μικρὸν χρόνον ἡμῖν, quae sit nostra vita optima docendum est. Hoc per se requiritur. Praeterea autem verba quae leguntur b 24: εἰ οὖν οὕτως εὖ ἔχει, ὡς ἡμεῖς ποτέ, ὁ θεὸς ἀεί, θαυμαστόν· εἰ δὲ μᾶλλον, ἔτι θαυμασιώτερον, satis docent ea quae antecedant pertinere ad mentem humanam. Denique in divinum intellectum minime cadunt haec: νοητὸς γὰρ γίγνεται θιγγάνων καὶ νοῶν b 20 et τὸ γὰρ δεκτικὸν τοῦ νοητοῦ καὶ τῆς οὐσίας νοῦς b 22. Contra Bonitzius de mente humana disseri putat usque ad verba: τὸ γὰρ δεκτικὸν τοῦ νοητοῦ καὶ τῆς οὐσίας νοῦς, atque reverti disputationem ad intellectum divinum inde a verbis ἐνεργεῖ δὲ ἔχων b 22. Cf. comment. p. 501: „Intellectus enim suapte natura aptus est ad recipiendum id quod est intellegibile, id est autem ad recipiendam substantiam. Summus vero intellectus, quoniam ipse in se continet atque ipse est τὸ νοητόν, non facultatem solum habet intellegendi, sed ἐνεργεῖ." Sed si quis dicit: τὸ γὰρ δεκτικὸν τοῦ νοητοῦ καὶ τῆς οὐσίας νοῦς, ἐνεργεῖ δὲ ἔχων posterior enunciati pars subiecto uti non potest alio atque pars prior. Neque punctum ponendum est ante verba ἐνεργεῖ δὲ ἔχων, sed comma, cum his actus opponatur potentiae, quae significatur priore sententiae parte. Confer his verbis locum qui est de anim. III, 4. 429 b 30: ὅτι δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδέν, πρὶν ἂν νοῇ. Praeterea autem ne tum quidem, si id quod vult Bonitzius statuitur, philosophi expositio apte procedit. Nam verba: εἰ οὖν οὕτως εὖ ἔχει, ὡς ἡμεῖς ποτέ, ὁ θεὸς ἀεί, θαυμαστόν· apertissimo sunt indicio, ea quae antecedant ad mentem spectare humanam. Itaque sententiarum cohaerentia esse non potest nisi haec: dei perpetuo vita est, qualis optima, quae nobis per breve tem-

bene, quam nos nonnumquam, deus semper se habet, admirabile; sin autem magis, etiam admirabilius. Habet autem se hoc modo. Atque vita suppetit, nam intellectus actus est vita; ille autem est actus; actus autem qui per se est illius vita est optima atque aeterna. Dicimus igitur (libri: *φαμὲν δέ*, Bonitzius suspicatur scribendum esse: *φαμὲν δή*, quod nobis esse probandum videtur), deum esse animal aeternum, optimum, ita ut vita continua et aeterna suppetat deo; talis enim deus est."

Describit igitur Aristoteles dei vitam eam, quae versetur in speculatione. Quid autem cogitet, explicat *Λ*, 9. 1074 b 33: *αὑτὸν ἄρα νοεῖ, εἴπερ ἐστὶ τὸ κράτιστον, καὶ ἔστιν ἡ νόησις νοήσεως νόησις*, „semet ipsum igitur cogitat intellectus divinus, siquidem optimum est, et cogitatio est cogitationis cogitatio." Quod quid sibi velit, summa doctorum hominum est dubitatio sententiarumque discrepantia. Expeditum autem iri quaestionem arbitramur, si cuiusmodi humanae mentis sit suimet ipsius cogitatio intellexerimus. Nam magnam similitudinem ex Aristotelis sententia inter mentem divinam et humanam intercedere cognoscimus et ex iis quae locum prolatum sequuntur [1]), et ex loco capitis septimi de quo modo egimus; neque minus ex multis aliis Aristoteleorum librorum locis id apparet. Itaque ut perspiciamus, quae sit divini intellectus cogitationis cogitatio, satius esse ducimus antea quae sit humanae mentis cogitatio sui ipsius investigare.

---

poris spatium conceditur; nam etiam voluptatem actus, quo ille semper utitur, affert b 14—17. Iam transit ad actus vitae humanae, ut quae sit optima nostra vita explicet, *καὶ διὰ τοῦτο ἐγρήγορσις αἴσθησις νόησις ἥδιστον* b 17. 18. Summus vero hominis actus est summa cogitatio, *ἡ δὲ νόησις ἡ καθ' αὑτὴν τοῦ καθ' αὑτὸ ἀρίστου, καὶ ἡ μάλιστα τοῦ μάλιστα* b 18. Quae quomodo fiat, explicat b 20—28, additque suavissimum eam esse et optimum, quod hominibus contingat, *καὶ ἡ θεωρία τὸ ἥδιστον καὶ ἄριστον* b 24. Quo facto summae beatitudini humanae vitam comparat dei, *εἰ οὖν οὕτως εὖ ἔχει, ὡς ἡμεῖς ποτέ, ὁ θεὸς ἀεί, θαυμαστόν· εἰ δὲ μᾶλλον, ἔτι θαυμασιώτερον. ἔχει δὲ ὧδί* b 24—26.

[1]) Cf. c. 9. 1074 b 35 sqq.

Mentem seiunctum quid esse et quod per se consistat, saepius dicit Aristoteles, demonstrare studet, si quid video, de anim. III, 4. 429 b 10 seqq. Antea de mente verba ita fecerat, ut aliquantum similitudinis ei esset cum sensitivo, hic aliud quid esse quo res ipsas, aliud quo eorum notiones cognoscamus et iudicemus, statuit. Fundamentum autem argumentationis repetit e rerum concretarum et notionum diversitate, ita ut servetur via ac ratio quam proponit de anim. II, 4. 415 a 16 seqq. [1]. „Cum vero,“ inquit, „aliud quid sit quantitas et notio quantitatis atque aqua et notio aquae (sic autem etiam in multis aliis res se habet, tamen non in omnibus, in nonnullis enim res et notio eius inter se non differunt), carnis notionem et carnem aut alio aut eo quod aliter se habeat mens iudicat, ἢ ἄλλῳ ἢ ἄλλως ἔχοντι κρίνει, h. e. aut parte sive facultate alia aut eadem, ita tamen, ut aliter se habeat ubi carnem, aliter ubi eius notionem percipit. Nam caro non est sine materia, sed pariter atque cavum quod in naribus cernitur, hoc in hoc, τόδε ἐν τῷδε, h. e. forma cum materia coniuncta. τὸ σιμόν rerum concretarum exemplum est Aristoteli admodum usitatum, contra τὸ κοῖλον exemplum est formae materia immunis, cf. Met. E, 1. 1025 b 30 seqq. Sensitivo igitur calidum et frigidum percipit ac iudicat et quorum aliqua ratio est caro, contra alio, aut seiuncto quo aut (eo quod ita aliud est), quemadmodum linea inflexa se habet ad semet ipsam, quando est extenta, carnis notionem iudicat. Haec verba quem in modum intellegenda sint, dubium est. Liceat autem, ne moremur in hoc loco, ipsi quid sentiamus, statim in medium proferre. Ac nobis quidem sententia videtur esse

---

[1]) *Εἰ δὲ χρὴ λέγειν τί ἕκαστον αὐτῶν, οἷον τί τὸ νοητικὸν ἢ τὸ αἰσθητικὸν ἢ τὸ θρεπτικόν, πρότερον ἔτι λεκτέον τί τὸ νοεῖν καὶ τί τὸ αἰσθάνεσθαι· πρότερον γάρ εἰσι τῶν δυνάμεων αἱ ἐνέργειαι καὶ αἱ πράξεις κατὰ τὸν λόγον. εἰ δ' οὕτως, τούτων δ' ἔτι πρότερα τὰ ἀντικείμενα δεῖ τεθεωρηκέναι, περὶ ἐκείνων πρῶτον ἂν δέοι διορίσαι διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν, οἷον περὶ τροφῆς καὶ αἰσθητοῦ καὶ νοητοῦ.*

haec: alio autem aut seiuncto, h. e. quod ita est aliud, ut substantia a sensitivo differat, aut eo, quod ita est aliud, quemadmodum linea alia est ubi inflectitur, alia ubi extenditur, h. e. alio, quod substantia quidem idem est atque sensitivum, differt autem ab eo notione sive modo (quo vocabulo hic ita utimur, ut proxime accedat ad significationem quam Spinoza huic voci subiecit) carnis notionem percipit. Etenim linea et cum inflectitur et cum extenditur, substantia quidem est eadem, diversa modo et notione. Quod Aristoteles ut ostenderet, non dixit *ὡς ἡ κεκλασμένη ἔχει πρὸς τὴν εὐθεῖαν*, sed *πρὸς αὑτὴν ὅταν ἐκταθῇ*, quo eandem manere substantiam, modum exsistere alium optime significatur. Illustratur igitur hic exemplo discrimen, quod supra indicaverat verbis *ἢ ἄλλῳ ἢ ἄλλως ἔχοντι* [1]).

In iis quae proxime sequuntur Aristoteles, quo, h. e. qua parte sive facultate, mens intellegat res mathematicas docet. Absolvitur autem argumentatio verbis: *καὶ ὅλως ἄρα ὡς χωριστὰ τὰ πράγματα τῆς ὕλης, οὕτω καὶ τὰ περὶ τὸν νοῦν*, „atque omnino quemadmodum notiones segregatae sunt a materia, ita res etiam in mente se habet,“ h. e. ita etiam mens materiae immunis est.

Universa igitur argumentatio est haec. Res concretae et notiones inter se differunt, quam ob causam mens utrasque non eodem, h. e. non eadem parte sive facultate, percipere

---

[1]) Cf. 429 b 20: *ἑτέρῳ ἄρα ἢ ἑτέρως ἔχοντι κρίνει.* II, 2. 413 b 14: *καὶ εἰ μόριον, πότερον οὕτως ὥστ᾽ εἶναι χωριστὸν λόγῳ μόνον ἢ καὶ τόπῳ.* III, 4. in.: *Περὶ δὲ τοῦ μορίου τοῦ τῆς ψυχῆς ᾧ γινώσκει τε ἡ ψυχὴ καὶ φρονεῖ, εἴτε χωριστοῦ ὄντος εἴτε καὶ μὴ χωριστοῦ κατὰ μέγεθος ἀλλὰ κατὰ λόγον κτλ.* Alia atque nos statuit Trendelenburgius, qui comment. p. 477 „Inflexa“, ait, „linea e recta nata posterius aliquid est, cui recta tanquam prius subest. Si inflexam in rectam rursus extenderis, princeps illud et causa restituitur. Ita mens, si notionem, quae rem constituit tanquam lex et causa, intellexerit, hoc, quod subest, sublatis, quae materiae natura notioni acciderunt, in dignitatem restituit suam.“ Quod in verbis Aristotelis inesse posse non negamus. Tamen aptius nobis argumentatio progredi videtur, si illam quam proposuimus notionem subicimus. Sed de hac quidem re iudicium sit penes alios.

potest. Iam duo cogitari possunt. Id enim quo notiones intellegit, h. e. intellectivum, ab eo quo percipit res concretas, h. e. a sensitivo, aut substantia aut tantum modo et notione differt. Cum vero notiones a materia seiunctae sint, id quo eas comprehendimus et ipsum materia careat necesse est. Ergo intellectivum materiae prorsus immune est atque substantia a sensitivo differt, ut quod cum materia sit coniunctum. Sic ab obiectorum natura exorsus Aristoteles subiectorum indolem constituere studet. Cui rationi prorsus contraria est ea qua Plato utitur Tim. p. 51 D. [1]).

Intellectus autem, si Aristotelem sequimur, non tantum cogitandi et intellegendi facultas est, verum etiam intellegibilis; est enim notiones ipsae. Attamen innatae eae non sunt, ita ut omnis cogitatio nil sit nisi recordatio [2]), sed ab initio capax tantum est notionum sive formarum recipiendarum, actu autem ut notiones insint, ipse operetur necesse est [3]). Primus quidem intellectus status est, ut mera sit cogitandi facultas, utitur autem vi propria et insita, qua notiones formasque pro-

---

[1]) *Εἰ μὲν νοῦς καὶ δόξα ἀληθὴς ἐστὸν δύο γένη, παντάπασιν εἶναι καθ᾽ αὑτὰ ταῦτα, ἀναίσθητα ὑφ᾽ ἡμῶν εἴδη, νοούμενα μόνον· εἰ δ᾽ ὥς τισι φαίνεται, δόξα ἀληθὴς νοῦ διαφέρει τὸ μηδέν, πανθ᾽ ὁπόσα αὖ διὰ τοῦ σώματος αἰσθανόμεθα, θετέον βεβαιότατα. δύο δὴ λεκτέον ἐκείνω, διότι χωρὶς γεγόνατον ἀνομοίως τε ἔχετον. τὸ μὲν γὰρ αὐτῶν διὰ διδαχῆς, τὸ δ᾽ ὑπὸ πειθοῦς ἡμῖν ἐγγίγνεται· καὶ τὸ μὲν ἀεὶ μετὰ ἀληθοῦς λόγου, τὸ δὲ ἄλογον· καὶ τὸ μὲν ἀκίνητον πειθοῖ, τὸ δὲ μεταπειστόν· καὶ τοῦ μὲν πάντα ἄνδρα μετέχειν φατέον, νοῦ δὲ θεούς, ἀνθρώπων δὲ γένος βραχύ τι. τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων ὁμολογητέον ἓν μὲν εἶναι τὸ κατὰ ταὐτὰ ἔχον εἶδος, ἀγέννητον καὶ ἀνώλεθρον, οὔτε εἰς ἑαυτὸ εἰσδεχόμενον ἄλλο ἄλλοθεν οὔτε αὐτὸ εἰς ἄλλο ποι ἰόν, ἀόρατον δὲ καὶ ἄλλως ἀναίσθητον, τοῦτο ὃ δὴ νόησις εἴληχεν ἐπισκοπεῖν· τὸ δ᾽ ὁμώνυμον ὅμοιόν τε ἐκείνῳ δεύτερον, αἰσθητόν, γεννητόν, πεφορημένον ἀεί, γιγνόμενόν τε ἔν τινι τόπῳ καὶ πάλιν ἐκεῖθεν ἀπολλύμενον, δόξῃ μετ᾽ αἰσθήσεως περιληπτόν.*

[2]) De anim. III, 5. 430 a 23: *οὐ μνημονεύομεν δέ, ὅτι τοῦτο μὲν ἀπαθές, ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς φθαρτός, καὶ ἄνευ τούτου οὐθὲν νοεῖ.*

[3]) L. l. III, 4. 429 a 27: *καὶ εὖ δὴ οἱ λέγοντες τὴν ψυχὴν εἶναι τόπον εἰδῶν, πλὴν ὅτι οὔτε ὅλη ἀλλ᾽ ἡ νοητική, οὔτε ἐντελεχείᾳ ἀλλὰ δυνάμει τὰ εἴδη.* 4. 429 a 22: *ὁ ἄρα καλούμενος τῆς ψυχῆς νοῦς οὐθέν ἐστιν ἐνεργείᾳ τῶν ὄντων πρὶν νοεῖν.*

gignat ac procreet. Sed hoc fieri tum demum potest, cum homo iam ad summum cognitionis fastigium pervenit. Distinguit enim Aristoteles quattuor cognitionis gradus: perceptionem, memoriam, experientiam, scientiam artemque[1]). Quorum ultimum demum gradum homo ubi assecutus est, notiones puras cogitare valet. Ubi autem assecutus est, duplici modo se potest habere. Primum enim ita institutus esse potest, ut statim depromere possit notiones sive formas, non autem eas cogitet. Qui status utrum in potentia an in actu habendus sit, dubitare licet. Etenim si merae potentiae componis, actus est, atque Aristoteles haud raro ei actus praedicatum tribuit, contra si cum speculantis statu comparas, potentiae instar est, tamen ita, ut multum distet a mera potentia, quam ob causam philosophus, *δύναμιν* ubi eum vocat, *πώς* particulam addere solet[2]). Iam tertius sequitur status, qui est speculantis, *τοῦ θεωροῦντος*. Exsistit autem hic, ubi mens formas sive notiones re vera cogitat, quas cum aliunde petere non possit, sed ipsa procreet, mentis actio suspensa non est ex obiectis extra ipsam positis, quo longissime a sensibus abest. Atque ob hanc causam per semet ipsam agere potest et ipsa intellegibilis sive cogitabilis est, cum cogitationis obiecta habeat in semet ipsa[3]).

Nullo vero modo notiones illae ab actione cogitandi segregari possunt, cum non sint nisi quatenus cogitantur, neque magis speculationem seiungere licet a formis et notio-

---

[1]) Met. A, 1. in.

[2]) De anim. III, 4. 429 b 5: *ὅταν δ' οὕτως ἕκαστα γένηται ὡς ἐπιστήμων λέγεται ὁ κατ' ἐνέργειαν (τοῦτο δὲ συμβαίνει, ὅταν δύνηται ἐνεργεῖν δι' αὐτοῦ), ἔστι μὲν ὁμοίως καὶ τότε δυνάμει πως, οὐ μὴν ὁμοίως καὶ πρὶν μαθεῖν ἢ εὑρεῖν.*

[3]) L. l. II, 417 b 19: *διαφέρει δέ, ὅτι τοῦ μὲν τὰ ποιητικὰ τῆς ἐνεργείας ἔξωθεν, τὸ ὁρατὸν καὶ τὸ ἀκουστόν, ὁμοίως δὲ καὶ τὰ λοιπὰ τῶν αἰσθητῶν. αἴτιον δ' ὅτι τῶν καθ' ἕκαστον ἡ κατ' ἐνέργειαν αἴσθησις, ἡ δ' ἐπιστήμη τῶν καθόλου· ταῦτα δ' ἐν αὐτῇ πώς ἐστι τῇ ψυχῇ. διὸ νοῆσαι μὲν ἐπ' αὐτῷ, ὁπόταν βούληται, αἰσθάνεσθαι δ' οὐκ ἐπ' αὐτῷ.* III, 4. 429 b 30: *ὅτι δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδέν, πρὶν ἂν νοῇ.*

nibus, cum speculatio sit eo ipso quod formas et notiones generales producit. Sic speculativa mentis actio et notiones in unum prorsus coalescunt[1]), veluti forma quae in mente artificis inest, et cogitatio est et id quod cogitatur, atque notione quam philosophi mens comprehendit, et cogitatio et eius obiectum continetur[2]).

Iam apparere putamus, quid sit mentem cogitare semet ipsam. In se enim habet obiecta cogitationis atque ipsa ea procreat. Mens, quae est formarum sedes, cogitat formas, cogitat igitur semet ipsam. Atque cogitatio illa eiusmodi est, ut una cum ea obiecta prodeant et in ea ipsa insint. In hac

---

[1]) De anim. III, 4. 430 a 4: *ἡ γὰρ ἐπιστήμη ἡ θεωρητικὴ καὶ τὸ οὕτως ἐπιστητὸν τὸ αὐτό ἐστιν.* Accurate Aristoteles dicit: *ἡ ἐπιστήμη ἡ θεωρητική.* Sunt enim etiam, quae ad sensibiles res spectent; eas autem huc referre non licet, cf. II, 5. 417 b 24: *διὸ νοῆσαι μὲν ἐπ' αὐτῷ, ὁπόταν βούληται, αἰσθάνεσθαι δ' οὐκ ἐπ' αὐτῷ. ἀναγκαῖον γὰρ ὑπάρχειν τὸ αἰσθητόν. ὁμοίως δὲ τοῦτ' ἔχει κἀν ταῖς ἐπιστήμαις ταῖς τῶν αἰσθητῶν, καὶ διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν, ὅτι τὰ αἰσθητὰ τῶν καθ' ἕκαστα καὶ τῶν ἔξωθεν.* III, 5. 430 a 19. 8, 431 b 21 sqq. I, 3. 407 a 7.

[2]) Met. *Λ*, 9. 1074 b 38: *ἢ ἐπ' ἐνίων ἡ ἐπιστήμη τὸ πρᾶγμα· ἐπὶ μὲν τῶν ποιητικῶν ἄνευ ὕλης ἡ οὐσία καὶ τὸ τί ἦν εἶναι, ἐπὶ δὲ τῶν θεωρητικῶν ὁ λόγος τὸ πρᾶγμα καὶ ἡ νόησις. οὐχ ἑτέρου οὖν ὄντος τοῦ νοουμένου καὶ τοῦ νοῦ, ὅσα μὴ ὕλην ἔχει, τὸ αὐτὸ ἔσται, καὶ ἡ νόησις τῷ νοουμένῳ μία.* Bonitzius et Schweglerus loci de quo agimus verba construunt in hunc modum: *ἐπὶ μὲν τῶν ποιητικῶν (ἐπιστημῶν) ἄνευ ὕλης ἡ οὐσία καὶ τὸ τί ἦν εἶναι αὐτὸ τὸ πρᾶγμά ἐστιν, ἐπὶ δὲ τῶν θεωρητικῶν ὁ λόγος καὶ ἡ νόησίς ἐστι τὸ πρᾶγμα.* Cui interpretationi iam verborum ordo repugnat. Nemo enim verba isto modo inter se confundere potest. Itaque si requiritur ea quam illi homines docti volunt sententia, verba sunt traicienda. Deinde apparet philosophum hic demonstrare, qui intellectus et intellegibile sive cogitatio et cogitabile ad idem redeant. Nam hic totius expositionis est finis. Sin autem illo modo verba componimus, in sententia priore: *ἐπὶ μὲν τῶν ποιητικῶν (ἐπιστημῶν) ἄνευ ὕλης ἡ οὐσία καὶ τὸ τί ἦν εἶναι τὸ πρᾶγμα,* deest *ἡ νόησις.* Denique in sententia altera: *ἐπὶ δὲ τῶν θεωρητικῶν ὁ λόγος καὶ ἡ νόησις τὸ πρᾶγμα,* perperam *ὁ λόγος καὶ ἡ νόησις* inter se coniunguntur. Nam cogitatio ambitus est amplioris, quam quae notioni possit apponi, atque hoc loco eo minus id facere licet, cum cogitatio etiam in artem cadat. Contra optime omnia se habent verborum ordine quo philosophus usus est servato: in arte forma atque substantia materiae immunis obiectum est et cogitatio, in scientia notio, scil. obiectum est et cogitatio. „Der Begriff ist zugleich Begreifen und Begriffenes."

quidem cogitatione actio cogitandi et id quod cogitatur prorsus in unum coaluerunt, ita ut cogitatio ad semet ipsam redeat atque sit cogitationis cogitatio.

Ut absolvamus difficilem admodum de mentis cogitatione suimet ipsius doctrinam, pauca addenda sunt. Aristoteles obiectorum, ad quae mentis actio pertineat, duo genera distinguit [1]), quorum alterum complectitur ea quae materia carent, *τὰ ἄνευ ὕλης*, alterum res concretas. Hae intellegibiles non sunt nisi potentia [2]). Etenim non ipsae sunt intellegentis mentis obiecta, sed formae atque substantiae, quae insunt. Cogitando autem mens res ad veram ac primariam naturam reducit; removet enim quaecunque per accidens sunt atque in materia posita, neque relinquit nisi quod necessarium est et constans. Itaque quemadmodum instrumenta per manum demum ad suam vim perveniunt, ita formae per mentem eiusque actionem suam ac primariam naturam adipiscuntur [3]). Cum tali ratione mens suam ipsius indolem rebus quasi indat, eas sibi subicit atque earum formas constituit, ita ut iam suae ipsius sint notiones; quo facto ubi eas cogitat, cogitat semet ipsam [4]). Sic res mathematicas mens e rebus concretis atque ex ipsis experientiae finibus repetit; abstrahendo enim fingit corpus mathematicum, planitiem, lineam, punctum. Minime vero in iis quae tali modo sibi comparavit acquiescit, immo iam e puncto figuras mathematicas ducit atque ipsa necessariam eorum vim atque naturam procreat. Itaque Aristoteles minime secum pugnat, quod mathematica *τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως*, h. e. abstrahendo a mente effecta vocare solet, et tamen Topic. VI,

---

[1]) De anim. III, 4. 430 a 8 sqq.

[2]) L. l. III, 4. 430 a 6: *ἐν δὲ τοῖς ἔχουσιν ὕλην δυνάμει ἕκαστόν ἐστι τῶν νοητῶν.*

[3]) L. l. III, 8. 432 a 1: *ὥστε ἡ ψυχὴ ὥσπερ ἡ χείρ ἐστιν· καὶ γὰρ ἡ χεὶρ ὄργανόν ἐστιν ὀργάνων, καὶ ὁ νοῦς εἶδος εἰδῶν.* Bernaysius, Die Dialoge d. Aristot. p. 25, *εἶδος εἰδῶν* interpretatur: „Der Inbegriff der Begriffe," quam interpretationem nos probare non possumus.

[4]) L. l. III, 6. 430 b 24: *εἰ δέ τινι μή ἐστιν ἐναντίον τῶν αἰτίων, αὐτὸ ἑαυτὸ γιγνώσκει καὶ ἐνεργείᾳ ἐστί καὶ χωριστόν.*

141 b 5 seqq. punctum prius esse dicit linea atque lineam planitie et planitiem corpore, h. e. geometricarum figurarum originem e puncto repetit. Mentis enim cognitio proficiscitur a rebus concretis, ut quae nobis sint clariores et apertiores; dissolvendo autem eas ad ultima elementa causasque reducit, quo facto iam ab his, quae per se sunt planiora et manifestiora, exorsus, fortuitis rerum notis et qualitatibus omissis, constantem ac necessariam earum naturam constituit.

Quae mentis vis ut apertior sit, in memoriam revocamus initium primi Politicorum libri, ubi quemadmodum etiam in ceteris rebus ait id quod compositum sit, dissolvendum sit, donec perveniamus ad simplicissima, sic etiam civitatem reducendam esse ad ultimas simplicissimasque quibus constet societates [1]). Quod postquam dixit, quomodo homines ad conubium et domus societatem ineundam natura ipsa adducantur indeque oriatur civitas demonstrat. Haec est mentis natura, ut res quas percipit dissolvere possit atque ad ultima elementa et primas causas revocare, quo facto ipsa eas constituit et quasi procreat, ita ut iam vera ac primaria earum natura appareat. Sic etiam in rebus quae sensibus primo percipiuntur, mens dignitatem ac vim suam retinet, ita ut in iis quoque cogitatio extremo exsistat cogitationis cogitatio.

Quibus expositis constat humanae mentis cogitationem suimet ipsius contineri eo, ut mens obiecta cogitationis non aliunde petat sed ex semet ipsa quasi depromat. Neque aliam significationem habere potest illud: intellectum divinum cogitare semet ipsum et cogitationem esse cogitationis cogitationem. Et quid magis convenire potest in numinis divini dignitatem ac praestantiam, quam non aliunde ei adsciscenda esse ea quae cogitet, sed omnia habere in semet ipso? Co-

---

[1]) Polit. I, 1. 1252 a 17: *δῆλον δ' ἔσται τὸ λεγόμενον ἐπισκοποῦσι κατὰ τὴν ὑφηγημένην μέθοδον. ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς ἄλλοις τὸ σύνθετον μέχρι τῶν ἀσυνθέτων ἀνάγκη διαιρεῖν (ταῦτα γὰρ ἐλάχιστα μόρια τοῦ παντός), οὕτω καὶ πόλιν ἐξ ὧν σύγκειται σκοποῦντες ὀψόμεθα καὶ περὶ τούτων μᾶλλον, τί τε διαφέρουσιν ἀλλήλων, καὶ εἴ τι τεχνικὸν ἐνδέχεται λαβεῖν περὶ ἕκαστον τῶν ῥηθέντων.*

gitat autem id quod omnium maxime divinum ac nobilissimum est idque sine ulla mutatione. Nam per mutationem ad deterius quid transiret, atque praeterea haec mutatio in se contineret motum, qui a numinis divini natura prorsus abest[1]). Neque compositum quid esse potest quod deus mente complectitur; etenim compositum si esset, summus intellectus in percurrendis cogitatione singulis partibus motui et mutationi esset obnoxius[2]). Simplex igitur quid sit necesse est. Atque quaecunque materia carent, simplicia sunt et individua[3]). Itaque quemadmodum intellectus humanus, licet composita cogitare soleat, interdum se habet (non enim in hoc aut in hoc, sed in toto quo comprehendit optimum, quamvis diversum ab ipso sit), ita cogitatio quae est suimet ipsius cogitatio per omne aevum se habet[4]).

Deus igitur semper unum idque individuum cogitat neque aliunde petit. Sed quidnam hoc unum est? Diserte quidem Aristoteles id nusquam dixit, cognoscitur autem e verbis quae paullo supra attulimus. „Quemadmodum mens humana se habet, ubi bonum cogitat, sic intellectus divinus se habet per omnem aeternitatem.“ Cogitat igitur deus bonum et optimum, *τὸ εὖ, τὸ ἄριστον*. Neque minus id apparet ex verbis parenthetice insertis. „Non enim,“ ait, „intellectus humanus bonum in hoc aut in hoc cogitat, sed in toto quo amplectitur, quamvis ab ipso diversum sit.“ Quae si legimus, cogimur, ut mente addamus: multo igitur magis consentaneum est, divinum intellectum, utpote cuius natura a bono non differat, illud tamquam totum quid et unum cogitare per omne aevum.

---

[1]) Met. *Λ*, 9. 1074 b 25: *δῆλον τοίνυν ὅτι τὸ θειότατον καὶ τιμιώτατον νοεῖ, καὶ οὐ μεταβάλλει· εἰς χεῖρον γὰρ ἡ μεταβολή, καὶ κίνησίς τις ἤδη τὸ τοιοῦτον.*

[2]) L. l. 1075 a 5: *ἔτι δὴ λείπεται ἀπορία, εἰ σύνθετον τὸ νοούμενον. μεταβάλλοι γὰρ ἂν ἐν τοῖς μέρεσι τοῦ ὅλου.*

[3]) L. l. 1075 a 6: *ἢ ἀδιαίρετον πᾶν τὸ μὴ ἔχον ὕλην.*

[4]) L. l. 1075 a 7: *ὥσπερ γὰρ ὁ ἀνθρώπινος νοῦς, ὅ γε τῶν συνθέτων, ἔχει ἔν τινι χρόνῳ (οὐ γὰρ ἔχει τὸ εὖ ἐν τῳδὶ ἢ ἐν τῳδί, ἀλλ' ἐν ὅλῳ τινὶ τὸ ἄριστον, ὂν ἄλλο τι), οὕτως δὴ ἔχει αὐτὴ αὑτῆς ἡ νόησις τὸν ἅπαντα αἰῶνα.*

Iam quae subsequuntur, summum bonum duplex esse docent: et deum et mundi ordinem [1]). Necesse igitur est deus aut suam ipsius naturam aut mundi ordinem cogitet. Cum vero ex hoc ipso loco intellegatur mundi ordinem Aristotelem censere institutum esse a deo, cum, id quod supra vidimus, philosophus mundi ordine usus sit argumento, quo deum comprobaret esse agnoscendum, cum existimaverit hominum animos mundi eiusque ordinis adspectu adactos esse, ut numen divinum esse crederent: dubitare non possumus, quin Aristoteles deum cogitantem fecerit mundi ordinem.

Ordinem autem qui cogitat, nisi notionem eius intellegat abstractam, idem necesse est mente complectatur res omnes quarum est ordo. Veluti excercitus ordinem fingere nobis non possumus, nisi una exercitum omnesque eius partes animo percipimus. Pariter deus ordinem mundi cogitare non potest, nisi mundum ipsum atque omnes quae in eo insunt res animo comprehendit. Neque si Aristoteles dicit, ordinem mundi a deo originem habere, id habet sententiam, quasi res iam perfectae in ordinem a deo redactae sint, immo res ipsae, id quod supra vidimus, ratione universi mundi habita institutae atque effectae sunt, ita ut mundus unus et bene compositus esse possit. Mundus est totum, res singulae eius partes, itaque hic quoque ratio tenenda est quam Aristoteles ubicunque observavit, totum partibus esse prius atque per eius naturam constitui partes. Tamen non hunc, quem nos cernimus, mundum intellectus divinus cogitat; is enim extra deum est, ita ut hunc si cogitaret, cogitatio non amplius esset cogitationis cogitatio, sed mundum comprehendit, quem in semet ipso habet, h. e. mundum intellegibilem. Formarum igitur et substantiarum universitatem animo complectitur, ita ut divina

---

[1]) Met. *Λ*, 10 in.: *Ἐπισκεπτέον δὲ καὶ ποτέρως ἔχει ἡ τοῦ ὅλου φύσις τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἄριστον, πότερον κεχωρισμένον τι καὶ αὐτὸ καθ' αὑτό, ἢ τὴν τάξιν; ἢ ἀμφοτέρως ὥσπερ στράτευμα. καὶ γὰρ ἐν τῇ τάξει τὸ εὖ καὶ ὁ στρατηγός, καὶ μᾶλλον οὗτος· οὐ γὰρ οὗτος διὰ τὴν τάξιν ἀλλ' ἐκείνη διὰ τοῦτόν ἐστι.* Haec autem prior capitis decimi pars artissime cum capite nono cohaeret neque ab eo est seiungenda, cf. Bonitz. comment. p. 518.

quoque mens formarum sedes sit. Semper vero atque ex aeterno tempore formae ei obversantur optime ordinatae atque dispositae, ut mundum efficiant unum. Quam ob rem deus est *τὸ τί ἦν εἶναι τὸ πρῶτον*[1]), cum *τὰ τί ἦν εἶναι* omnia sint per illum. Quam formarum universitatem conferre licet illi apud Platonem animali quod omnia omnino animalia in se continet. Nam hoc animal nihil aliud est nisi idearum summa, ita tamen ut ideae omnes pariter atque animalis partes optime compositae et in unum quasi corpus coniunctae sint[2]).

Atque ad hanc formarum universitatem deus mundum sensilem effecit, pariter atque deus apud Platonem secundum animal intellegibile. Cum vero dei mente comprehendantur formae, divinae naturae plenae sint necesse est, quo fit, ut hic quoque mundus, ut qui secundum illas effectus sit et conditus, naturae divinae sit particeps. Itaque divini numinis qualitates aliquatenus etiam in huius mundi rebus cernuntur. Deus est substantia, actus, vita, aeternus, speculatio, est bonum et optimum, quocirca harum quoque rerum primaria natura est substantia atque certe quae animata sunt vitam actumque et aeternitatem appetunt[3]); atque hominum summa actio est speculatio[4]). Praeterea fines qui sunt secundum

---

[1]) Met. *Λ*, 8. 1074 a 35.

[2]) Plat. Tim. 30 C: *Τούτου δ' ὑπάρχοντος αὖ τὰ τούτοις ἐφεξῆς ἡμῖν λεκτέον, τίνι τῶν ζώων αὐτὸν εἰς ὁμοιότητα ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησε. τῶν μὲν οὖν ἐν μέρους εἴδει πεφυκότων μηδενὶ καταξιώσωμεν· ἀτελεῖ γὰρ ἐοικὸς οὐδέν ποτ' ἂν γένοιτο καλόν· οὗ δ' ἔστι τἆλλα ζῶα καθ' ἓν καὶ κατὰ γένη μόρια, τούτῳ πάντων ὁμοιότατον αὐτὸν εἶναι τιθῶμεν. τὰ γὰρ δὴ νοητὰ ζῶα πάντα ἐκεῖνο ἐν ἑαυτῷ περιλαβὸν ἔχει, καθάπερ ὅδε ὁ κόσμος ἡμᾶς ὅσα τε ἄλλα θρέμματα ξυνέστηκεν ὁρατά.*

[3]) De anim. II, 4. 415 a 26: *φυσικώτατον γὰρ τῶν ἔργων τοῖς ζῶσιν, ὅσα τέλεια καὶ μὴ πηρώματα, ἢ τὴν γένεσιν αὐτομάτην ἔχει, τὸ ποιῆσαι ἕτερον οἷον αὐτό, ζῷον μὲν ζῷον, φυτὸν δὲ φυτόν, ἵνα τοῦ ἀεὶ καὶ τοῦ θείου μετέχωσιν ᾗ δύνανται· πάντα γὰρ ἐκείνου ὀρέγεται κἀκείνου ἕνεκα πράττει ὅσα πράττει κατὰ φύσιν.*

[4]) Eth. Nic. X, 7. 1177 b 26: *ὁ δὲ τοιοῦτος ἂν εἴη βίος κρείττων ἢ κατ' ἄνθρωπον· οὐ γὰρ ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν οὕτω βιώσεται, ἀλλ' ᾗ θεῖόν τι ἐν αὐτῷ ὑπάρχει· ὅσῳ δὲ διαφέρει τοῦτο τοῦ συνθέτου, τοσούτῳ καὶ ἡ ἐνέργεια τῆς κατὰ τὴν ἄλλην ἀρετήν. εἰ δὴ θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρω-*

Locus qui reperitur Met. Λ, 10. in. difficillimus est, ita ut accuratius eum tractare atque etiam sententias ab aliis prolatas examinare necesse esse videatur. Ordiri autem liceat a commentatoribus veteribus atque ratione ea, ut singulis eorum explicationibus statim addamus recentiorum interpretum sententias eas quae illis aliqua ex parte sunt similes. Alexander Aphrodisiensis refert nobis interpretationem magistri, quae est haec (cf. Schol. in Aristot. coll. Brandis. p. 810 b 30seqq.): ταῦτα εἰπὼν θεοφιλῶς καὶ φιλοσόφως λέγει ὅτι οὐδὲν τῶν ὄντων μάτην ἐστὶν ἀλλὰ πάντα συντέτακται καὶ συντελεῖ, εἰ

καὶ ἡμῖν πολλὰ ἀγνοεῖται, πρὸς ἑνὸς κόσμου συμπλήρωσιν καὶ ἀπαρτισμὸν καὶ τὸ καλὸν αὐτοῦ καὶ ἄριστον καὶ εὖ. καὶ τίνα ἐστὶ τὰ συντεταγμένα πρὸς τὴν τοῦ ὅλου συμπλήρωσιν, καταλέγει, πτηνὰ πλωτὰ φυτὰ καὶ τὰ λοιπά. ἀλλ' εἰ καὶ πάντα πάντως συντελεῖ, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως ἅπαντα, ἀλλὰ τὰ μὲν μᾶλλον τὰ δὲ ἧττον. τουτέστιν ἡ φύσις καὶ ἡ ἀρχὴ τῶν εἰς τὴν τοῦ ὅλου φύσιν συντεινόντων. καὶ οὐ λέγει περὶ πάντων ἁπλῶς νῦν, ἀλλὰ περὶ τῶν ἐν γενέσει ὄντων καὶ φθορᾷ. ἡ φύσις οὖν καὶ ἀρχὴ τούτων τοιαύτη [Recedit hic a verbis Aristotelis quae in codicibus reperiuntur atque interpretatur, quasi legerit: *τοιαύτη γὰρ ἑκάστου ἡ ἀρχὴ αὐτῶν καὶ ἡ φύσις ἐστίν.* Sed id levitati esse tribuendum videtur, qua interpretis munere functus est], *καὶ ποδαπή, ἐπάγει, „λέγω δ' οἷον εἴς γε τὸ διακριθῆναι ἀνάγκη ἅπασιν ἐλθεῖν," τουτέστιν ἀνάγκη ἅπασι τοῖς ἐν γενέσει (περὶ γὰρ τούτων νῦν, ὡς εἴρηται, λέγει) ἐλθεῖν εἰς τὸ διακριθῆναι, ἤτοι ἄλλο ἐξ ἄλλου γενέσθαι. εἰς τοῦτο γὰρ συνῆλθεν ἡ φύσις τῶν ἐν γενέσει, καὶ τοῦτο αὐτοῖς κοινόν, τὸ γίνεσθαι πάντα ἐκ πάντων, ἐκ στοιχείων σύνθετα καὶ ἐκ συνθέτων στοιχεῖα ἄλλον τρόπον. ὥστε δηλονότι τὰ ἐν γενέσει ἅπαντα κοινὸν ἔχουσιν τὸ ἐξ ἀλλήλων γίνεσθαι. εἰπὼν δὲ ὅτι τὰ ἐξ ἀλλήλων, ἐπάγει „καὶ ἄλλα — ὅλον," τουτέστιν οὐ μόνον κατὰ τὸ γίνεσθαι ἐξ ἀλλήλων κοινωνεῖ εἰς συμπλήρωσιν τοῦ ὅλου, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰ ἄλλα, οἷον χρώματα, σχήματα, μεγέθη, ταῦτα γὰρ πάντα συντελεῖ εἰς τὴν τοῦ ὅλου φύσιν. οὐδὲν γὰρ αἰσθητὸν χωρὶς μεγέθους καὶ σχήματός ἐστιν.* Iam quae quominus hanc sententiam probemus obstare videntur, proferre liceat. Ac primum quidem interpres ille explicat, quasi Aristoteles non dixerit: *πάντα γὰρ συντέτακται πρὸς ἕν*, sed: *πάντα συμπληροῖ τὸ ὅλον.* Cuius sententiae omnino nihil inest in verbis philosophi, neque eam inde ducere possumus, cum Aristoteles de ordine mundi, non de complendo eo verba faciat. Deinde Alexandri magister in exponendis verbis: *λέγω δ' οἷον* et quae sequuntur, neglegit antea dictum esse: *ἀλλ' οὐχ ὁμοίως* atque interpretatur, quasi nihil antecedat nisi: *πρὸς ἓν γὰρ ἅπαντα συντέτακται.* Sive enim enunciato quod *λέγω δ' οἷον* verbis incipit ea quae

antea dicta sunt explicantur, sive iis adiungitur exemplum, utrumque enim hac formula significatur, varietatis notio abesse non potest. Nam cum antea dixerit philosophus variam rebus cum universo intercedere rationem pariter atque in familia, in iis quibus hoc exponit enumerare non potest, quae communiter omnia ad universum servandum conferant. Neque illa explicatio probatur iis quae Aristoteles disserit de ratione, quae inter domus sive familiae partes singulas intercedat. Non enim dixit omnes in familia valere aliquid ad totum efficiendum vel complendum, sed aliis aliam cum toto esse rationem, ita ut alii artius cum toto conexi sint, laxius alii. Tum quomodo *διακρίνεσθαι* verbo significari potest: alterum oriri ex altero? Denique nullo modo *ἅπαντα* referre licet ad solas res mortales, cum philosophus verba faciat de hac rerum universitate. Quam ob causam iam Alexander Aphrodisiensis hanc explicationem reicit.

Eandem fere atque Alexandri magister *διακρίνειν* verbo notionem subicit Bonitzius atque sententiarum cohaerentiam statuit illi certe aliqua ex parte similem. „Omnia enim,“ ait, „cum omnibus cohaerent et ad unum tendunt. Iam veluti in civitate non eadem est omnium auctoritas neque iisdem legibus omnes sunt adstricti, sed maior auctoritas civium liberorum, minor ac prope nulla servorum, ac propterea illi quid ad civitatem conferre debeant accuratissime est descriptum, horum libidini plurimum permittitur: eadem fere mundi est ratio. Pro sua quidque natura suam ad universi mundi ordinem confert partem; sed plurimum conferunt aeternae siderum substantiae, has enim videtur ingenuis comparare civibus, quapropter artissima lege eorum vita et actio descripta est; exigua conferunt eae res, quae fiunt et intereunt, animalia plantae reliqua, qua de causa plurima in iis fortunae et casui potuerunt permitti. Sunt tamen quaedam, quae hae etiam res ad consummandum mundum conferunt, veluti alterius generatio ex alterius interitu (*οἷον εἴς γε τὸ διακριθῆναι κτλ.* a 23) aliaque quae communiter omnia conferunt ad servandum mundi ordinem.“ Omittamus quod homo doctissimus

pro domo dicit civitatem, cum sive domus sive civitatis statuis similitudinem, res ad idem fere redeat. In universum autem dicere audemus explicationem paullo longius recedere a verbis philosophi. Atque sunt aliae praeterea causae, quae quominus in eandem cum Bonitzio sententiam concedamus impediunt. Primum enim sententia quam Bonitzius *διακρίνεσθαι* verbo subicit: rerum interitu aliarum effici generationem, libros Aristoteleos legentibus saepius occurrit, cf. de gen. et corr. I, 3. 318 a 23, tamen nusquam *διακρίνεσθαι* verbo redditur, quod Bonitzius ipse concedere videtur, cum ne unum quidem huius usus exemplum attulerit. Deinde in hac interpretatione inest idem propter quod Alexander Aphrodisiensis magistri sententiam reprobat. Refert enim Bonitzius et ipse *ἅπασιν* vocem ad eas solas res quae fiunt et intereunt, quod eo minus admittendum est, cum *ἅπαντα* in enunciato iuxta posito: *καὶ ἄλλα οὕτως ἐστί, ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον*, ad omnes omnino quae exstent res pertinere velit. Pergit enim: aliaque quae communiter omnia conferunt ad servandum mundi ordinem. Denique non satis sibi constare videtur vir eruditissimus in explicatione. Nam primum verba facit de mundi ordine efficiendo et conservando, deinde de mundo consummando, tum ad universi mundi ordinem redit.

Iam videamus, quid Alexander Aphrodisiensis de loco quem tractamus statuerit. Cuius verba sunt haec (cf. Schol. in Aristot. coll. Brandis. p. 811 a 8 seqq.): *τὸ ἅπασιν οὐκ ἐπὶ τῶν ἐν γενέσει μόνον ἀκούειν δεῖ, ἀλλ' ἐπὶ πάντων καὶ αὐτῶν φημὶ τῶν κυκλοφορητικῶν καὶ θείων σωμάτων, ἵν' ᾖ τὸ λεγόμενον, ἀνάγκη ἅπασι καὶ τοῖς ἐν γενέσει καὶ τοῖς κυκλοφορητικοῖς ἐλθεῖν εἰς τὸ διακριθῆναι ἤτοι συστῆναι· οὕτως γὰρ Ἀναξαγόρας ἔλεγεν, ὅτι διακρίνας ὁ νοῦς ἀπ' ἀλλήλων τὰς ὁμοιομερείας συνέστησε τὸ πᾶν· τὸ δὲ „καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον" συνεχὲς ἂν εἴη τῷ περὶ τῆς πολιτείας ὑποδείγματι· ὡς εἰ ἔλεγεν, ὥσπερ ἐπὶ τῇ τῆς πολιτείας συστάσει πάντα κοινωνεῖ ἀλλήλοις, οὕτως εἰσὶ καὶ ἄλλα τινὰ κοινωνοῦντα, καὶ βοηθοῦντα ἀλλήλοις εἰς τὴν τοῦ ὅλου συμπλήρωσιν.* Quae interpretatio iam nobis examinanda est.

Ac primum quidem Alexandro opponimus *διακρίνειν* verbum significare non posse idem atque componere. Nam etiamsi ubi discernimus nova compositio rerum exsistere solet, tamen ubi componi res dicere volumus non licet dicere eas discerni. Itaque *διακριθῆναι* non idem esse potest quod *συστῆναι*. Atque verba Anaxagorae quae Alexander ad explicationem suam tuendam affert ipsi plus officiunt quam prosunt. Nam accurate ibi Anaxagoras duas illas dei actiones inter se distinguit. Primum enim secernentem deum facit semina e materia confusa et indigesta, tum ea componentem eiusmodi, ut hanc rerum universitatem efficiant. Praeterea si facimus cum Alexandro, admodum perturbatus est sententiarum ordo. Vult enim Alexander verba inde ab *ἀλλ' ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ* usque ad *κοινωνεῖν ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον* unam efficere periodum, cuius protasis contineatur verbis: *ἀλλ' ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ τοῖς ἐλευθέροις ἥκιστα ἔξεστιν ὅ τι ἔτυχε ποιεῖν, ἀλλὰ πάντα ἢ τὰ πλεῖστα τέτακται, τοῖς δ' ἀνδραπόδοις καὶ τοῖς θηρίοις μικρὸν τὸ εἰς τὸ κοινόν, τὸ δὲ πολὺ ὅ τι ἔτυχεν·* apodosis his: *καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον.* Quod si facimus, duae sententiae explicationis causa interpositae sunt: *τοιαύτη γὰρ ἑκάστου ἀρχὴ αὐτῶν ἡ φύσις ἐστίν* et: *λέγω δ' οἷον εἴς γε τὸ διακριθῆναι ἀνάγκη ἅπασιν ἐλθεῖν,* quarum prior, si tali modo periodum componimus, necesse est spectet ad civitatem (*τὴν πολίτειαν* enim Alexander pro *τῇ οἰκίᾳ* Aristotelis substituit), alteram Alexander refert ad mundum. Sed qui fieri potest, ut si antea philosophus verba fecit de civitate, sententia quae *λέγω δ' οἷον* verbis incipit pertineat ad mundum de quo postea agitur, cum *λέγω δ' οἷον* formula sit explicantis? Praeterea si Alexander contextum inter verba: *ἀλλ ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ — φύσις ἐστίν* et *καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον,* statuit intercedere hunc: *ὥσπερ ἐπὶ τῇ τῆς πολιτείας συστάσει πάντα κοινωνεῖ ἀλλήλοις, οὕτως εἰσὶ καὶ ἄλλα τινὰ κοινωνοῦντα καὶ βοηθοῦντα ἀλλήλοις εἰς τὴν τοῦ ὅλου συμπλήρωσιν,* a verbis Aristotelis longissime recedit. Nam philosophus non dixit in civitate vel potius familia omnia inter se esse coniuncta, id quod vult

Alexander, sed aliis aliam cum toto esse necessitudinem. Neque in hac sententiarum cohaerentia *ἄλλα* dicere potuit Aristoteles in enunciatione: *καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα*, ut significaret res quae sunt in mundo. Sed haec quidem satis sint, quamvis multa praeterea alia proferre possimus contra Alexandrum. Non enim pluribus opus videtur esse ad sententiam illam refutandam. Quam ob causam iam progrediamur ad Schweglerum, qui eandem atque Alexander sententiarum contextum statuit; quocirca verba distingui iubet ratione hac: *καὶ οὐχ οὕτως ἔχει ὥστε μὴ εἶναι θατέρῳ πρὸς θάτερον μηθέν, ἀλλ' ἐστί τι, πρὸς μὲν γὰρ ἓν ἅπαντα συντέτακται· ἀλλ' ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ τοῖς ἐλευθέροις ἥκιστα ἔξεστιν ὅ τι ἔτυχεν ποιεῖν, ἀλλὰ πάντα ἢ τὰ πλεῖστα τέτακται, τοῖς δὲ ἀνδραπόδοις καὶ τοῖς θηρίοις μικρὸν τὸ εἰς τὸ κοινόν, τὸ δὲ πολὺ ὅ τι ἔτυχεν (τοιαύτη γὰρ ἑκάστου ἀρχὴ αὐτῶν ἡ φύσις ἐστὶν. λέγω δ' οἷον εἴς γε τὸ διακριθῆναι ἀνάγκη ἅπασιν ἐλθεῖν), καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον.* Pariter igitur atque Alexander Aphrodisiensis verba *ἀλλ' ὥσπερ — τὸ δὲ πολὺ ὅ τι ἔτυχεν* protasin esse sumit, cuius apodosis contineatur his: *καὶ ἄλλα οὕτως ἐστίν κτλ.* Verba autem *ὧν ἅπαντα* significare putat idem atque *ἃ ἅπαντα* atque ad *κοινωνεῖ* verbum animo addit *ἀλλήλοις* dativum, hac quoque in re Alexandrum secutus, et interpretatur locum in hunc fere modum: Sed quemadmodum in domo ingenuis minime facere licet quod lubet, cum omnia aut pleraque iis sint descripta, contra servi et animalia domestica pauca in salutem communem faciunt et plerumque quod primum obvenit (tale enim principium sua cuique est natura; dico autem omnia secernantur necesse esse „es müsse alles zur Ausscheidung kommen“): eadem ratione etiam res reliquae se habent, e quibus omnes participant omnes in salutem universitatis. Quae in commentario explicat sic: Quemadmodum in domo ii quibus consistit vario modo ad totum conservandum conferunt, eadem ratione res se habet in mundo, in quo omnia inter se sunt coniuncta atque conexa ad efficiendam et conservandam rerum summam. Intellexit autem Schweglerus, ut sententia

quam vult efficiatur, opus esse mutatione. In quo per se, dummodo exsistat sententia apta, non offendimur, etiamsi omnes codices inter se consentiunt neque credere licet commentatores veteres in libris quibus usi sunt alia atque nos reperisse. Ponit autem Schweglerus pro ἄλλα vocabulo τἄλλα, quibus res omnes quae hanc rerum universitatem conficiant vult significari. Sed ne tum quidem intellegi possunt res ex quibus mundus constat. Quomodo enim quis dicere potest: „uti in domo ii e quibus constat, sic etiam res reliquae se habent“, si res dicere vult quae hunc mundum efficiunt? Neque hac sola mutatione opus est Schweglero. Vidit enim obstare interpretationi suae enunciatum: λέγω δ' οἷον εἴς γε τὸ διακριθῆναι ἀνάγκη ἅπασιν ἐλθεῖν, si eum quem nunc locum obtinet, quocirca transponit post verba: καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον. Quam traiectionem, quamvis contra omnes codices et commentatorum veterum interpretationes sit, tamen facile concedimus Schweglero, modo ista ratione locus apte explicetur. Inquiramus igitur in sententiam quae, Schweglerum si sequimur, exsistit. Est autem haec: Quemadmodum in familia variae eius partes varie ad salutem communem conferunt, sic etiam in hoc mundo res omnes inter se coniunctae sunt, ut hanc rerum universitatem efficiant et conservent. Necesse enim est omnes inter se segregentur et disponantur. (Ipse in commentario ait: „es muss alles zur Sonderung und Gliederung kommen“). Iam, quaeso, quaenam est comparatio haec: Quemadmodum in familia variae eius partes varie ad salutem communem conferunt, sic etiam in mundo res omnes inter se coniunctae sunt, ut hoc universum efficiant et conservent? Deest enim in apodosi notio varietatis, atque ob hanc causam sententiae inter se non respondent. Profecto comparationem tantopere claudicantem Aristoteli crimini dare non possumus. Neque minus improbatur ratio quae enunciato: λέγω δ' οἷον εἴς γε τὸ διακριθῆναι ἀνάγκη ἅπασιν ἐλθεῖν in eo quem tribuit Schweglerus loco cum prioribus intercedit. Etenim cum in sententiarum cohaerentia quam Schweglerus statuit λέγω δ' οἷον formula signum

esse non possit nisi sententiae explicativae, hac enunciatione Aristotes explicat, qui fiat, ut res omnes in hoc mundo inter se coniunctae ac conexae sint, idque ita, ut dicat omnes necesse esse inter se segregentur. Reiciamus igitur Schwegleri interpretationem.

Denique proferamus sententiam Trendelenburgii (cf. Hist. Beitr. II. p. 156): „In Metaphysik XII, 10 wird von der Ordnung der Welt gehandelt und es heisst da: es verhalte sich nicht so, dass eins mit dem andern nichts gemein habe, sondern Alles sei sammt und sonders zu Einem geordnet, nur nicht auf dieselbige Weise. Wie in einem Hause den Freien am wenigsten zusteht, Zufälliges und Beiläufiges zu thun, sondern Alles oder das Meiste geordnet ist, aber die Sclaven und Thiere wenig Beziehung zur Gemeinschaft haben und meistens Zufälliges und Beiläufiges verrichten, so ist es überhaupt in der Welt und nach dem Principe, das in jedes Dinges Natur liegt. Indem sich die Dinge scheiden und sondern, bleibt anderes, was sie für das Ganze gemeinsam thun.“ Quibus apponere expedit notam additam: „Die Stelle hat in der Construction wie im Einzelnen Schwierigkeiten und wir haben nur den allgemeinen Sinn wiedergegeben. Das *εἴς γε τὸ διακριθῆναι* scheint, so unbeholfen auch der Ausdruck ist, auf ähnliche Weise, wie der *νοῦς* des Anaxagoras scheidet und ordnet auf diese Scheidung und die dadurch bedingte Mannigfaltigkeit zu gehen.“ A qua interpretatione nostra certe non abhorret. Nam nos quoque *διακριθῆναι* verbo varietatem quandam significari putamus, eam autem contineri eo, ut suus cuique locus ac sua agendi ratio concedatur.

Excursus III.

Verba quae leguntur Phys. II, 6. 198 a 2: *τὸν δὲ τρόπον τῆς αἰτίας ἐν τοῖς ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως ἑκάτερον αὐτῶν· ἢ γὰρ τῶν φύσει τι ἢ τῶν ἀπὸ διανοίας αἴτιον ἀεί ἐστιν·* interpretari possis: causam autem, scil. quae casum et fortem efficit, si respicimus, utrumque in iis unde initium motionis est; nam semper aliquid aut eorum quae natura sunt aut quae a cogitatione proficiscuntur, causa est, scil. per quam casus et fors oritur. Attamen si cohaerentiam quae his cum antecedentibus est consideramus, in sententiam induci videmur aliam. Postquam enim Aristoteles capite tertio quot causae agnoscendae essent exposuit, ineunte capite quarto inquirendum esse ait, casui et forti quae ratio cum illis intercedat: *Λέγεται δὲ καὶ ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον τῶν αἰτίων, καὶ πολλὰ καὶ εἶναι καὶ γίνεσθαι διὰ τύχην καὶ διὰ τὸ αὐτόματον· τίνα οὖν τρόπον ἐν τούτοις ἐστὶ τοῖς αἰτίοις ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον, καὶ πότερον τὸ αὐτὸ ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον ἢ ἕτερον, καὶ ὅλως τί ἐστιν ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον ἐπισκεπτέον.* Quibus dictis num casus et fors agnoscatur necesse sit et quae alii de iis statuerint disserit. Exeunte autem capite easdem quas supra quaestiones profert. Iam capite quinto quae ratio casui et forti sit cum causa finali inquirit, cf. 196 b 32: *νῦν δὲ τοῦτο ἔστω φανερόν, ὅτι ἄμφω ἐν τοῖς ἕνεκά τού ἐστιν.* 197 a 32: *ἔστι μὲν οὖν ἄμφω αἴτια, καθάπερ εἴρηται, κατὰ συμβεβηκός, καὶ ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον, ἐν τοῖς ἐνδεχομένοις γίγνεσθαι μὴ ἁπλῶς μηδ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, καὶ τούτων ὅσ' ἂν γένοιτο ἕνεκά του.* In capite sexto autem postquam quo casus et fors inter se differrent exposuit, 198 a 2 dicit: *τὸν δὲ τρόπον τῆς αἰτίας ἐν τοῖς ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως ἑκάτερον αὐτῶν· ἢ γὰρ τῶν φύσει τι ἢ τῶν ἀπὸ διανοίας αἴτιον ἀεί ἐστιν·* Quibus casum et fortem apparet comparari causae efficienti. Iam si inter se conferuntur haec: *τίνα οὖν τρόπον ἐν τούτοις ἐστὶ τοῖς αἰτίοις ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον*

κτλ., c. 4. 195 b 33, *νῦν δὲ τοῦτο ἔστω φανερόν, ὅτι ἄμφω ἐν τοῖς ἕνεκά τού ἐστιν*, c. 5. 196 b 32, *τὸν δὲ τρόπον τῆς αἰτίας ἐν τοῖς ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως ἑκάτερον αὐτῶν*, c. 6. 198 a 2, scribendum videtur esse: *ἄλλον δὲ τρόπον τῆς αἰτίας*. Nam *ἕνα μὲν τρόπον τῆς αἰτίας ἄμφω ἐν τοῖς ἕνεκά τού ἐστιν, ἄλλον δὲ ἐν τοῖς ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως.*

Quae si vera sunt, *ἄλλον* vocabuli mutationem non casui vel errori, sed consilio librarii tribuendam esse putamus. Neque causa cur mutaverit difficilis est ad videndum. Nam perturbatus aliqua ex parte est disputationis ordo, cum Aristoteles, postquam casum comparavit causae finali, non statim addat, quae ratio ei sit cum causa efficienti, sed disputationem interponit de discrimine quod inter casum et fortem intercedat. Itaque si quis quae hanc expositionem antecedunt non satis memoria tenuit, *ἄλλον δὲ τρόπον τῆς αἰτίας* nullo modo intellegere poterat ideoque mutavit. Quod autem disputationis quem exspectas ordinem Aristoteles non servavit, causa sita esse in eo videtur, quod ubi casum et fortem inter se distinguit, finali maxime causa nititur, cf. c. 6. 197 b 18: *ὥστε φανερὸν ὅτι ἐν τοῖς ἁπλῶς ἕνεκά του γινομένοις, ὅταν μὴ τοῦ συμβάντος ἕνεκα γένηται οὗ ἔξω τὸ αἴτιον, τότε ἀπὸ ταὐτομάτου λέγομεν· ἀπὸ τύχης δέ, τούτων ὅσα ἀπὸ ταὐμάτου γίνεται τῶν προαιρετῶν τοῖς ἔχουσι προαίρεσιν.* b 30 seqq. Itaque erat, cur Aristoteles disputationis ordine quem instituerat aliqua ex parte neglecto haec statim adiungeret iis quae de necessitudine inter causam finalem et casum fortemque intercedente disseruerat.

Excursus IV.

Met. *Λ*, 1072 b 14seqq. in libris manu scriptis leguntur haec: *διαγωγὴ δ' ἐστὶν οἵα ἡ ἀρίστη μικρὸν χρόνον ἡμῖν· οὕτω γὰρ ἀεὶ ἐκεῖνό ἐστιν (ἡμῖν μὲν γὰρ ἀδύνατον), ἐπεὶ καὶ ἡ ἡδονὴ ἐνέργεια τούτου.*

E quibus maxime considerandum et examinandum est enunciatum: ἐπεὶ καὶ ἡ ἡδονὴ ἐνέργεια τούτου. Quae codicum verba si retinemus, id quod Brandisius, Bekkerus, Schweglerus fecerunt, argumentatio est haec: Deus semper utitur vita optima, cum etiam voluptas actus eius sit. [Schweglerus: „Da auch das Vergnügen ein actueller Zustand desselben ist.“] Sed unde scimus voluptatem esse numinis divini actum? Itaque sententia prior comprobatur altera, quae et ipsa demonstranda est. Accedit quod quomodo haec et ea quae sequuntur inter se conectenda sint nullo modo intellegitur. Quae enim est sententiarum cohaerentia haec: Deus semper utitur vita optima, cum etiam voluptas actus eius sit; atque ob hanc causam expergefieri, percipere, cogitare iucundissimum est? Nam expergisci et percipere numen divinum nullo modo attingunt, neque inde quod deus semper utatur voluptate consequitur, ut expergefieri, percipere, cogitare hominibus aliquid gratum sit ac iucundum. Itaque in verbis qualia exstant in codicibus acquiescere non possumus. Contra Alexander Aphrodisiensis et Themistius in libris quibus usi sunt videntur repperisse: ἐπεὶ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια τούτου. Atque etiam in E codice adscriptum est: γρ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια. Quae eadem leguntur in editione Aldina et Sylburgiana, et recepit ea Bonitzius. In quem modum si verba constituimus, sententia exsistit haec: Deus vita utitur optima, cum etiam voluptatem actus eius afferat. Sed tum quoque argumentatio claudicat, cum sententia: actum dei etiam voluptatem afferre, non per se sit certa ac firma. Neque expositio apte procedit ad ea quae subsequuntur: (ἐπεὶ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια τούτου·) καὶ διὰ τοῦτο ἐγρήγορσις αἴσθησις νόησις ἥδιστον κτλ. „(Cum etiam voluptatem actus eius afferat); atque ob hanc causam expergefieri, percipere, cogitare iucundissimum est.“ Non enim licet, id quod facit Bonitzius, διὰ τοῦτο interpretari: quia ἡ ἐνέργειά ἐστιν ἡδονή, cum antecedat: ἐπεὶ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια τούτου. Sed verissime monuit Bonitzius διὰ τοῦτο significare: ἐπεὶ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια. Itaque apparet τούτου genetivum delendum esse. Quo facto omnis in hoc loco offen-

sio tollitur. Antea enim Aristoteles demonstraverat primam substantiam esse actum aeternum. Atqui actus voluptatem affert; quae est constans Aristotelis sententia, cf. Eth. Nic. VII, 13. 1153 a 12. X, 4. 1174 b 23. Ergo prima substantia, cum ab omni aeternitate in actu versetur, et voluptate utitur et semper ea utitur. Optime igitur haec argumentatio se habet, neque minus facilis est disputationis ad ea quae sequuntur transitus: Deus semper vita utitur beatissima, cum etiam voluptatem actus efficiat; atque ob hanc causam, h. e. propterea quod etiam voluptas actum consequitur, expergisci, percipere, cogitare est iucundissimum. Videtur autem τούτου genetivus insertus esse ab aliquo, qui cum sententiarum cohaerentiam non satis intellegeret, illud: ἐπεὶ καὶ ἡδονὴ ἡ ἐνέργεια, referri non posse nisi ad deum opinabatur. Quo modo multos apud Aristotelem locos corruptos esse unusquisque concedet, qui in metaphysicorum libris a Bonitzio editis verba ab homine doctissimo uncis inclusa consideraverit.

Excursus V.

De anim. III, 6. 430 b 6 seqq. Aristoteles tria individuorum genera distinguit. Ac primum quidem verba facit de individuo quod in quantita positum est, veluti linea et tempus, b 6—14. Deinde progeditur ad individuum notionis, b 14. 15. Denique profert id quod privatione individuum est, veluti punctum et temporis momentum, b. 20. 21. Quae inde a. v. b 16 usque ad v. b 20 leguntur: κατὰ συμβεβηκὸς δέ, καὶ οὐχ ᾗ ἐκεῖνα διαιρετά, ᾧ νοεῖ καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ, ἀλλ' ᾗ ἀδιαίρετα· ἔνεστι γάρ κἀν τούτοις τι ἀδιαίρετον. ἀλλ' ἴσως οὐ χωριστόν, ὃ ποιεῖ ἕνα τὸν χρόνον καὶ τὸ μῆκος. καὶ τοῦθ' ὁμοίως ἐν ἅπαντί ἐστι τῷ συνεχεῖ καὶ χρόνῳ καὶ μήκει, magnam habent difficultatem. Primum enim e sententia extrema

satis apparet dici haec de individuo quantitatis. Sed iam b 14 Aristoteles transierat ad notionis individuum considerandum: *τὸ δὲ μὴ κατὰ ποσὸν ἀδιαίρετον ἀλλὰ τῷ εἴδει νοεῖ ἐν ἀδιαιρέτῳ χρόνῳ καὶ ἀδιαιρέτῳ τῆς ψυχῆς*. Neque cur philosophus iustum disputationis ordinem deseruerit causa intellegitur. Itaque his hoc loco interpositis sententiarum cohaerentia perturbatur. Sed consideremus locum accuratius ac primum quidem verba: *ἔνεστι γὰρ κἀν τούτοις τι ἀδιαίρετον, ἀλλ' ἴσως οὐ χωριστόν, ὃ ποιεῖ ἕνα τὸν χρόνον καὶ τὸ μῆκος. καὶ τοῦθ' ὁμοίως ἐν ἅπαντί ἐστι τῷ συνεχεῖ καὶ χρόνῳ καὶ μήκει* Quibus, si per se leguntur, apparet doceri, in unoquoque continuo et in tempore et in linea inesse aliquid, idque ab illo non seiunctum, quod ut continuum sit unum efficiat. Quod quid sit, etsi Aristoteles non dicit, tamen significari videtur motio una et continens quae illud procreat. Iam examinemus haec: *κατὰ συμβεβηκὸς δέ, καὶ οὐχ ᾗ ἐκεῖνα διαιρετά, ᾧ νοεῖ καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ. ἀλλ' ᾗ ἀδιαίρετα· ἔνεστι γὰρ κἀν τούτοις τι ἀδιαίρετον, ἀλλ' ἴσως οὐ χωριστόν, ὃ ποιεῖ ἕνα τὸν χρόνον καὶ τὸ μῆκος*. In quibus cum illud *ᾧ νοεῖ* esse nequeat nisi actio mentis, philosophus dicit etiam in actione mentis et in tempore inesse aliquid, idque ab iis fortasse non seiunctum, quod unum efficiat et tempus et lineam. Sed primum mirum est, tempus et actionem mentis inter se componi. Tum non intellegitur, quid tempus ut linea sit una conferat. Denique haec non respondent sententiae quae supra nobis emersit: in continuo ipso unitatis causam inesse. Quae sententia si vera est, in enunciato: *ἔνεστι γὰρ κἀν τούτοις τι ἀδιαίρετον, ἀλλ' ἴσως οὐ χωριστόν, ὃ ποιεῖ ἕνα τὸν χρόνον καὶ τὸ μῆκος, ταῦτα* (*κἀν τούτοις*) esse non possunt nisi linea et tempus. Cum autem *ταῦτα* spectent ad *ᾧ νοεῖ καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ*, illud *ᾧ νοεῖ*, ut haec inter se conveniant, mutandum est eo modo, ut linea intellegi possit. Quod fit, si pro dativo ponimus accusativum: *ὃ νοεῖ*. Iam vero non amplius haec verba locum quem nunc tenere possunt. Cum autem pertineant ad individuum quantitatis, ante omnia videndum est, num si reliquae de hoc individuorum genere expo-

sitioni adiunguntur, sententiae apte inter se cohaereant. Quo facto Aristoteles b 11 seqq. ait: Sin autem mens seorsum cogitat utramque lineae partem, simul etiam tempus dividit. Cogitat enim tum, si hoc facit, lineam, quasi sint lineae. Ubi autem lineam cogitat, quasi sit ex utraque parte composita, h. e. si ita cogitat lineam, ut sit una, sed tamquam e duabus partibus constans, etiam in temporis spatio cogitat quod in utraque parte est. [Cogitat igitur tum et lineam et tempus divisum]; sed per accidens, et non quatenus illa dividua sunt, quod cogitat (intell. lineam) et in quo tempore, sed quatenus sunt individua. (Cogitatione enim sola mens dividit, quae per se sunt individua). Nam etiam in his aliquid individuum est, idque fortasse ab iis non seiunctum, quod efficit unum et tempus et lineam. Atque hoc in unoquoque est individuo et in tempore et in linea. Quod autem non quantitate individuum est, sed notione, cogitat in tempore individuo et individua mentis actione.

Quae omnia satis apte procedere videntur. Causam vero loci corrupti si quaeris, putamus praetermissum ab aliquo fuisse et in margine adscriptum enunciatum: *τὸ δὲ μὴ κατὰ ποσὸν ἀδιαίρετον ἀλλὰ τῷ εἴδει νοεῖ ἐν ἀδιαιρέτῳ χρόνῳ καὶ ἀδιαιρέτῳ ψυχῆς*, et postea loco alieno ab alio esse insertum. Atque erat cur hoc maxime loco ille haec interponeret. Nam si verba sola respicis, his aliquid similitudinis intercedit cum iis ante quae in codicibus collocata sunt: *κατὰ συμβεβηκὸς δέ, καὶ οὐχ ᾗ ἐκεῖνα διαιρετά, ὃ νοεῖ καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ, ἀλλ' ᾗ ἀδιαίρετα.* Postquam autem illa sententia hoc loco inserta fuit, aliquis propter verba: *ἐν ἀδιαιρέτῳ χρόνῳ καὶ ἀδιαιρέτῳ τῆς ψυχῆς* b 15, *ὃ νοεῖ καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ* b 16, ut illis convenirent, mutavit in *ᾧ νοεῖ καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ.*

Locus similis est de anim. III, 3. 428 a 24: *φανερὸν τοίνυν ὅτι οὐδὲ δόξα μετ' αἰσθήσεως, οὐδὲ δι' αἰσθήσεως, οὐδὲ συμπλοκὴ δόξης καὶ αἰσθήσεως φαντασία ἂν εἴη, διά τε ταῦτα καὶ δῆλον ὅτι οὐκ ἄλλου τινός ἐστιν ἡ δόξα, ἀλλ' ἐκείνου ἐστὶν οὗ καὶ αἴσθησις· λέγω δ', εἰ* (cf. Trendelenb. comment. p. 457 sq.) *τῆς τοῦ λευκοῦ δόξης καὶ αἰσθήσεως ἡ*

συμπλοκὴ φαντασία ἐστίν· οὐ γὰρ δὴ ἐκ τῆς δόξης μὲν τῆς τοῦ ἀγαθοῦ, αἰσθήσεως δὲ τῆς τοῦ λευκοῦ.

Incipiamus a. v. a 28: *λέγω δ', εἰ τῆς τοῦ λευκοῦ δόξης καὶ αἰσθήσεως ἡ συμπλοκὴ φαντασία ἐστὶν κτλ.* Cum *λέγω δέ* formula explicationi inserviat, ad quam sententiam haec spectent quaeritur. Profecto non ad ea quae proxime antecedunt: *διά τε ταῦτα καὶ δῆλον ὅτι οὐκ ἄλλου τινός ἐστιν ἡ δόξα, ἀλλ' ἐκείνου ἐστὶν οὗ καὶ αἴσθησις,* sed ad sententiam: *φανερὸν τοίνυν ὅτι οὐδὲ δόξα μετ' αἰσθήσεως, οὐδὲ δι' αἰσθήσεως, οὐδὲ συμπλοκὴ δόξης καὶ αἰσθήσεως φαντασία ἂν εἴη.* Cur autem haec inter se seiuncta sint, causa apparet prorsus nulla. Atque accedit aliud quid. Cum dicatur: *φανερὸν τοίνυν ὅτι οὐδὲ δόξα μετ' αἰσθήσεως, οὐδὲ δι' αἰσθήσεως, οὐδὲ συμπλοκὴ δόξης καὶ αἰσθήσεως φαντασία ἂν εἴη, διά τε ταῦτα καὶ δῆλον ὅτι οὐκ ἄλλου τινός ἐστιν ἡ δόξα, ἀλλ' ἐκείνου ἐστὶν οὗ καὶ αἴσθησις,* inde quod phantasia esse non possit opinio cum sensuum perceptione coniuncta aut opinio quae per sensuum perceptionem efficitur, colligitur opinionis et perceptionis obiectum esse idem. Quod prorsus contra fit, atque inde quod opinio eodem quo sensuum perceptio utitur obiecto (semper enim opinio pertinet ad res quae sensibus percipiuntur) consequitur, ut phantasia esse nequeat opinio cum perceptione coniuncta. Nam cum obiecta sint eadem, utramque actionem si conciliaveris, novi quidquam non exsistet, cf. 428 b 1: *τὸ οὖν φαίνεσθαι ἔσται* (sic cum Trendelenburgio scribendum esse putamus) *τὸ δοξάζειν ὅπερ αἰσθάνεται μὴ κατὰ συμβεβηκός.* Itaque verba Aristotelis redigenda sunt in hunc ordinem: *διά τε ταῦτα καὶ δῆλον ὅτι οὐκ ἄλλου τινός ἐστιν ἡ δόξα, ἀλλ' ἐκείνου ἐστὶν οὗ καὶ αἴσθησις. φανερὸν τοίνυν ὅτι οὐδὲ δόξα μετ' αἰσθήσεως, οὐδὲ δι' αἰσθήσεως, οὐδὲ συμπλοκὴ δόξης καὶ αἰσθήσεως φαντασία ἂν εἴη. λέγω δ', εἰ τῆς τοῦ λευκοῦ δόξης καὶ αἰσθήσεως ἡ συμπλοκὴ φαντασία ἐστίν· οὐ γὰρ δὴ ἐκ τῆς δόξης μὲν τῆς τοῦ ἀγαθοῦ, αἰσθήσεως δὲ τῆς τοῦ λευκοῦ· τὸ οὖν φαίνεσθαι ἔσται τὸ δοξάζειν ὅπερ αἰσθάνεται μὴ κατὰ συμβεβηκός.*

Index locorum ubi codicum verba mutavimus.

Plat. Tim. p. 51 A	cf. p. 20.
Arist. Phys. II, 6. 198 a 2	„ p. 113 seq.
„ „ II, 7. 198 b 6	„ p. 51.
„ „ II, 9. 200 a 22	„ p. 51.
„ „ II, 9. 200 b 4	„ p. 26.
„ de anim. III, 3. 428 a 24 seqq.	„ p. 118 seq.
„ „ III, 6. 430 b 14 seqq.	„ p. 116 seqq.
„ Met. Z, 7. 1032 b 29 seqq.	„ p. 103 seqq.
„ „ Z, 17. 1041 b 5	„ p. 25.
„ „ Z, 17. 1041 b 6	„ p. 25.
„ „ Z, 17. 1041 b 7	„ p. 25.
„ „ Z, 17. 1041 b 29	„ p. 26.
„ „ Λ, 7. 1072 b 16	„ p. 114 seqq.

(4)

De

Aristotelis dicendi ratione.

Pars prima.

Observationes de particularum usu.

Dissertatio inauguralis

quam

auctoritate atque consensu

amplissimi philosophorum ordinis

Academiae

Georgiae Augustae

ad summos in philosophia honores capessendos

scripsit

Rudolfus Eucken

Frisius.

Gottingae.

Typis expressit officina Hoferiana.

1866.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

HERMANNO SAUPPE

PRAECEPTORI SUMME VENERABILI FAUTORI
BENEVOLENTISSIMO,

GUSTAVO TEICHMUELLER

PRAECEPTORI CARISSIMO DE ARISTOTELE RECTIUS
INTELLIGENDO OPTIME MERITO,

GUILIELMO GITTERMANN

TUTORI DILECTISSIMO LITERARUM HUMANARUM
STUDIOSISSIMO

HASCE STUDIORUM MEORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

Omnibus qui in literis tractandis aliquid proficere velint, ita videtur res instituenda esse, ut cum primum singulas res accurate pertractaverint, hoc quasi fundamento constituto eas leges atque rationes quae in universum valeant cognoscere studeant. Id quod maxime de iis valet qui de sermone atque dicendi ratione scriptoris cujusdam agere velint, neque enim exiguum periculum est, ne singulis rebus neglectis vana atque inania contendant. Itaque cum de Aristotelis dicendi usu agere mihi proposuerim, ante omnia de singulis particulis quomodo adhibeantur videtur dicendum esse. Talem autem inquisitionem apud Aristotelem praecipue maximi momenti esse ab omnibus conceditur, ut et ipsius verba melius intelligamus atque textum nobis traditum emendemus et totum dicendi usum qualis fuerit illo tempore cognoscamus. Praeterea ubicunque dubitatur, utrum singuli libri ab Aristotele ipso profecti sint necne, ad rem dijudicandam magnae utilitati est videre, num eorum librorum dicendi ratio ad illum quadret; quod autem ad ea scripta attinet, quae Aristoteli supposita esse constat, ex talibus rebus effici potest, propiusne accedant ad philosophi et dicendi rationem et tempus an longius distent. Addo ex dicendi ratione accuratius tractanda haud raro apparere et tota ipsius Aristotelis scripta inter se et singulos libros ejusdem scripti miro modo dissentire; quae res multum prodesse potest ad judicium, quo ordine Aristoteles libros scripserit, constituendum, In omnibus vero talibus rebus summa cautione opus esse elucet, ita ut nihil profici posse putemus, nisi hoc tenemus quod praecipitur in Physiognomicis 806. b. 37—807. a. 3: ὅλως δὲ τὸ ἑνὶ μὲν πιστεύειν τῶν σημείων εὔηθες· ὅταν δὲ πλείω συμφωνοῦντα καθ' ἑνὸς λάβῃ, μᾶλλον ἤδη κατὰ τὸ εἰκὸς ἄν τις

ὑπολαμβάνοι ἀληθῆ εἶναι τὰ σημεῖα. De iis autem quae magis in universum spectent non tam accuratius dicere quam monere hujus est dissertationis, qua in hanc maxime rem inquirere mihi proposui, quomodo singulis particulis Aristoteles usus sit, quantum vero etiam tales res quae putantur minutissimae esse ad scriptorem melius intelligendum prodesse possint, optime Bonitzius demonstravit (observationes criticae in Aristotelis libros metaphysicos pag. 6—8).*) Sed quo major fructus ex Aristotelis dicendi ratione accuratius tractanda percipi potest, eo magis dolendum est neminem fere de ea re disputasse. Cum enim et Aristotelis philosophia explicanda et singulis scriptis edendis haud pauci viri egregii, maxime Brandisius, Bekkerus, Trendelenburgus, Spengelius, Bonitzius, optime meruerint, tamen de dicendi ratione in universum quidem nemo quidquam disputavit praeter Bonitzium, qui in praeclara illa commentatione „Aristotelische Studien II. u. III.“ maxime de enuntiatorum ratione (quod quidem difficillimum et gravissimum est) dixit, de singulis particulis pauca attulit. Quae cum ita sint id quod ego suscepi fore spero ut hominibus doctis non prorsus supervacaneum videatur.

Legi autem, ut Aristotelis dicendi rationem cognoscerem, ex ipsius scriptis Metaphysica, Physica, libros de anima, Ethica Nicomachea, Politica, Rhetorica, Poetica; ex iis, quae videntur supposita esse, Ethica Eudemia, Magna Moralia, librum de virtutibus et vitiis, Oeconomica, Rhetorica ad Alexandrum, librum de Xenophane, Zenone, Gorgia (ut vulgo inscribitur), Physiognomica; praeterea ex Theophrasti libris historiam plantarum et Characteres, ut intelligerem, quo modo Aristotelis ipsius dicendi ratio ab ejus discipulis differat. In particulis tractandis ita agam ut maxime usum Aristotelis in universum explanare studeam, de singulis locis explicandis vel emendandis breviter dicam, quia ex

---

*) cf. Bernhardy: paralipomena syntaxis Graecae I, 14.: „Parati sunt et in promptu positi scriptores nobilissimi, quorum elocutionem nemo ne summis quidem lineis criticaque subtilitate digessit: velut Aristotelis opes vix ultra sparsas quasdam observationes innotuerunt.“ cf. Bonitz. Jenaische Literaturzeitung 1845. pag. 846.

iis, quae de philosophi usu attulero, perspicuum erit, rectene judicem necne. Antequam autem ad rem ipsam transeam, si qui legent opusculum meum, ab iis petierim, ne severius de iis judicent, quae falso disputata esse iis videantur. Ab omni enim parte recte de Aristotelis dicendi ratione disserere ii tantum poterunt, qui per temporis spatium haud exiguum in ejus libris versati sint, id quod mihi ut tironi non contigit, nam ut verbis philosophi utar: *νέος δ' ἔμπειρος οὐκ ἔστιν· πλῆθος γὰρ χρόνου ποιεῖ τὴν ἐμπειρίαν* (Eth. Nic. 1142. a. 15, 16).

Jam ad rem transeamus et primum quidem hoc demonstrare mihi liceat, Aristotelis dicendi rationem non eandem esse in omnibus scriptis. Exemplis utar particulis *πρίν* et *μήν*.

Caput I.

Particularum *πρίν* et *μήν* exemplo Aristotelis dicendi rationem non eandem esse in omnibus scriptis demonstratur.

Particula *πρίν* quomodo ab optimis scriptoribus Atticis adhibita sit grammatici *) docent, quorum sententias referre longum est neque oportet, cum non de particulis in universum sed de Aristotelis usu dicere mihi proposuerim. Itaque transeamus ad philosophum ipsum. *Πρίν* cum indicativo bis invenitur (scil. in iis scriptis quae evolvi) Rhet. 1393. a. 33: *καὶ γὰρ Δαρεῖος οὐ πρότερον διέβη πρὶν Αἴγυπτον ἔλαβεν* (ita enim Bekkerus in editione minore cum optimo codice A^c **) rectissime scripsit, cum in majore habeat *ἔλαβεν*), 1393. b. 2 qui locus proxime sequitur: *καὶ πάλιν Ξέρξης οὐ πρότερον ἐπεχείρησε πρὶν ἔλαβεν.* Quod indicativus praeterea non invenitur, noli mirari, quod

---

*) Cf. Bäumlein. Untersuchungen über die griechischen Modi pag. 89—91, 237—240, 342—347. G. Hermann. de particula *ἄν*, opusc. IV. 103—109.

**) Cf. Spengel. Abhandlungen der Bayr. Academie der Wissenschaften. Philos.-philolog. Classe VI, pag. 502—505. Vahlen. Sitzungsberichte der Kaiserl. Academie der Wissenschaften. Philos.-hist. Classe, 1861. tom. 38. pag. 92.

cum rem gestam quandam alii praecessisse indicet, videtur magis sermoni eorum qui historiam scribunt quam philosophis convenire.

Saepius Aristoteles particulam πρίν cum conjunctivo adhibet, si enuntiatio quae antecedit negativa est; ita autem libri distant, ut in aliis omnibus locis ἄν, in aliis ἤ particulae πρίν addatur. Πρὶν ἄν vulgo legitur in Ethicis Nicomach. 1156. b. 28, in libris de anima 429. b. 31, in Physicis 193. b. 1, 194. b. 19; 241. a. 9 conjunctivus supplendus est *). In Rhetoricis et Poeticis πρίν cum conjunctivo non invenitur. Contra πρὶν ἤ **) in usu est in Politicis et Metaphysicis, v. Pol. 1291. a. 20: τὸ δὲ προπολεμοῦν οὐ πρότερον ἀποδίδωσι μέρος πρὶν ἢ τῆς χώρας αὐξομένης καὶ τῆς τῶν πλησίον ἁπτομένης εἰς πόλεμον καταστῶσιν. v. 1336. b. 21: τοὺς δὲ νεωτέρους οὔτ' ἰάμβων οὔτε κωμῳδίας θεατὰς νομοθετητέον πρὶν ἢ τὴν ἡλικίαν λάβωσιν. 1314. a. 18 verba leguntur: οὐ καταλύεται γὰρ πρότερον τυραννὶς πρὶν ἢ πιστεύσουσί τινες αὐτοῖς, sed cum futuro post πρίν omnino locus non sit neque Schneideri conjectura πιστεύουσι placeat, non dubito quin πιστεύσωσι legendum sit. In Metaphysicis πρὶν ἤ adhibetur 1040. b. 9: οὐθὲν γὰρ αὐτῶν ἕν ἐστιν, ἀλλ' οἷον σωρος (ita Bonitzius cum aliis, Brandisius et Bekkerus ὁ ὄρρος) πρὶν ἢ πεφθῇ καὶ γένηταί τι ἐξ αὐτῶν ἕν; ubi ut intelligatur quorsum πρὶν ἤ referendum sit, post verbum σωρος interpungendum est. Apud Theophrastum πρὶν ἤ in historia plantarum quidem non invenitur; paragraphum enim I, 6. 13, ubi legitur, a Schneidero ex Athenaeo in textum receptam Wimmerus, qui optime de Theophrasto meruit, in suspicionem vocavit (v. Wimmerum ad h. l.) atque ille ipse particularum πρὶν ἤ usus, qui videtur a Theophrasto alienus esse,

---

*) verbo monendum est, nonnullis locis ἄν in optimis codicibus non inesse, sed cum post v. πρίν facillime a librariis omitti potuerit, editoribus assentiendum esse puto, qui ἄν ex ceteris codicibus receperunt.

**) πρὶν ἤ cum conjunctivo invenitur etiam apud Herodotum cf. Bäumlein. Untersuchungen über die griech. Modi pag. 240, Krüger. Griechische Sprachlehre II, 54. 17. 9. atque apud scriptores aetate multo posteriores, ut in novo testamento cf. Winer. Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms II, 100.

pro ejus sententia facit. πρὶν ἂν invenitur VIII. 2. 4; VII. 13. 7 Wimmerus ἂν e conjectura addidit.

Sed revertamur ad Aristotelem. Πρὶν cum optativo non reperitur, id quod non offendit, quia in obliqua tantum oratione locum habet. Cf. Klotz. annotationes ad Matthaei Devarii librum de Graecae linguae particulis pag. 727; contra πρίν cum infinitivo haud raro in usu est, hoc librorum discrimine ut in aliis πρίν cum infinitivo non inveniatur nisi post sententias affirmativas vel si post negativas, modo si praecedit tempus praeteritum, cf. Bäumlein. Griechische Modi, pag. 344; cum in aliis promiscue sententias et affirmativas et negativas sequatur. Illud factum est in Politicis, Rhetoricis, Poeticis, Physicis, hoc in Ethicis, Metaphysicis, libris de anima; ita ut in his conjunctivus et infinitivus post πρίν sine ullo discrimine adhibeantur. Cf. Ethic. 1156. b. 27.: ἔτι δὲ προςδεῖται χρόνου καὶ συνηθείας. κατὰ τὴν παροιμίαν γὰρ οὐκ ἔστιν εἰδῆσαι ἀλλήλους πρὶν τοὺς λεγομένους ἅλας συναλῶσαι. οὐδ' ἀποδέξασθαι δὴ πρότερον οὐδ' εἶναι φίλους, πρὶν ἂν ἑκάτερος ἑκατέρῳ φανῇ φιλητὸς καὶ πιστευθῇ. de anima 429. a. 24: ὁ ἄρα καλούμενος τῆς ψυχῆς νοῦς (λέγω δὲ νοῦν ᾧ διανοεῖται καὶ ὑπολαμβάνει ἡ ψυχή) οὐθέν ἐστιν ἐνεργείᾳ τῶν ὄντων πρὶν νοεῖν, comparetur cum 429. b, 31: δυνάμει πῶς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδέν, πρὶν ἂν νοῇ. Addo in Metaphysicis duos inveniri locos, ubi ad πρὶν cum infinitivo vulgo ἢ*) addatur, v. 994. b, 21: οὐ γὰρ οἷόντε εἰδέναι πρὶν ἢ εἰς τὰ ἄτομα ἐλθεῖν, sed cum hoc loco ἢ omittatur a codice Vaticano et Laurentiano A^b, qui optimus est Metaphysicorum **), atque A^b ἔλθῃ praebeat, dubitari potest, num verba ut nunc leguntur recte sese habeant vel si hoc conceditur, num quid ex loco libri α***) ad Aristo-

---

*) πρὶν ἢ cum infinitivo etiam apud Herodotum in usu est, cf. Madvig. Syntax der griech. Sprache §. 167 annot. Bäumlein. Griechische Modi, pag. 346, apud Demosthenem cf. Klotz. annotat. ad Devarium pag. 726, apud scriptores posteriores cf. Winer. l. l. II. 100.

**) Cf. Christ. Studia in Aristotelis libros metaphysicos collata, qui accuratissime de codice A^b disputavit cf. pag. 21, 22.

***) Num liber α ab Aristotele scriptus sit, jam antiquitus dubitatum est atque recentiores magis eo inclinaverunt ut ab Aristotele abjudicarent

telis usum effici possit; at praeterea πρὶν ἤ adhibetur 1057. b. 25.: ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων γίγνεταί τι ὥστ' ἔσται μεταβολὴ εἰς τοῦτο πρὶν ἢ εἰς αὐτά, ubi omnes codices consentiunt, infinitivum autem supplendum esse apparet. 989. b. 18, 1058. a. 20, 1081. a. 34, 35 ex vulgari Atticorum dicendi usu πρίν sine ἤ cum infinitivo construitur, ita ut libri Metaphysici sibi non constent. Itaque Aristoteles particula πρίν in aliis scriptis aliter utitur; qua ex re quid effici possit alii videant.

Jam vertamus nos ad particulam μήν, quae propter plures causas digna videtur ut accuratius tractetur: primum quod Aristoteles eam non adhibet nisi post certas quasdam particulas, quo valde differt ab optimis scriptoribus Atticis; tum quod Aristotelis ipsius usus quodammodo diversus est ab eo, qui in libris subditiciis invenitur, denique quia scripta vere Aristotelea ita alia ab aliis distant, ut μήν in aliis saepissime inveniatur, in aliis fere nullo loco, alii medium teneant. Quod postremo loco dixi ut recte intelligatur praemitto haud paucos homines esse me non ignorare, qui despiciant in eos qui verbis et particulis enumerandis aliquid efficere conentur; sed contra illos moneo ea re, quod particulae quaedam in alio libro saepissime, in alio fere nusquam inveniantur, certissime indicari totam illorum scriptorum dicendi rationem differre; quam ob rem non supervacaneum esse puto talia quoque commemorare.

Ante omnia autem dicendum est, Aristotelem particulam μήν, quam saepe γέ sequitur, non adhibere nisi aut ἀλλά aut οὐ antecedit. Ut exemplo demonstrem, quam saepe eo modo μήν in nonnullis scriptis usurpetur, locos enumerabo ex Metaphysicis: ἀλλὰ μήν sine particula γέ: 991. a. 12, 993. a. 19, 997. a. 11, 999. a. 21, 29. b. 27, 1002. a. 15, 1029. a. 16, 1031. b. 32, 1071. b. 12, 25, 1079. b. 15 (Bonitzius ἀλλὰ μὴν οὔτε, ceteri ἀλλὰ μὴν οὐδέ) 1084. a. 12, 1086. b. 31, 1087. a. 36, 1091. b. 18, 27. ἀλλὰ μήν-γέ: 994. a. 1, 996. b. 1, 999. b. 5, 1001. a. 29, 1002. a. 4, b. 30, 1007. b. 29, 1039. a. 19, 1053. b. 29, 1055. a. 10, 1057. a. 30, b.

---

cf. Brandis. Abhandlungen der Berliner Academie 1834. Philosoph.-histor. Classe pag. 87. Bonitz. Commentarius in metaphys. Aristot. pag. 15—18.

11, 1075. b. 30, 32, 1083. a. 36, b. 16, 1086. b. 37, 1089. b. 2. ἀλλὰ μὴν καί: 992. b. 33, 996. b. 26, 1001. b. 19, 1040. a. 18, 1050 b. 6, 1072. a. 34, 1073. a. 11, 1087. b. 12, 1089. b. 32. ἀλλὰ μὴν καί — γέ: 982. a. 28, 994. b. 28, 999. a. 1, 1038. a. 9, 1050. a. 4, 1082. a. 11. ἀλλὰ μὴν οὐδέ: 991. a. 19, 992. a. 18, 994. a. 15, 19, b. 16, 997. b. 34, 1011. b. 23, 1012. b. 29, 1029. b. 18, 28, 1047. a. 7, 1070. b. 3, 1079. b. 23, 1082. a. 26, 1083. a. 9, 20, 1085. b. 31, 1092. b. 25. ἀλλὰ μὴν οὐδέ-γέ: 998. b. 11, 1071. b. 37, 1076. b. 11, 1090. b. 27. Particula οὐ praecedente μήν his locis invenitur: οὐ μήν: 985. a. 22; οὐ μήν-γέ: 985. a. 33, 988. b. 10, 13, 998. a. 8, 1030. a. 28, 1045. b. 36, 1086. b. 4. οὐ μὴν ἀλλά (cf. Krüger. Griechische Sprachlehre I. 67, 14. 2. Bäumlein. Untersuchungen über griechische Partikeln pag. 156.): 1087. a. 13, 1090. a. 19, b. 11, 1091. b. 6; οὐ μὴν ἀλλά-γέ: 986. b. 17; οὐ μὴν ἀλλὰ καί: 1030. b. 6.

Particula γέ post μήν ita collocatur, ut vulgo unum verbum, raro duo interponantur, nullo loco γέ proxime sequatur; ubi substantivum cum articulo vel praepositione conjunctum particulam μήν sequitur, γέ inter articulum vel praepositionem et substantivum interponi solet *); qui usus cum constantissimus sit, nescio an Phys. 219. a. 22: ἀλλὰ μὴν καὶ τὸν χρόνον γε γνωρίζομεν cum codice Vaticano I, qui satis multis locis solus **) rectum praebet, γέ omittendum sit. Utique Scaligeri conjectura Eth. 1123. b. 26: οὐ μὴν πρός τόν γε μεγαλόψυχον ***) ob eam ipsam causam aut rejicienda est aut ita mutanda, ut γέ cum cod. Kb et Ob deleamus. Neque vero quod de Aristotelis usu dixi ad libros pseudoaristoteleos pertinet. Cf. Ethic. Eudem. 1216. b. 20: οὐ μὴν ἀλλά γε περὶ ἀρετῆς. Theophrastus quoque differt ab Aristotele cf. hist. plant. VI, 5,

---

*) aliter Plato, ut unum exemplum afferam v. Phaed. 74. C.: ἀλλὰ μὴν ἐκ τούτων γ' ἔφη sqq.

**) Bonitzius quoque v. Aristotelische Studien I., pag. 29, 34, 48. locos affert, ubi vera lectio non in codice E, sed in I et aliis inest.

***) v. Eos I. 109. (Oncken).

1.: *πολυσχιδὲς δὲ καὶ πολύρριζον οὐ μὴν κατὰ βάθους γε τὰς ῥίζας ἔχον.*

Apud Aristotelem, ut ad eum revertar, particula *μήν* fere pari numero atque in Metaphysicis ponitur in Physicis et Politicis, multo rarius in Ethicis et libris de anima. Ethic. 1175. b. 34 cur Bekkerus in editione minore: *οὐ μὲν ἔοικέ γε ἡ ἡδονὴ* sqq. a majore, ubi *μήν* cum omnibus codicibus habet, recesserit, non video; nisi typothetae errore illud factum est. *οὐ μὴν οὐδέ*, cf. Krüger. ad Thucyd. I. 3, 4; II. 97, 5; his tantum locis inveni: Pol. 1280. b. 32, Ethic. 1173. a. 13.

Jam dicendum est de particula *μήν* in Poeticis et Rhetoricis. Quod in illis semel tantum 1451. b. 19 invenitur, minus offendit propter parvum hujus libelli ambitum; sed quid dicis de Rhetoricis, ubi nullo alio loco *μήν* in usu est nisi hoc: 1361. a. 29: *τιμὴ δ'ἐστὶ μὲν σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης, τιμῶνται δὲ δικαίως μὲν καὶ μάλιστα οἱ εὐεργετηκότες, οὐ μὴν ἀλλὰ τιμᾶται καὶ ὁ δυνάμενος εὐεργετεῖν.* (ex Rhetoricis ut ex ceteris scriptis eos locos non affero, qui in sententiis aliorum ab Aristotele ad verbum expressis inveniuntur). Quantopere igitur distent Rhetorica et Metaphysica apparet, sed in Rhetoricis particulae permultae, quae in ceteris scriptis saepissime inveniuntur, fere prorsus desunt.

Quod vero dixi *μήν* modo post *οὐ* et *ἀλλά* inveniri, non de omnibus libris Aristoteleis videtur valere, cum liber K Metaphysicorum et H Physicorum dissentiant. In priore enim libri K parte *) septies *γὲ μήν* adhibetur: 1060. a. 5: *τά γε μὴν παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα γένη ἢ εἴδη ἐστίν.* 1060. a. 17: *τό γε μὴν ἴσας ταῖς αἰσθηταῖς καὶ φθαρταῖς οὐσίαις ἀϊδίους ἑτέρας παρασκευάζειν ἐκτὸς τῶν εὐλόγων δόξειεν ἂν πίπτειν.* 1060. a. 20: *αὕτη γε μὴν ἐνεργείᾳ μὲν οὐκ ἔστι, δυνάμει δ'ἔστιν.* 1060. b. 3: *εἴ γε μὴν τόδε τι καὶ οὐσίαν ἑκάτερον αὐτῶν δηλοῖ, πάντ' ἐστὶν οὐσίαι τὰ ὄντα.* 1060. b. 12: *εἴ γε μὴν γραμμὰς ἢ τὰ τούτων ἐχόμενα (λέγω δ'ἐπιφανείας τὰς πρώτας) θήσει τις ἀρχάς.* 1061. b. 8: *ἥ γε μὴν διαλεκτικὴ καὶ ἡ σο-*

---

*) de duabus libri K partibus v. Bonitz. commentarius in metaphys. pag. 15, 22, 23.

φιστικὴ τῶν συμβεβηκότων μέν εἰσι τοῖς ουσιν, οὐχ ᾗ δ' ὄντα. 1062. b. 33: τό γε μὴν ὁμοίως προςέχειν ταῖς δόξαις καὶ ταῖς φαντασίαις τῶν πρὸς αὐτοὺς διαμφισβητούντων εὔηθες. De qua re ita judicandum esse censeo, ut cum γὲ μήν nullo alio loco apud Aristotelem inveniatur, constet autem, num liber K vere Aristoteleus *) sit valde dubitari, illum usum argumentum esse putemus, librum K non ab Aristotele ipso scriptum esse. Idem efficiendum est ex particulis οὐδὲ μήν modo in Metaphysicorum libro K et Physicorum H usurpatis; cf. Met. 1059. b. 12: οὐδὲ μὴν περὶ τὰ μαθηματικὰ ἡ ζητουμένη νῦν ἐστιν ἐπιστήμη, cum ante dixisset primam philosophiam non esse περὶ τὰ εἴδη. 1059. b. 16, cum antecedant verba: ὅλως δ' ἀπορήσειέ τις ἂν ποίας ἐστὶν ἐπιστήμης τὸ διαπορῆσαι περὶ τῆς τῶν μαθηματικῶν ὕλης pergit: οὔτε γὰρ τῆς φυσικῆς, διὰ τὸ περὶ τὰ ἔχοντα ἐν αὐτοῖς ἀρχὴν κινήσεως καὶ στάσεως τὴν τοῦ φυσικοῦ πᾶσαν εἶναι πραγματείαν, οὐδὲ μὴν τῆς σκοπούσης περὶ ἀποδείξεώς τε καὶ ἐπιστήμης; ita ut μήν alteram disjunctionis partem urgueat, ad quam rem Aristoteles ipse αὖ, non μήν vel δή, adhibet. Locus ex Physicis hic est 245. a. 12: ὥστε οὐδὲν ἔσται μεταξὺ τοῦ ἀλλοιουμένου καὶ τοῦ ἀλλοιοῦντος. οὐδὲ μὴν τοῦ αὐξανομένου τε καὶ αὔξοντος, sed etiam ex illo quidquam ad Aristotelis usum effici posse nego, cum liber H num ab Aristotele scriptus sit **) valde dubitetur.

Itaque statuendum est Aristotelem particulam μήν tantum modo post οὐ et ἀλλά ponere. Quae cum ita sint omnes conjecturae, quibus μήν alio modo usurpatum in textum infertur, rejiciendae sunt, cujus rei ut unum exemplum afferam: Scaliger (cf. Oncken, Eos I. 111.) injuria Eth. 1146. a. 12 scribere vult: πολλοῦ μὴν δεῖ γε. Sed ab Aristotele ipso distat usus nonnullorum librorum subditiciorum et Theophrasti, cum praeter

*) vid. Bonitz. comment. in metaphys. pag. 15, 22, 23. Valent. Rose. de Aristotelis librorum ordine et auctoritate. pag. 156.

**) Cf. Titze. de Aristotelis operum serie et distinctione pag. 48. Spengel. Abhandl. der Bayr. Akademie der Wissensch. Philos.-philolog. Classe. III. pag. 335—339. Valent. Rose l. l. pag. 199, 203.

1.: *πολυσχιδὲς δὲ καὶ πολύρριζον οὐ μὴν κατὰ βάθους γε τὰς ῥίζας ἔχον.*

Apud Aristotelem, ut ad eum revertar, particula *μήν* fere pari numero atque in Metaphysicis ponitur in Physicis et Politicis, multo rarius in Ethicis et libris de anima. Ethic. 1175. b. 34 cur Bekkerus in editione minore: *οὐ μὲν ἔοικέ γε ἡ ἡδονὴ* sqq. a majore, ubi *μήν* cum omnibus codicibus habet, recesserit, non video; nisi typothetae errore illud factum est. *οὐ μὴν οὐδέ*, cf. Krüger. ad Thucyd. I. 3, 4; II. 97, 5; his tantum locis inveni: Pol. 1280. b. 32, Ethic. 1173. a. 13.

Jam dicendum est de particula *μήν* in Poeticis et Rhetoricis. Quod in illis semel tantum 1451. b. 19 invenitur, minus offendit propter parvum hujus libelli ambitum; sed quid dicis de Rhetoricis, ubi nullo alio loco *μήν* in usu est nisi hoc: 1361. a. 29: *τιμὴ δ'ἐστὶ μὲν σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης, τιμῶνται δὲ δικαίως μὲν καὶ μάλιστα οἱ εὐεργετηκότες, οὐ μὴν ἀλλὰ τιμᾶται καὶ ὁ δυνάμενος εὐεργετεῖν.* (ex Rhetoricis ut ex ceteris scriptis eos locos non affero, qui in sententiis aliorum ab Aristotele ad verbum expressis inveniuntur). Quantopere igitur distent Rhetorica et Metaphysica apparet, sed in Rhetoricis particulae permultae, quae in ceteris scriptis saepissime inveniuntur, fere prorsus desunt.

Quod vero dixi *μήν* modo post *οὐ* et *ἀλλά* inveniri, non de omnibus libris Aristoteleis videtur valere, cum liber K Metaphysicorum et H Physicorum dissentiant. In priore enim libri K parte *) septies *γὲ μήν* adhibetur: 1060. a. 5: *τά γε μὴν παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα γένη ἢ εἴδη ἐστίν.* 1060. a. 17: *τό γε μὴν ἴσας ταῖς αἰσθηταῖς καὶ φθαρταῖς οὐσίαις ἀϊδίους ἑτέρας παρασκευάζειν ἐκτὸς τῶν εὐλόγων δόξειεν ἂν πίπτειν.* 1060. a. 20: *αὕτη γε μὴν ἐνεργείᾳ μὲν οὐκ ἔστι, δυνάμει δ'ἔστιν.* 1060. b. 3: *εἴ γε μὴν τόδε τι καὶ οὐσίαν ἑκάτερον αὐτῶν δηλοῖ, πάντ' ἐστὶν οὐσίαι τὰ ὄντα.* 1060. b. 12: *εἴ γε μὴν γραμμὰς ἢ τὰ τούτων ἐχόμενα (λέγω δ'ἐπιφανείας τὰς πρώτας) θήσει τις ἀρχάς.* 1061. b. 8: *ἥ γε μὴν διαλεκτικὴ καὶ ἡ σο-*

*) de duabus libri K partibus v. Bonitz. commentarius in metaphys. pag. 15, 22, 23.

φιστικὴ τῶν συμβεβηκότων μέν εἰσι τοῖς ουσιν, οὐχ ᾗ δ'ὄντα. 1062. b. 33: τό γε μὴν ὁμοίως προςέχειν ταῖς δόξαις καὶ ταῖς φαντασίαις τῶν πρὸς αὑτοὺς διαμφισβητούντων εὔηθες. De qua re ita judicandum esse censeo, ut cum γὲ μὴν nullo alio loco apud Aristotelem inveniatur, constet autem, num liber K vere Aristoteleus *) sit valde dubitari, illum usum argumentum esse putemus, librum K non ab Aristotele ipso scriptum esse. Idem efficiendum est ex particulis οὐδὲ μὴν modo in Metaphysicorum libro K et Physicorum H usurpatis; cf. Met. 1059. b. 12: οὐδὲ μὴν περὶ τὰ μαθηματικὰ ἡ ζητουμένη νῦν ἐστιν ἐπιστήμη, cum ante dixisset primam philosophiam non esse περὶ τὰ εἴδη. 1059. b. 16, cum antecedant verba: ὅλως δ' ἀπορήσειέ τις ἂν ποίας ἐστὶν ἐπιστήμης τὸ διαπορῆσαι περὶ τῆς τῶν μαθηματικῶν ὕλης pergit: οὔτε γὰρ τῆς φυσικῆς, διὰ τὸ περὶ τὰ ἔχοντα ἐν αὑτοῖς ἀρχὴν κινήσεως καὶ στάσεως τὴν τοῦ φυσικοῦ πᾶσαν εἶναι πραγματείαν, οὐδὲ μὴν τῆς σκοπούσης περὶ ἀποδείξεώς τε καὶ ἐπιστήμης; ita ut μὴν alteram disjunctionis partem urgueat, ad quam rem Aristoteles ipse αὖ, non μὴν vel δή, adhibet. Locus ex Physicis hic est 245. a. 12: ὥστε οὐδὲν ἔσται μεταξὺ τοῦ ἀλλοιουμένου καὶ τοῦ ἀλλοιοῦντος. οὐδὲ μὴν τοῦ αὐξανομένου τε καὶ αὔξοντος, sed etiam ex illo quidquam ad Aristotelis usum effici posse nego, cum liber H num ab Aristotele scriptus sit **) valde dubitetur.

Itaque statuendum est Aristotelem particulam μὴν tantum modo post οὐ et ἀλλά ponere. Quae cum ita sint omnes conjecturae, quibus μὴν alio modo usurpatum in textum infertur, rejiciendae sunt, cujus rei ut unum exemplum afferam: Scaliger (cf. Oncken, Eos I. 111.) injuria Eth. 1146. a. 12 scribere vult: πολλοῦ μὴν δεῖ γε. Sed ab Aristotele ipso distat usus nonnullorum librorum subditiciorum et Theophrasti, cum praeter

---

*) vid. Bonitz. comment. in metaphys. pag. 15, 22, 23. Valent. Rose. de Aristotelis librorum ordine et auctoritate. pag. 156.

**) Cf. Titze. de Aristotelis operum serie et distinctione pag. 48. Spengel. Abhandl. der Bayr. Akademie der Wissensch. Philos.-philolog. Classe. III. pag. 335—339. Valent. Rose l. l. pag. 199, 203.

σὶ μὴν et ἀλλὰ μὴν etiam καὶ μήν, οὐδὲ μήν, γὲ μήν inveniantur; cf. Rhetor. ad Alex.: καὶ μήν 1431. a. 28, b. 2, γὲ μήν 1429. b. 34; de Xenoph., Zen., Gorg., in quo libro satis multa inesse puto quae ab Aristotelis usu aliena sint *), οὐδὲ μήν 979. b. 30 (979 b. 40. Mullachius cum Fossio ex conjectura); de mundo, qui liber sententiisne an sermone magis ab Aristotele distet, vix dici potest: καὶ μήν 397. a. 14, b. 1; 401. a. 19, γὲ μήν 392. a. 9, 22, 393. a. 5, b. 2, 11, 394. b. 21, 395. a. 5. Theophrast. hist. plant. γὲ μήν IV. 10. 1, IX. 16. 7; Charact. καὶ μήν I. 3, II, 4. (Schn.).

Ex iis quae usque adhuc dixi apparet, particulas non omnes eodem modo in omnibus qui dicuntur Aristotelis esse libris usurpari neque igitur sine magno periculo quod de uno scripto valeat, ad omnia transferri posse. Quae res ut accuratius perspiciatur cum maximi momenti esse putem, ubicunque libri dissentiunt, indicandum mihi esse censeo.

Cap. II.

De usu particulae τέ apud Aristotelem.

Ex iis quae grammatici de particulae τέ docent hoc primum refero illud τέ, quod per se solum enuntiata vel notiones conjungit, multo saepius apud poetas quam in sermone

---

*) Utrum liber germanus sit necne disceptatur. cf. Zeller. Geschichte d. griech. Philosophie. edit. II., tom. I. 374. Ueberweg. Philolog. VIII. pag. 104 sqq. C. Vermehren. Die Autorschaft der dem Aristoteles zugeschriebenen Schrift περὶ Ξενοφάνους etc. 1861. Fuere etiam qui librum a Theophrasto scriptum esse conjicerent cf. Brandis. Uebersicht über das Aristotelische Lehrgebäude. pag. 291. Erdmann. Geschichte der Philosophie. I. 156; repugnavit Valent. Rose l. l. pag. 72. Quid de ea re judicandum sit, nunc perscrutari longum est, sed hoc contendo, ab Aristotelis dicendi usu librum illum certo discrimine distare.

pedestri usurpari, sed ne de prosariis quidem omnibus idem valere, cum alii saepius adhibeant, ut Thucydides, alii raro ut Plato et oratores, cf. Bäumlein. Griechische Partikeln pag. 215—217. Apud Aristotelem τέ, cujus vis eadem est atque apud ceteros scriptores *), non in omnibus scriptis pari numero adhibetur, sed duae distinguendae sunt classes, quarum altera efficitur Metaphysicis, Politicis, Ethicis (libro de mundo et altero Oeconomicorum libro), altera Physicis, libris de anima, Rhetoricis (libris pseudoaristoteleis praeter eos, quos modo commemoravi), in illis saepius, in his rarius τέ in usum venit; Poeticorum ambitus minor est quam ut ad utrum genus pertineant definire audeam. (huc non ascribo eos locos, ubi τὲ γάρ, τὲ δή, τὲ οὖν invenitur v. quae infra de ea re dicam. In Politicis τέ fere quinquies et vicies **) invenitur, iu Metaphysicis paullo saepius, omnium saepissime in Ethicis. Contra quater in Rhetoricis, octies in Physicis.

Utitur autem Aristoteles particula τέ iis maxime locis ubi rei, quam oculis nostris subjicere vult, imaginem accurate et perspicue depingit. Quod cum poetarum maxime proprium esse videatur, inter causas fuisse potest, cur ab illis τέ multo saepius adhiberetur. Ut ex Aristotele exempla afferam v. Polit. 1314. b. 14—1315. a. 4, ubi singulae partes, quibus tyranni, qui imperium bonis artibus retinere studeat, imago efficitur, his verbis adjunguntur: 1314. b. 14 ἔπειτα, 16 ὅλως τε, 18 καί, 19 ἔτι δέ, 23 ἔτι δέ, 25 ὁμοίως δὲ καί, 28 τέ, 36 τέ, 38 ἔτι δέ. 1315. a. 4 τέ. V. etiam Ethic. 1177. a. 27, b. 1.

---

*) contra Zellii sententiam (ad Ethic. III. 12. 3) τέ apud Aristotelem nonnullis locis eadem significatione uti atque δέ, satis habeo G. Hermanni verba attulisse, cf. de praeceptis quibusdam Atticistarum dissertat. opusc. I. 269: „Quamquam vero usus in omnibus linguis satis licenter dominari solet, non est tamen, quod quidquam in hoc genere tam temere fieri existimemus, ut non ad sensum aliquid intersit, sic an aliter loquare.“

**) sed haud paucis locis homines docti non sine causa dubitaverunt, utrum τέ retineri possit an δέ scribendum sit. Vide Stahr. ad Polit. 1271. b. 15, 1293. b. 26, 1316. b. 14, 1323. b. 13, 1332. a. 42, b. 30, 1333. a. 24, 1338. b. 16.

In Metaphysicis prae ceteris ὅλως τε invenitur v. 981. b. 7, 989. a. 26, 990. b. 17, 992. b. 18, 997. a. 15, 1010. a. 20, b. 30, 1055. a. 22, 1079. a. 14.

Sed multo magis mirum est, quod accidit in Ethicis. Τέ enim cum in septem libris prioribus rarissime in usu sit, multo saepius quam in ullo Aristotelis libro in libris VIII, IX, X usurpatur. Invenitur enim τέ (sec. Bekkerum): in primo libro: nusquam, in secundo: nusquam, in tertio: 1112. a. 9, in quarto: 1123. b. 31, 1126. a. 7 (ubi Scaliger, v. Oncken, Eos I. 109. δέ proponit.), in quinto: nusquam, in sexto: 1143. b. 31, in septimo: 1153. b. 7 (τέ solus Bekkerus, ceteri δέ, quod cur praeferendum sit v. L. Spengel. Aristotelische Studien I, 46.) contra in octavo: 1155. a. 11, 14, 16, 30, 1156. b. 22, 1158. b. 10, 13, 1161. a. 18 (ubi Fritzschius τὲ γάρ cum cod. M^b et L^b), in nono: 1164. b. 1, 4, 13, 1166. a. 23, b. 13, 17, 1167. b. 8, 1168. a. 17, 30, 1169. b. 10, 1170. a. 4, 1171. b. 9, in decimo: 1172. b. 24, 1173. a. 29, b. 4., 1174. a. 1, 4, 1177. a. 3, 7, 27, b. 1, 4, 20, 1178. a. 4, 12, 1179. b. 8, 28, 1080. b. 10. Videtur autem frequentissimus ille particulae τέ in libris postremis usus optime dicendi rationi in iis adhibitae convenire, ea enim a vulgari Aristotelis usu hoc modo distat, ut ad poetarum sermonem proprius accedat vid. excurs.

Hoc vero de omnibus scriptis valet, particula τέ singula verba rarissime copulari praeter infinitivos et participia, quod usitatum est, v. Bäumlein. Griechische Partikeln pag. 213; contra saepius complura verba, quae inter se artius cohaerent, illa particula aliis adjunguntur, quae simili modo comparata sunt, v. Ethic. 1158. b. 13: ἕτερον δ' ἐστὶ φιλίας εἶδος τὸ καθ' ὑπεροχήν, οἷον πατρὶ πρὸς υἱὸν καὶ ὅλως πρεσβυτέρῳ πρὸς νεώτερον, ἀνδρί τε πρὸς γυναῖκα καὶ παντὶ ἄρχοντι πρὸς ἀρχόμενον. Quae cum ita sint Met. 1004. b. 14, ubi vulgo legitur: ὁμοίως δὲ καὶ στερεῷ καὶ ἀκινήτῳ καὶ κινουμένῳ ἀβαρεῖ τε καὶ βάρος ἔχοντι ἔστιν ἕτερα ἴδια, cum codex A^b καὶ ἀβαρεῖ praebeat, lectiones ita conjungendas esse puto, ut scribamus: καὶ ἀβαρεῖ τε καὶ βάρος ἔχοντι. Solet enim Aristoteles in enumerandis

compluribus rebus duas] notiones inter se artius cohaerentes particulis τὲ καί inter se conjungere; cf. e libris de anima, ubi illud saepissime invenitur: 403. a. 16—18: ἔοικε δὲ καὶ τὰ τῆς ψυχῆς πάθη πάντα εἶναι μετὰ σώματος, θυμός πραότης φόβος ἔλεος θάρσος, ἔτι χαρὰ καὶ τὸ φιλεῖν τε καὶ μισεῖν; 411. a. 27, 413. a. 25. Pol. 1332. b. 35. Poet. 1447. b. 26, 27. Neque vero illa regula, particula τέ non singula verba copulari pertinet ad scripta pseudoaristotelea, cf. de mundo 398. a. 11: ἀλλ' οἷον ἱστορεῖτο Καμβύσου Ξέρξου τε καὶ Δαρείου πρόσχημα.

Praeter eum usum de quo modo diximus τέ nonnullis locis in medio enuntiato ita positum invenitur, ut copulare nequeat. Corruptelam talibus locis statuendam esse elucet, ita ut modo de ea re agatur, quae cuique loco medela afferenda sit. Aut enim videndum est ne quid exciderit aut pro τέ aliud verbum ponendum est, maxime γέ (has enim particulas in codicibus haud raro commutatas esse constat, cf. Fr. V. Fritzsche. quaestiones Lucianeae pag. 119, 166, 198, 212.) aut, quod omnium minime placet, τέ delendum est. Ut exemplum afferam, v. Pol. 1339. a. 29: ἀλλὰ μὴν οὐδὲ διαγωγήν τε παισὶν ἁρμόττει καὶ ταῖς ἡλικίαις ἀποδιδόναι ταῖς τοιαύταις. ubi Bekkerus τέ uncis inclusit, quod displicet cum non intelligatur quomodo τέ in locum irrepere potuerit; scribendum est γέ, quod jam Coraem *) conjecisse video; cf. locos ex Polit., ubi ἀλλὰ μὴν οὐδέ-γέ invenitur: 1284. b. 30, 1331. a. 7. Cum igitur constet particulas τέ et γέ saepe commutatas esse, etiam nonnullis locis, quibus τέ quodammodo defendi potest, sed γέ multo melius quadrat, nescio an γέ scribendum sit. Sic Ethic. 1178. b. 18, ubi postquam dixit, quid de deorum vita statui nequeat, pergit: ἀλλὰ μὴν ζῆν τε πάντες ὑπειλήφασιν αὐτοὺς καὶ ἐνεργεῖν ἄρα, γέ scribendum esse puto, quia quanto melius eo verbo recepto oratio procedat apparet. Aliter de Rhet. 1366. b. 37 judicandum est, ubi quid excidisse videtur cf. Vahlenium optime de hoc loco disputantem: Sitzungsberichte der Wiener Akademie der Wissenschaften. Philos.-hist. Classe. vol. 38, pag. 110 et 111. Itaque alii loci aliter emendandi sunt.

*) Corais editiones et Politicorum et Ethicorum ab hominibus doctis non satis existimatas esse doleo.

Jam pergamus ad illud τέ cui aut alterum τέ aut καί aut per anacoluthiam δέ respondet. Τέ—τέ ut apud omnes prosarios, cf. Bäumlein. Griechische Partikeln 219 et 220, apud Aristotelem quoque raro in usum venit: in Rhetoricis enim, Poeticis, libris de anima, Physicis nullo loco invenitur, in Ethicis: 1104. a. 20, 1114. b. 26 (cf. C. Vermehren. Aristotelische Schriftstellen untersucht pag. 23.), 1125. b. 8, 1171. a. 22, 1175. a. 20, 1177. a. 21, in Politicis 1291. a. 17 (ita Coraes et Bekkerus in minore editione, ceteri γέ—τέ), 1327. a. 4, 1329. b. 2, in Metaphysicis 1061. a. 18, 1073. a. 37 (sed. v. Bonitzium ad h. l.), ita ut τέ-τέ in iis tantum scriptis inveniatur, in quibus τέ sine altera particula copulativa positum saepius usurpari vidimus. Etiam in libris pseudoaristoteleis raro in usu est.

Τέ καί haud raro adhibetur, ubi vulgo καί solum ponitur, neque vero id Aristoteli proprium est, sed etiam apud optimos scriptores reperitur, cf. Fr. V. Fritzsche. quaestiones Lucianeae p. 130; Hartung. Lehre von den Partikeln der griechischen Sprache I, 101. Sic apud Aristotelem ut nonnulla exempla afferam post μεταξύ nonnullis locis τέ καί adhibetur maxime in Metaphysicis, v. 997. b. 29: μεταξύ αὐτῆς τε ἰατρικῆς καὶ τῆςδε τῆς ἰατρικῆς. v. 991. b. 30, 995. b. 17, 997. b. 24; 1059. b. 6 particulae τέ collocatio offendit: μεταξύ τε τῶν εἰδῶν τιθέασι καὶ τῶν αἰσθητῶν, quamquam enim hoc me non fugit, τέ per ὑπέρβατον haud raro post id verbum (maxime post praepositionem et articulum) poni, quod ad utrumque membrum pertineat, cf. Bernhardy. Wissenschaftliche Syntax pag. 461, 462; Madvig. Griechische Syntax. §. 185 a. ann. 4, tamen de hoc loco dubito, quia post μεταξύ quidem neque apud Aristotelem neque in libris subditiciis ullo loco τέ ita collocatum inveni. Etiam ad verba numeralia conjungenda τέ καί duobus Metaphysicorum locis adhibetur (quod saepius apud Herodotum, raro apud Atticos inveniri Krügerus affert, v. Griechische Sprachlehre II, §. 69, 70, 3.) v. 1074. a. 11: πεντήκοντά τε καὶ πέντε et 1074. a. 13: ἑπτά τε καὶ τεσσαράκοντα: praeterea καί solum adhibetur, vid. Metaph. 1074. a. 7; Polit. 1315. b. 25, 31 sqq.; Rhetor. 1390. b. 10.

Particulae τέ per anacoluthiam quandam haud raro non

altera particula copulativa, sed δέ respondet, quod cum apud optimos scriptores fiat *) minime offendit. Cum vero nonnulli loci invenirentur, quibus quid particulae τέ responderet non appareret atque id maxime fieri videretur, si τὲ γάρ positum esset, notissima illa doctrina exorta est atque omnium fere grammaticorum consensu probata, particulam τέ in verbis τὲ γάρ non jam copulare, sed τὲ γάρ nihil aliud significare nisi „namque etenim", ita ut nihil desideraretur quo τέ exciperetur. Klotzii qui accuratissime de ea re disputavit cf. annot. ad Devar. 749—752, verba haec sunt (749 sub finem): „Sed tamen haud raro etiam factum est, ut τὲ γάρ particulae ita plane ponerentur, quem ad modum Latinae voces etenim vel namque, neque alterum membrum aut poneretur aut in reliqua orationis conformatione significaretur quoquam modo, quibus in locis rectissume G. Hermannus ad Sophoclis Trachiniarum versum 1015. p. 176. ait, τέ illud non copulare, sed lenius adfirmare quam τοί, unde natum esset ut Germanice per ja vel wohl exprimi posset. Et in his quidem locis is qui loquitur, id per τὲ γάρ particulas videtur velle significare, se cum plura commemorari possint, hoc, quod jam infert, per γάρ particulam e pluribus rebus potissumum ponere, ut caussae redditio non sine quadam amplificatione fiat." pag. 750. addit: „posteriore tempore inde ab Aristotele admodum frequentari ille harum particularum usus coeptus est." pag. 752 duos locos ex Politicis affert, quibus ille usus probari videtur: 1256. a. 23, 1333. a. 2. Solus Hartungius quod sciam l. l. I. pag. 115. illam doctrinam non accepit, sed Fritzschius (v. ad Ethic. 1161. a. 18.) contra eum dicit: „Particulis τὲ γάρ h. l. eodem modo, quo Latini etenim, causa indicatur, de quo usu iniuriâ ab Hartungo (si recte, quae dixit in l. von den Partikeln der griechischen Sprache I, p. 115. intelligo) addubitato, ex Aristotelis scriptis haec exempla subicere visum est: Gen. A. I. 21, p. 729. b. 9, II. 7, p. 747. a. 13. Met. IX. 6, p. 1071. b. 5. I. 2, p. 983. a. 6—8, XII. 9, p. 1086. a. 16. IV. 27, p. 1024. a. 12. Phys. I. 3, p. 186. b. 19. Meteor. II. 8, p.

*) cf. Klotz. annot. ad Devarium. pag. 741. Fritzsche. ad Eth. Nicom. 1163. a. 26; apud Aristotelem maxime ὁμοίως δὲ καί particulae τέ respondet.

336, b. 3. (cod. H. L.). Eodem refero Categ. 8, p. 9. b. 35. ubi recte Waitzius τέ recepit, sed artificiosius explicavit. Agmen claudat libri hujus cap. XIV, 1. Ceterum vide Schaeferum ad Dem. II, p. 579; ad Dion. H. comp. v. p. 409; ad Soph. Trach. 1019 et ad eundem versum Godofredum Hermannum". Praeterea cf. Bernhardy, Wissenschaftliche Syntax. p. 483.

Sed quamvis pro illo usu et auctoritas multorum hominum egregiorum et analogia sermonis Latini faciant, tamen miri aliquid in hac re inessé puto, quod τὲ γάρ modo secundum usum vulgarem modo prorsus aliter adhiberi statuatur. Itaque cum de ceteris scriptoribus quidquam contendere non ausus sim, in Aristotelis usum accuratius inquiram; permulti enim loci quomodo intelligendi sint, ex ea re pendet, utrum grammaticorum doctrinam accipiamus necne. Primum igitur de exemplis a Fritzschio allatis dicamus: Eth. 1161. a. 18, cum ante dixisset: τοιαύτη δὲ καὶ ἡ πατρική, διαφέρει δὲ τῷ μεγέθει τῶν εὐεργετημάτων· αἴτιος γὰρ τοῦ εἶναι, δοκοῦντος μεγίστου, καὶ τροφῆς καὶ παιδείας· καὶ τοῖς προγόνοις δὲ ταῦτα ἀπονέμεται pergit: φύσει τε [γὰρ] ἀρχικὸν πατὴρ υἱῶν καὶ πρόγονοι ἐκγόνων, καὶ βασιλεὺς βασιλευομένων. ἐν ὑπεροχῇ δὲ αἱ φιλίαι αὗται, neque vero etiamsi γάρ, quod modo in codicibus M^b et L^b inest, recipimus quidquam obstat, quominus verba: ἐν ὑπεροχῇ δὲ αἱ φιλίαι αὗται iis quae antecedunt φύσει τε γάρ sqq. respondere statuamus; quod enim τέ particula δέ excipitur, offendere nequit. Gen. An. 729. b. 9, cum antecedant verba: κατά τε δὴ τὸν λόγον οὕτω φαίνεται καὶ ἐπὶ τῶν ἔργων, ex quibus apparet, Aristotelem de duabus rebus dicere velle (ὁ λόγος enim atque τὰ ἔργα saepissime apud Aristotelem disjunguntur atque opponuntur cf. Pol. 1333. b. 15, 1340. b. 7.), pergit: καθόλου τε γὰρ ἐπισκοποῦσιν οὐ φαίνεται γινόμενον, de qua re accuratius dicit usque ad v. 21; deinde altera pars postquam repetiit: συμβαίνει δ' ὁμολογούμενα τῷ λόγῳ καὶ ἐπὶ τῶν ἔργων, incipit v. 22: διὰ τοῦτο γὰρ ἔνια τῶν ἀρρένων sqq.; orationem non admodum concinnam esse concedo, sed id haud raro inveniri ipse Klotzius dicit l. l. pag. 749. cf. Hartung l. l. I, 115. Gen. An. 747. a. 13: ὅ τε γὰρ περὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς τόπος τῶν περὶ τὴν κεφαλὴν σπερματικώτατός ἐστιν respondent v. 19. verba: καὶ αἱ σπερ-

μαντικαὶ καθάρσεις ἀπὸ τοῦ ὑποζώματός εἰσιν, ut apparet ex v. 8—10. Met. 1071. b. 5: *αἵ τε γὰρ οὐσίαι πρῶται τῶν ὄντων, καὶ εἰ πᾶσαι φθαρταί, πάντα φθαρτά*, *τέ* particula *καὶ* excipitur. Locum Met. 983. a. 6—8 a Fritzschio allatum esse miror, cum Aristoteles ipse indicet, quomodo *τὲ γάρ* intelligi velit: *τοιαύτη δὲ διχῶς ἂν εἴη μόνον· ἥν τε γὰρ μάλιστ' ἂν ὁ θεὸς ἔχοι θεία τῶν ἐπιστημῶν ἐστί, κἂν εἴ τις τῶν θείων εἴη*. Met. 1085. a. 16 respondet *ὁμοίως δὲ καὶ* v. 19. Met. 1024. a. 12: *πρὸς δὲ τούτοις* v. 16. Phys. 186. b. 19: *ἔτι* v. 23. Meteor. 366. b. 3: *καὶ* v. 7. (si *τέ* cum cod. H. N. legendum est). Cat. 9. b. 35: *ὁμοίως δὲ καί* p. 10. a. 2 (si *τέ* e codice C. recipimus). Eth. 1163. a. 29: *λειτουργίαν τε γὰρ γίνεσθαι καὶ οὐ φιλίαν* particulis *τέ* — *καὶ* duae notiones conjunguntur, quarum altera affirmando idem exprimit quod altera negando; quem usum maxime tragicis familiarem esse notum est. cf. Hartung l. l. I. 102. Itaque nullo eorum locorum quos Fritzschius attulit quidquam obstat, quo minus *τὲ γάρ* secundum vulgarem particularum usum explicemus.

At vereor ne quis objiciat ex singulis locis refutandis nihil effici posse, sed magis in universum disputandum esse. Cui ut satisfaciam quam brevissime omnes locos examinabo, ubi *τὲ γάρ* in Politicis invenitur. Maxime enim de Politicis dicendum esse puto, quia dicendi ratio in iis adhibita durior et inconcinnior est quam in ullo alio Aristotelis libro (Metaphysicis fortasse exceptis) et quod exempla quibus Klotzius nititur ex Politicis desumpta sunt. Loci igitur ubi particulae *τέ καί* respondere primo aspectu apparet hi sunt: 1255. a. 24, 1259. b. 1, 1262. b. 7, 1269. b. 9, 1271. b. 41, 1287. a. 30, 1297. b. 30, 1299. a. 36, 1302. b. 7, 1311. a. 25, 1313. a. 22, 1314. b. 39, 1326. a. 29, 1330. a. 17, 1332. b. 27, 1335. a. 41, 1339. b. 15,; *τὲ γάρ* — *τέ* invenitur, 1329. b. 2; 1254. a. 9 respondet *ὁμοίως δὲ καί*; 1269. a. 36 *ὁμοίως δὲ καί*; 1330. a. 38 *δεύτερον δέ*; 1316. a. 3 *καί* v. 14, quod recte Stahrius vertit: „Und dann zweitens". Difficilior est locus 1318. b. 33, ubi enuntiato interposita sunt verba: *αἵ τε γὰρ ἀρχαὶ ἀεὶ διὰ τῶν βελτίστων ἔσονται τοῦ δήμου βουλομένου καὶ τοῖς ἐπιεικέσιν οὐ φθονοῦντος*; ita ut e ratione grammatica nihil esse appa-

reat, quo τέ excipiatur. Sed alia sententiarum ratio est. Aristotelis enim cum ante populi imperio conducere dixisset, si populus crearet quidem magistratus, sed ii tantum creari possent, qui certam quandam pecuniam possiderent, jam παρενθετικῶς causas illius rei affert si quid video duas: alteram quod futurum esset, ut optimi magistratibus fungerentur, alteram quod populus illud non aegre laturus esset; quam sententiam optime Stahrius ita vertendo reddidit: „denn die Aemter werden immer in den Händen der Besten sein, und zwar mit Zustimmung des Volks und ohne dass es die Gebildeten beneidete." Nos recte judicare locus ex Rhet. ad Alex. demonstrat, qui similis est loco quem tractamus, 1424. a. 15—19: *οὕτω γὰρ ὁ μὲν δῆμος κύριος ὢν διδόναι τὰς τιμὰς οἷς ἂν ἐθέλῃ τοῖς λαμβάνουσιν αὐτὰς οὐ φθονήσει, οἱ δ' ἐπιφανέστεροι μᾶλλον τὴν καλοκαγαθίαν ἀσκήσουσιν, εἰδότες ὅτι τὸ παρὰ τοῖς πολίταις εὐδοκιμεῖν οὐκ ἀλυσιτελὲς αὐτοῖς ἔσται.* Simili modo illo Politicorum loco si concinne dicere voluisset Aristoteles, scribendum fuisset: *αἵ τε γὰρ ἀρχαὶ ἀεὶ διὰ τῶν βελτίστων ἔσονται καὶ ὁ δῆμος βουλήσεται καὶ τοῖς ἐπιεικέσιν οὐ φθονήσει*, cum vero alterum membrum minus accurate expresserit, non tam singularis quidam particularum *τὲ γάρ* usus statuendus est quam anacoluthia, in qua cum apud omnes scriptores Graecos tum in Aristotelis Politicis minime offendimus. Restant loci quos Klotzius affert. 1256. a. 23 respondet v. 29 *ὁμοίως δὲ καί*, contra locus 1332. b. 41 videtur corruptus esse. Cum enim antecedant verba: *ἔστι μὲν ἄρα ὡς τοὺς αὐτοὺς ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι φατέον, ἔστι δὲ ὡς ἑτέρους. ὥστε καὶ τὴν παιδείαν ἔστιν ὡς τὴν αὐτὴν ἀναγκαῖον, ἔστι δ' ὡς ἑτέραν εἶναι* expectamus ut duae causae afferantur, quibus utrumque probetur. Quod minime fit, cum nihil sequatur nisi verba: *τόν τε γὰρ μέλλοντα καλῶς ἄρχειν ἀρχθῆναί φασι δεῖν πρῶτον* (nam quae post ea sequuntur ad aliam rem pertinent), ut aliquid deesse videatur. Utique locus non ab omni parte recte sese habet *), ita ut ad usum particularum *τὲ γάρ* quidquam ex eo effici posse negem.

---

*) Jam Conringius et Reizius videntur id perspexisse cum vers. 6. post *ἐλευθέρων* lacunam statuerint. Conringius enim dicit ad. h. v.:

Itaque cum neque exempla quae allata quidquam sunt probent neque in Politicis ullus locus inveniatur, ubi τὲ γάρ „namque", „etenim" significare constet neque in ceteris scriptis quae evolvi tales loci exstent *), ille particularum τὲ γάρ usus quem Klotzius, Fritzschius alii voluerunt apud Aristotelem quidem statui nequit.

Neque de particulis τὲ δή omnes grammaticos recte judicare censeo. Cum enim in his particulis de ea quidem re non agatur, num τέ prorsus aliam significationem induat, hoc tamen dubium est, utrum τέ per se solum enuntiata conjungat an altero τέ vel καί excipiatur. Illud praefert Fritzschius cum ad Ethic. 1156. a. 17 haec afferat: „Consociatae particulae τέ δή (de quibus et in annotationibus ad Viger. p. 497 et insigni doctrina ab Zellio in nostri commentario loci disputatur) ad concludendam rationem ita faciunt, ut cum barbarâ dictione und also comparari possint. Cf. Phys. I. 3, p. 186. a. 4. An. Gen. I. 21, p. 729. b. 8; Pol. II. 5, p. 1263. b. 7." Sed de ejus sententia propterea dubito quia et Aristoteles ad id quod Fritzschius vult significandum particulis καὶ δή utitur et omnibus fere locis, quibus τὲ δή legitur, apparet τέ ad alteram particulam copulativam referendum esse. Inquiramus igitur in eos locos quos ille attulit. Locus Ethic. 1156. a. 17 ut nunc legitur cum ejus sententiam confirmare videatur, aliter res sese habet, si v. 19 cum cod. Mb pro δή δέ legimus atque δέ particulae τέ per anacoluthiam respondere statuimus. Ea vero lectione recepta locum multo concinniorem fieri apparet. Cum enim v. 14—16 dixisset: οἵ τε δὴ διὰ τὸ χρήσιμον φιλοῦντες διὰ τὸ αὑτοῖς ἀγαθὸν στέργουσι, καὶ οἱ δι' ἡδονὴν διὰ τὸ αὑτοῖς ἡδύ, καὶ οὐχ ᾗ ὁ φιλούμενός ἐστιν, ἀλλ' ᾗ χρήσιμος ἢ ἡδύς duo affert, quae ex illis efficiantur, alterum κατὰ συμβεβηκὸς αἱ φιλίαι αὗταί εἰσιν, alterum εὐδιάλυτοι αἱ τοιαῦταί εἰσιν, quae

---

„Non probe cohaerent cum superioribus, nec explicatum hic est, quorsum pertineat illa memorata divisio imperii in herile et civile."

*) Omnes fere loci ex nostra explicandi ratione facillime intelligi possunt, cum admodum pauci difficultatem afferant, sic Rhetor. 1408 b. 17, Poetic. 1461. b. 11.

enunciata particulis τέ-δέ per anacoluthiam conjunguntur. Itaque hoc loco Fritzschii sententiam non comprobari manifestum est. Ceteris locis alterum membrum sequi apparet. Phys. 186. a. 4: τόν τε δὴ τρόπον τοῦτον ἐπιοῦσιν ἀδύνατον φαίνεται τὰ ὄντα ἓν εἶναι, καὶ ἐξ ὧν ἐπιδεικνύουσι, λύειν οὐ χαλεπόν. An. Gen. 729. b. 8: κατά τε δὴ τὸν λόγον οὕτω φαίνεται καὶ ἐπὶ τῶν ἔργων, cf. p. 18. Pol. 1263. b. 7: ταῦτά τε δὴ οὐ συμβαίνει τοῖς λίαν ἓν ποιοῦσι τὴν πόλιν, καὶ πρὸς τούτοις ἀναιροῦσιν ἔργα δυοῖν ἀρεταῖν φανερῶς. Quae cum ita sint, Fritzschii sententia videtur rejicienda esse.

De particulis τὲ οὖν eodem modo atque de τὲ δή judicandum est. De τέ cum aliis particulis conjuncto (εἴτε-εἴτε, ἐάντε-ἐάντε, οὔτε-οὔτε, μήτε-μήτε), quamquam nonnullae inveniuntur anacoluthiae *), tamen non oportet dicatur, quia nihil in earum particularum usu Aristoteli proprium est.

Cap. III.

De particulis adversativis.

Particulae δέ, ut ab ea incipiam, usus in apodosi ut definiatur ante omnia opus est. Ea enim res gravissima est, et quia alii aliter de ea judicant, et quia non tantum, quomodo permulti loci singuli intelligendi sint, ex ea re pendet, sed etiam permultum illud valet ad judicium de Aristotelis dicendi ratione constituendum. Si enim illum particulam δέ in apodosi sine ulla certa lege adhibuisse constaret, de enuntiatorum structura accuratius intelligenda desperandum esset. Sed cum antea δέ in apodosi Aristoteli non modo familiare esse, sed etiam indicare **)

---

*) Maxime in Politicis et Rhetoricis, v. οὐ-οὔτε Pol. 1297, b. 7, 1330. b. 15, καὶ εἰ-εἴτε Rhetor. 1377. b. 1.

**) Waitz. ad A. organon 17. b. 1: „δέ apodosin indicat."

apodosin vulgo editores contenderent, Bonitzius *) exstitit fortissimus Aristotelis propugnator, qui talem licentiam ei tribui posse negans idem apud eum valere atque apud scriptores Atticos optimos demonstrare studuit cf. Aristotelische Studien II et III, pag. 124—129. Atticorum autem usum optime illustravit Buttmannus**) excursu duodecimo ad Demosth. Midianam pag. 147—160; cujus doctrinam sequar. Transeamus igitur ad Aristotelem.

Primum *δέ* post relativum positum repetitur post demonstrativum, cujus rei exempla grammatici ex omnibus scriptoribus afferunt. Cf. Metaphys. 1059. b. 31—34: *ἢ δὲ τὰς διαφορὰς αὐτῶν ἀνάγκη μετέχειν εἰ θήσει τις αὐτὰ γένη, διαφορὰ δ' οὐδεμία τοῦ γένους μετέχει, ταύτῃ δ' οὐκ ἂν δόξειε δεῖν αὐτὰ τιθέναι γένη οὐδ' ἀρχάς.* Rhetor. 1359. a. 32: *ὅσα δὲ ἐξ ἀνάγκης ἢ ἐστὶν ἢ ἔσται ἢ ἀδύνατον εἶναι ἢ γενέσθαι, περὶ δὲ τούτων οὐκ ἔστι συμβουλή.* Phys. 222. a. 7—8: *ὅσων δὲ τὸ ἐναντίον μὴ ἀεί, ταῦτα δὲ δύναται καὶ εἶναι καὶ μή.* Simili modo fortasse locus qui invenitur de anima 422. a. 29 explicari potest. Verba v. 20—30 (secundum Bonitzium: Aristotelische Studien II et III, pg. 43) haec sunt: *ὥσπερ δὲ καὶ ἡ ὄψις ἐστὶ τοῦ τε ὁρατοῦ καὶ τοῦ ἀοράτου (τὸ γὰρ σκότος ἀόρατον, κρίνει δὲ καὶ τοῦτο ἡ ὄψις), ἔτι τοῦ λίαν λαμπροῦ (καὶ γὰρ τοῦτο ἀόρατον, ἄλλον δὲ τρόπον τοῦ σκότους), ὁμοίως δὲ καὶ ἡ ἀκοὴ ψόφου τε καὶ σιγῆς, ὧν τὸ μὲν ἀκουστὸν τὸ δ' οὐκ ἀκουστόν, καὶ μεγάλου ψόφου, καθάπερ ἡ ὄψις τοῦ λαμπροῦ (ὥσπερ γὰρ ὁ μικρὸς ψόφος ἀνήκουστος, τρόπον τινὰ καὶ ὁ μέγας τε καὶ ὁ βίαιος), ἀόρατον δὲ τὸ μὲν ὅλως λέγεται, ὥσπερ καὶ ἐπ' ἄλλων τὸ ἀδύνατον, τὸ δ' ἐὰν πεφυκὸς μὴ ἔχῃ ἢ φαύλως, ὥσπερ τὸ ἄπουν καὶ τὸ ἀπύρηνον· οὕτω δὴ καὶ ἡ γεῦσις τοῦ γευστοῦ τε καὶ ἀγεύστου, τοῦτο δὲ τὸ μικρὸν ἢ φαῦλον ἔχον χυμὸν ἢ φθαρτικὸν τῆς γεύσεως.* sed quamquam *δή* post *οὕτω* v. 29 omnes nisi fallor editores receperunt, tamen *δέ* scribendum esse censeo, cum et in optimis codicibus insit et secundum usum

---

*) v. Jenaische Literaturzeitung 1845. pag. 859.

**) vid. praeterea Hartung. Lehre von den Partikeln der griechischen Sprache I, 183—189. G. Hermann. Viger. editio IV. pag. 843, Bäumlein. Griechische Partikeln 92—94.

adhibeatur cf. Buttmann. l. l. 152. Apparet igitur non sine causa F. V. Fritzschium in quaest. Lucianeis p. 43 sqq. monere, ne nimio emendandi studio inducti etiam tales locos mutemus, ubi δέ bene explicari possit. Particulae δέ post demonstrativum repetitae alia exempla collegit Waitzius, de quibus vid. Bonitzium *). Ex Theophrasti hist. plant. cf. VII. 15. 1, IX. 1. 3; IX. 14. 4 Wimmerus δή scripsit.

Differunt ab his locis ii, quibus δέ non in apodosi ponitur, sed mere repetitur **), cf. Buttmann. l. l. p. 152. Metaph. 1036. a. 5: τοῦ δὲ συνόλου ἤδη οἷον κύκλου τουδί, τῶν καθ' ἕκαστά τινος ἢ αἰσθητοῦ ἢ νοητοῦ (λέγω δὲ νοητοὺς μὲν οἷον τοὺς μαθηματικούς, αἰσθητοὺς δὲ οἷον τοὺς χαλκοῦς καὶ τοὺς ξυλίνους) τούτων δὲ οὐκ ἔστιν ὁρισμός, ἀλλὰ μετὰ νοήσεως ἢ αἰσθήσεως γνωρίζονται. Theophr. histor. plant. V, 4. 8 (Theophrastum affero, ut res magis illustretur, cum apud Aristotelem ille usus rarissime inveniatur): τῶν δὲ ὁμογενῶν ξύλων οἷον δρυΐνων πευκίνων, ὅταν ταριχεύωνται (ταριχεύουσι γὰρ οὐκ ἐν ἴσῳ βάθει πάντα δύοντες τῆς θαλάττης, ἀλλὰ τὰ μὲν πρὸς αὐτῇ τῇ γῇ τὰ δὲ μικρὸν ἀνωτέρω τὰ δ' ἐν πλείονι βάθει), πάντων δὲ τὰ πρὸς τὴν ῥίζαν θᾶττον δύεται καθ' ὕδατος.

Jam judicium facere possumus de loco illo satis difficili, qui invenitur initio Ethicorum Nicom. 1094. a. 9—14. Verba apud Bekkerum haec sunt: ὅσαι δ' εἰσὶ τῶν τοιούτων ὑπὸ μίαν τινὰ δύναμιν, καθάπερ ὑπὸ τὴν ἱππικὴν ἡ χαλινοποιική, καὶ ὅσαι ἄλλαι τῶν ἱππικῶν ὀργάνων εἰσίν· αὕτη δὲ καὶ πᾶσα πολεμικὴ πρᾶξις ὑπὸ τὴν στρατηγικήν· τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον ἄλλαι ὑφ' ἑτέρας· ἐν ἁπάσαις δὲ τὰ τῶν ἀρχιτεκτονικῶν τέλη πάντων ἐστὶν αἱρετώτερα τῶν ὑπ' αὐτά. Primum moneo χαλινοποιητική legendum esse cf. Krische. Jenaische allgemeine Literaturzeitung, 1835, Nr. 230, p. 403; Bonitz. Aristotelische Studien II et III, p. 46; tum τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον cum Bonitzio in τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ***) mutandum esse, v. l. l. p. 47. Sed valde dis-

*) Aristotelische Studien II et III, p. 125, 126.

**) cf. God. Hermann. Viger. p. 844 (edit. IV): „Notandum praeterea δέ repetitum post longiorem parenthesin".

***) Praeter Camerarium, Sylburgium, Zellium, quos Bonitzius affert, etiam Coraes τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον legit.

sentiunt homines doctissimi, utrum δέ post ἁπάσαις retineri possit an δή scribendum sit. Illud vult Krischius v. Jenaische allg. Literaturzeitung 1835 Nr. 230 p. 403: „ὅσαι δ' εἰσί kündigt den Satz an, der durch die Vergleichung, welche aber von ihm nicht zu trennen ist, unterbrochen wird; mit ἐν ἁπάσαις δέ wird der unterbrochene Gedanke, der nun auch die Vergleichung in sich schliesst, wieder aufgenommen, so dass δέ nach ἐν ἁπ. das wiederholte erste δέ ist, und nimmermehr statt δή die apodosis bildet;" cujus sententiae assentirer, si Aristoteles scripsisset, ἐν ταύταις δέ, sed cum ἐν ἁπάσαις legatur, quo verba omnia quae antecedunt comprehenduntur, nescio an cum codice Mb (cujus auctoritas in talibus rebus summa est), Korae (v. annot. ad h. l.), Bonitzio (l. l. p. 46 et 47) δή legendum sit.

Contra eodem modo atque post demonstrativum δέ in apodosi iis locis explicandum est quibus cum duae protases et apodoses alterae alteris respondeant, priori et protasi et apodosi μέν, alteri δέ additur. Ita notissima illa dicendi ratio μέν-μέν, δέ—δέ exoritur, de qua v. Buttmannum l. l. p. 153—155. Cf. Metaph. 1035. a. 25—30: ὅσα μὲν οὖν συνειλημμένα το εἶδος καὶ ἡ ὕλη ἐστίν, οἷον τὸ σιμὸν ἢ ὁ χαλκοῦς κύκλος, ταῦτα μὲν φθείρεται εἰς ταῦτα καὶ μέρος αὐτῶν ἡ ὕλη· ὅσα δὲ μὴ συνείληπται τῇ ὕλῃ, ἀλλ' ἄνευ ὕλης, ὧν οἱ λόγοι τοῦ εἴδους μόνον ταῦτα δ' οὐ φθείρεται, ἢ ὅλως ἢ οὔτοι οὕτωγε. Phys. 209. b. 30—32: ᾗ μὲν οὖν χωριστός ἐστι τοῦ πράγματος, ταύτῃ μὲν οὐκ ἔστι τὸ εἶδος· ᾗ δὲ περιέχει, ταύτῃ δ' ἕτερος τῆς ὕλης (editio Didotiana cum cod. F alterum δέ omittit). Saepius μέν in apodosi enuntiati prioris omittitur: de anima 404. b. 7—10: ὅσοι μὲν οὖν ἐπὶ τὸ κινεῖσθαι τὸ ἔμψυχον ἀπέβλεψαν, οὗτοι τὸ κινητικώτατον ὑπέλαβον τὴν ψυχήν· ὅσοι δ' ἐπὶ τὸ γινώσκειν καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι τῶν ὄντων, οὗτοι δὲ λέγουσι τὴν ψυχὴν τὰς ἀρχάς. Metaph. 1009. a. 21, Polit. 1296. b. 24. Ut intelligatur quam contortae periodi ea dicendi ratione effici possint, affero Phys. 221. b. 28—222. a. 3: ὅσα μὲν οὖν φθαρτὰ καὶ γεννητὰ καὶ ὅλως ὁτὲ μὲν ὄντα ὁτὲ δὲ μή, ἀνάγκη ἐν χρόνῳ εἶναι· ἔστι γὰρ χρόνος τις πλείων, ὃς ὑπερέξει τοῦ τε εἶναι αὐτῶν καὶ τοῦ μετροῦντος τὴν οὐσίαν· τῶν δὲ μὴ ὄντων ὅσα μὲν περιέχει ὁ χρόνος, τὰ μὲν ἦν, οἷον Ὅμηρός ποτε ἦν, τὰ

δ' ἔσται, οἷον τῶν μελλόντων τι, ἐφ' ὁπότερα περιέχει· καὶ εἰ ἐπ' ἄμφω, ἀμφότερα καὶ ἦν καὶ ἔσται· ὅσα δὲ μὴ περιέχει μηδαμῇ, οὔτ' ἦν οὔτ' ἔστιν οὔτ' ἔσται.

Δέ post demonstrativum, cum non antecesserit apud relativum*), ab Aristotele rarissime adhibetur. Phys. 188. a. 16: καὶ οὐχ ὁ αὐτὸς τρόπος, ὡς πλίνθοι ἐξ οἰκίας καὶ οἰκία ἐκ πλίνθων, οὕτω δὲ καὶ ὕδωρ καὶ ἀὴρ ἐξ ἀλλήλων καί εἰσι καὶ γίνονται quo loco apodosin quodammodo protasi opponi elucet. Simili modo fortasse Metaph. 1075. a. 7—10, quem locum Bonitzius (v. observationes criticae in A. libros metaphys. p. 19—21) ita emendavit: ὥσπερ γὰρ ὁ ἀνθρώπινος νοῦς, [ἢ] ὅ γε τῶν συνθέτων, ἔχει ἔν τινι χρόνῳ (οὐ γὰρ ἔχει τὸ εὖ ἐν τῳδὶ ἢ ἐν τῳδί, ἀλλ' ἐν ὅλῳ τινὶ τὸ ἄριστον, ὂν ἄλλο τι), οὕτως δὴ ἔχει αὐτὴ αὑτῆς ἡ νόησις τὸν ἅπαντα αἰῶνα, οὕτω δέ, quod omnes codices praebent, defendi potest, cum inter protasin et apodosin oppositionem esse appareat.

Paullo saepius δέ post εἰ in apodosi invenitur. Quod cum verear ne qui negent, praemitto etiam ab optimis scriptoribus eum usum non prorsus alienum esse. Cf. Xenoph. Cyr. V. 5. 21, quem locum grammatici afferunt: ἀλλ' εἰ μηδὲ τοῦτο, ἔφη, βούλει ἀποκρίνασθαι, σὺ δὲ τοὐντεῦθεν λέγε. Ita vero δέ non adhibetur, nisi opponitur apodosis protasi, cf. F. V. Fritzschium, qui in universum de particula δέ in apodosi usurpata disputans rectissime dicit (quaestion. Lucianeae p. 46): „etenim ut regulâ complectar, ubicunque aut verbis perspicuis aut sensu certe quidem ipso res ante capitur iis quae sequuntur contraria quam inditâ μέν liceat explanare, ibi graeci scriptores paulo post δέ inferunt.“ Itaque si apud Aristotelem loci sic comparati inveniuntur, causam non video**), cur δέ post enuntiationem conditionalem adhibitum recte sese habere negemus quamvis multis locis, ubi oppositio non est, mutandum sit. Cf. Polit. 1287. b. 13: ἔτι ὃ καὶ πρότερον εἰρημένον ἐστίν, εἴπερ ὁ ἀνὴρ ὁ σπουδαῖος διότι βελτίων, ἄρχειν δίκαιος, τοῦ δὲ ἑνὸς οἱ δύο ἀγαθοὶ βελτίους. Phys. 215. b. 12: τὸ δὲ κενὸν

*) Cf. Buttmann l. l. p. 151.

**) In ea sententia hoc confirmor, quod ἀλλά apud Aristotelem saepissime in apodosi post εἰ adhibetur.

οὐδένα ἔχει λόγον ᾧ ὑπερέχεται ὑπὸ τοῦ σώματος, ὥσπερ οὐδὲ τὸ μηδὲν πρὸς ἀριθμόν. εἰ γὰρ τὰ τέτταρα τῶν τριῶν ὑπερέχει ἑνί, πλείονι δὲ τοῖν δυοῖν, καὶ ἔτι πλείονι τοῦ ἑνὸς ἢ τοῖν δυοῖν, τοῦ δὲ μηδενὸς οὐκέτι ἔχει λόγον, ᾧ ὑπερέχει. Phys. 225. a. 30: ταῦτά τε δὴ συμβαίνει δυσχερῆ *), καὶ εἰ πᾶν τὸ κινούμενον ἐν τόπῳ, τὸ δὲ μὴ ὂν οὐκ ἔστιν ἐν τόπῳ· εἴη γὰρ ἄν που. quem locum recte sese habere eo apparet, quod Met. 1067. b. 35 eadem illa verba inveniuntur. Fortasse ex analogia eorum locorum etiam de anima 408. b. 7 δέ explicari potest. Verba v. 1—7 sunt: φαμὲν γὰρ τὴν ψυχὴν λυπεῖσθαι χαίρειν θαρρεῖν φοβεῖσθαι, ἔτι δὲ ὀργίζεσθαί τε καὶ αἰσθάνεσθαι καὶ διανοεῖσθαι· ταῦτα δὲ πάντα κινήσεις εἶναι δοκοῦσιν. ὅθεν οἰηθείη τις ἂν αὐτὴν κινεῖσθαι· τὸ δ' οὐκ ἔστιν ἀναγκαῖον. εἰ γὰρ καὶ ὅτι μάλιστα τὸ λυπεῖσθαι ἢ χαίρειν ἢ διανοεῖσθαι κινήσεις εἰσί, καὶ ἕκαστον κινεῖσθαι τούτων, τὸ δὲ κινεῖσθαί ἐστιν ὑπὸ τῆς ψυχῆς. Bonitzius quidem δέ v. 7 in apodosi poni posse negans **), verba inde a v. 5 usque ad v. 15 in unam periodum comprehendit. Sed videtur in verbis τὸ δὲ κινεῖσθαί ἐστιν ὑπὸ τῆς ψυχῆς summa totius sententiae inesse, cum iis ea quae ante prolata erant satis refutentur. Itaque nescio an cum Argyropulo, qui verba inde ab εἰ γάρ ita vertit „nam et si quam maxime dolere vel gaudere vel ratiocinari motus sunt, vel potius moveri, tamen ipsum moveri ab anima est“ verba τὸ δε κινεῖσθαί ἐστιν ὑπὸ τῆς ψυχῆς pro apodosi habenda sint.

Δέ in apodosi alio modo usurpari vix putaverim, sed locis fere omnibus, ubi praeterea videtur inveniri, aut verba aliter conjungenda aut δέ in δή mutandum esse, primo obtutu apparet; multo rarius statuendae sunt anacoluthiae. Itaque rectissime Bonitzius post ἐπεί in apodosi δέ adhiberi negans Pol. 1282. b. 21 ***) aut δέ in δή mutandum aut δέ delendum aut anacolu-

---

*) Editores post δυσχερῆ verba legunt: τῷ κινεῖσθαι τὸ μὴ ὄν, sed cum neque in codicibus EH neque Metaph. 1067. b. 35, qui locus simillimus est, inveniantur, delenda esse censeo.

**) Cf. Aristot. Studien II et III. p. 21—24.

***) Cf. Aristot. Studien. II et III. p. 128.

thiam statuendam esse dixit. Maxime vero eo quod demonstravit, saepissime plures enuntiationes minoris ambitus in unam periodum comprehendendas esse, factum est, ut jam multo minus ad particulam *δέ* in apodosi statuendam cogamur. Causa enim cur ei rei tantum tribuendum sit haec est, ut utar verbis hominis illius egregii (v. observationes criticae. p. 30): „Peculiare est Aristotelis scribendi generi, ut saepissime ratiocinandi nexui cola interponat, quibus vel singula quaedam vocabula explicentur, vel argumenta ipsa altius repetautur et comprobentur. Itaque vix alia distinctione adeo saepe intelligentia librorum Aristotelis adjuvetur quam apte et suo loco adhibitis parenthesis signis, quibus legentes moneantur, quae interposita, *διὰ μέσου εἰρημένα*, et ab universae enuntiationis nexu sejungenda sint". Itaque cum ante quia illud negligebatur saepe protasis nihil habere videretur quo referretur, quin singulae enuntiationes ne cohaerere quidem viderentur; nunc intelligitur saepe quidem enuntiata majoris ambitus statuenda esse, sed multo rarius, quam ante fiebat, anacoluthias atque apparet, Aristotelem, quamvis discrepet ab optimorum scriptorum elegantia et venustate, certis tamen in enuntiationibus conjungendis uti legibus.

Ut illustrem, quam saepe parentheses statuendae sint, ex primo Politicorum libro exempla afferre liceat: 1252. a. 34—b. 6, ubi Bekkerus ita scripsit: *φύσει μὲν οὖν διώρισται τὸ θῆλυ καὶ τὸ δοῦλον. οὐθὲν γὰρ ἡ φύσις ποιεῖ τοιοῦτον οἷον χαλκοτύποι τὴν Δελφικὴν μάχαιραν πενιχρῶς, ἀλλ᾽ ἓν πρὸς ἕν· οὕτω γὰρ ἂν ἀποτελοῖτο κάλλιστα τῶν ὀργάνων ἕκαστον, μὴ πολλοῖς ἔργοις ἀλλ᾽ ἑνὶ δουλεῦον. ἐν δὲ τοῖς βαρβάροις τὸ θῆλυ καὶ δοῦλον τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν* ita conjungendae sunt enuntiationes: *φύσει μὲν οὖν διώρισται τὸ θῆλυ καὶ τὸ δοῦλον (οὐθὲν γὰρ ἡ φύσις ποιεῖ τοιοῦτον οἷον χαλκοτύποι τὴν Δελφικὴν μάχαιραν πενιχρῶς, ἀλλ᾽ ἓν πρὸς ἕν· οὕτω γὰρ ἂν ἀποτελοῖτο κάλλιστα τῶν ὀργάνων ἕκαστον, μὴ πολλοῖς ἔργοις ἀλλ᾽ ἑνὶ δουλεῦον), ἐν δὲ τοῖς βαρβάροις τὸ θῆλυ καὶ δοῦλον τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν.* 1259. a. 37—b. 10: vulgo ita verba conjunguntur: *ἐπεὶ δὲ τρία μέρη τῆς οἰκονομικῆς ἦν, ἓν μὲν δεσποτική, περὶ ἧς εἴρηται πρότερον, ἓν δὲ πατρική, τρίτον δὲ γαμική· καὶ γὰρ γυναικὸς ἄρχειν καὶ τέκνων, ὡς ἐλευθέρων μὲν*

ἀμφοῖν, οὐ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον τῆς ἀρχῆς, ἀλλὰ γυναικὸς μὲν πολιτικῶς, τέκνων δὲ βασιλικῶς· τό τε γὰρ ἄρρεν φύσει τοῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον, εἰ μή που συνέστηκε παρὰ φύσιν, καὶ τὸ πρεσβύτερον καὶ τέλειον τοῦ νεωτέρου καὶ ἀτελοῦς. ἐν μὲν οὖν ταῖς πολιτικαῖς ἀρχαῖς ταῖς πλείσταις μεταβάλλει τὸ ἄρχον καὶ τὸ ἀρχόμενον· ἐξ ἴσου γὰρ εἶναι βούλεται τὴν φύσιν καὶ διαφέρειν μηθέν. ὅμως δέ, ὅταν τὸ μὲν ἄρχῃ τὸ δ' ἄρχηται, ζητεῖ διαφορὰν εἶναι καὶ σχήμασι καὶ λόγοις καὶ τιμαῖς, ὥσπερ καὶ Ἄμασις εἶπε τὸν περὶ τοῦ ποδανιπτῆρος λόγον. τὸ δ' ἄρρεν ἀεὶ πρὸς τὸ θῆλυ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον. sed ita distinguendum est: *ἐπεὶ δὲ τρία μέρη τῆς οἰκονομικῆς ἦν, ἓν μὲν δεσποτική, περὶ ἧς εἴρηται πρότερον, ἓν δὲ πατρική, τρίτον δὲ γαμική (καὶ γὰρ γυναικὸς ἄρχειν καὶ τέκνων, ὡς ἐλευθέρων μὲν ἀμφοῖν, οὐ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον τῆς ἀρχῆς, ἀλλὰ γυναικὸς μὲν πολιτικῶς, τέκνων δὲ βασιλικῶς· τό τε γὰρ ἄρρεν φύσει τοῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον, εἰ μή που συνέστηκε παρὰ φύσιν, καὶ τὸ πρεσβύτερον καὶ τέλειον τοῦ νεωτέρου καὶ ἀτελοῦς), ἐν μὲν οὖν ταῖς πολιτικαῖς ἀρχαῖς ταῖς πλείσταις μεταβάλλει τὸ ἄρχον καὶ τὸ ἀρχόμενον (ἐξ ἴσου γὰρ εἶναι βούλεται τὴν φύσιν καὶ διαφέρειν μηθέν. ὅμως δέ, ὅταν τὸ μὲν ἄρχῃ τὸ δ' ἄρχηται, ζητεῖ διαφορὰν εἶναι καὶ σχήμασι καὶ λόγοις καὶ τιμαῖς, ὥσπερ καὶ Ἄμασις εἶπε τὸν περὶ τοῦ ποδανιπτῆρος λόγον), τὸ δ' ἄρρεν ἀεὶ πρὸς τὸ θῆλυ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον.* Hoc loco apodosis, id quod saepissime fit, ex duabus partibus constat, quarum prior, si sententiam respicimus, subjuncta est alteri, ita ut huc illud pertineat, quod Bonitzius: Aristotelische Studien II et III, pag. 91 dicit: „Bekanntlich werden durch *μέν* und *δέ* nicht selten Sätze einander grammatisch coordinirt, von denen dem Sinne nach der erstere im Verhältniss zum zweiten nur eine untergeordnete Stellung einnimmt. Derselbe Fall lässt sich öfters in solchen Perioden erkennen, deren durch *μὲν οὖν* eingeleiteter Nachsatz der Form nach aus zwei coordinirten Gliedern besteht, während dem Inhalte nach das zweite Glied die eigentliche Folgerung enthält und das erste nur eine Vorbereitung dazu ist."

Simili modo atque loci quos attuli etiam difficillimus ille locus ex Politicis 1253. b. 23—33 fortasse explicari potest, de

quo dixit Rassowius: Weimarer Jahresbericht. 1864. pag. 5: ἐπεὶ οὖν ἡ κτῆσις μέρος τῆς οἰκίας ἐστὶ καὶ ἡ κτητικὴ μέρος τῆς οἰκονομίας (ἄνευ γὰρ τῶν ἀναγκαίων ἀδύνατον καὶ ζῆν καὶ εὖ ζῆν), ὥσπερ δὲ ἐν ταῖς ὡρισμέναις τέχναις ἀναγκαῖον ἂν εἴη ὑπάρχειν τὰ οἰκεῖα ὄργανα, εἰ μέλλει ἀποτελεσθήσεσθαι τὸ ἔργον, οὕτω καὶ τῶν οἰκονομικῶν. τῶν δ' ὀργάνων τὰ μὲν ἄψυχα τὰ δ' ἔμψυχα, οἷον τῷ κυβερνήτῃ ὁ μὲν οἴαξ ἄψυχον ὁ δὲ πρωρεὺς ἔμψυχον· ὁ γὰρ ὑπηρέτης ἐν ὀργάνου εἴδει ταῖς τέχναις ἐστίν. οὕτω καὶ τὸ κτῆμα ὄργανον πρὸς ζωήν ἐστι, καὶ ἡ κτῆσις πλῆθος ὀργάνων ἐστί, καὶ ὁ δοῦλος κτῆμά τι ἔμψυχον, καὶ ὥσπερ ὄργανον πρὸ ὀργάνων, πᾶς ὁ ὑπηρέτης. Proponam enim hanc interpunctionem: ἐπεὶ οὖν ἡ κτῆσις μέρος τῆς οἰκίας ἐστὶ καὶ ἡ κτητικὴ μέρος τῆς οἰκονομίας (ἄνευ γὰρ τῶν ἀναγκαίων ἀδύνατον καὶ ζῆν καὶ εὖ ζῆν), ὥσπερ δὲ ἐν ταῖς ὡρισμέναις τέχναις ἀναγκαῖον ἂν εἴη ὑπάρχειν τὰ οἰκεῖα ὄργανα, εἰ μέλλει ἀποτελεσθήσεσθαι τὸ ἔργον, οὕτω καὶ τῶν οἰκονομικῶν, τῶν δ' ὀργάνων τὰ μὲν ἄψυχα τὰ δ' ἔμψυχα, οἷον τῷ κυβερνήτῃ ὁ μὲν οἴαξ ἄψυχον ὁ δὲ πρωρεὺς ἔμψυχον (ὁ γὰρ ὑπηρέτης ἐν ὀργάνου εἴδει ταῖς τέχναις ἐστίν), οὕτω καὶ (hinc incipit apodosis) τὸ κτῆμα ὄργανον πρὸς ζωήν ἐστι, καὶ ἡ κτῆσις πλῆθος ὀργάνων ἐστί, καὶ ὁ δοῦλος κτῆμά τι ἔμψυχον, καὶ ὥσπερ ὄργανον πρὸ ὀργάνων, πᾶς ὁ ὑπηρέτης. In ea constructione, quamquam concedo de nonnullis verbis singulis dubitari posse, hoc quidem non contra Aristotelis usum est, quod ἐπεί verbo οὕτω excipitur: cf. ex eodem libro locum 1258. a. 31: ἐπεὶ δ' ἔστι μὲν ὡς τοῦ οἰκονόμου καὶ τοῦ ἄρχοντος καὶ περὶ ὑγιείας ἰδεῖν, ἔστι δ' ὡς οὔ, ἀλλὰ τοῦ ἰατροῦ, οὕτω καὶ περὶ τῶν χρημάτων ἔστι μὲν ὡς τοῦ οἰκονόμου, ἔστι δ' ὡς οὔ, ἀλλὰ τῆς ὑπηρετικῆς.

Sed quamquam compluribus enuntiationibus in unum ambitum comprehendendis permulti loci, qui primo aspectu offendunt, sanari possunt, tamen nonnullis locis illud remedium non sufficit atque mutatione opus est; maxime δέ in δή mutandum est, quas particulas saepissime alteram cum altera confusas esse constat. Ejus rei exempla duo afferre liceat: Rhetor. 1378. b. 10—15 vulgo legitur: ἐπεὶ δ' ἡ ὀλιγωρία ἐστὶν ἐνέργεια δόξης περὶ τὸ μηδενὸς ἄξιον φαινόμενον· καὶ γὰρ τὰ κακά καὶ τά-

γαθὰ ἄξια οἰόμεθα σπουδῆς εἶναι, καὶ τὰ συντείνοντα πρὸς αὐτά· ὅσα δὲ μηθέν τι ἢ μικρόν, οὐδενὸς ἄξια ὑπολαμβάνομεν. τρία δ'ἐστὶν εἴδη ὀλιγωρίας καταφρόνησίς τε καὶ ἐπηρεασμὸς καὶ ὕβρις sed scribendum est: ἐπεὶ δ'ἡ ὀλιγωρία ἐστὶν ἐνέργεια δόξης περὶ τὸ μηδενὸς ἄξιον φαινόμενον (καὶ γὰρ τὰ κακὰ καὶ τἀγαθὰ ἄξια οἰόμεθα σπουδῆς εἶναι, καὶ τὰ συντείνοντα πρὸς αὐτά· ὅσα δὲ μηδέν τι ἢ μικρόν, οὐδενὸς ἄξια ὑπολαμβάνομεν), τρία δὴ ἐστὶν εἴδη ὀλιγωρίας κατάφρονησίς τε καὶ ἐπηρεασμὸς καὶ ὕβρις. Ethic. 1118. b. 21 *), ubi legitur: περὶ δὲ τὰς ἰδίας τῶν ἡδονῶν πολλοὶ καὶ πολλαχῶς ἁμαρτάνουσιν· τῶν γὰρ φιλοτοιούτων λεγομένων ἢ τῷ χαίρειν οἷς μὴ δεῖ, ἢ τῷ μᾶλλον, ἢ ὡς οἱ πολλοί ἢ μὴ ὡς δεῖ, κατὰ πάντα δ'οἱ ἀκόλαστοι ὑπερβάλλουσιν, post πάντα non particula δέ, quae opponit, locum habet, sed δή, quae ea comprehendat quae antecedunt, ita ut lectio codicis Mb δή recipienda sit. Hoc vero haud raro in libris Aristoteleis invenias, quod codices quidem nonnulli verum praebeant, editores autem philosophi dicendi usu neglecto alios secuti sint. Sed jam videtur satis disputatum esse de particula δέ in apodosi; ut summam sententiae meae paucis verbis comprehendam: δέ in apodosi usurpatur aut ita ut repetatur apud demonstrativum cum antecesserit apud relativum (huc eos quoque locos refero, quibus μέν —, μέν —, δέ —, δέ invenitur) aut post demonstrativum, cum non antecesserit, sed enuntiatio demonstrativa quodammodo opponatur relativae, aut post particulam εἰ, ubi apodosis opposita est protasi; ita ut illum usum certis quibusdam finibus circumscriptum esse censeam.

Per anacoluthiam quandam δέ haud raro usurpatur, ubi ex enuntiatione relativa repentino transitur in relativam. Physic. 208. b. 35: οὐ γὰρ ἄνευ τῶν ἄλλων οὐδέν ἐστιν, ἐκεῖνο δ'ἄνευ τῶν ἄλλων, ἀνάγκη πρῶτον εἶναι. Phys. 260. b. 18, qui locus fere eodem modo comparatus est: λέγεται δὲ πρότερον, οὗ τε μὴ ὄντος οὐκ ἔσται τἆλλα, ἐκεῖνο δ'ἄνευ τῶν ἄλλων. Ea autem anacoluthia, cui praecipue in notionibus definiendis locus est, saepius tantum modo in Metaphysicis et Physicis invenitur.

---

*) v. de hoc loco M. Vermehren. Aristot. Schriftstellen. p. 24—26.

Nonnullis locis δέ ita sententia negativa antecedente adhibetur, ut eandem quam vulgo ἀλλά habet vim accipiat. Pol. 1326. a. 12: δεῖ δὲ μᾶλλον μὴ εἰς τὸ πλῆθος εἰς δὲ δύναμιν ἀποβλέπειν. Met. 1061. a. 23: μὴ τοῦ ὅλου λόγου, τοῦ τελευταίου δὲ εἴδους. de anima 409. b. 28: οὐκ ἔστι δὲ μόνα ταῦτα, πολλὰ δὲ καὶ ἕτερα, μᾶλλον δ' ἴσως ἄπειρα τὸν ἀριθμόν, τὰ ἐκ τούτων. eam autem dicendi rationem non Aristoteli propriam esse locis demonstratur, quos Klotzius in l. annot. ad Devarium 4, 360, 361 ex aliis scriptoribus affert.

Particulae καί—δέ conjunctae, in quibus quodammodo offendimus, quia altera particula conjungit altera opponit, ab omnibus scriptoribus adhibentur, quamquam non pari numero. Raro ut exemplum afferam a Thucydide v. Krüger. ad Thucydid. I. 132. 4, saepe ab Aristotele, maxime in Ethicorum libro quarto octavo nono decimo. Adjungit autem καί—δέ rem novam, saepe tam leni modo, ut idem fere valeat atque τέ *). Etiam saepius quam Aristoteles Theophrastus iis particulis utitur, id quod maxime de Characteribus valet **), si libri ambitum respicimus. Difficilius est judicatu de particulis οὐδέ—δέ, Bonitzius enim videtur negare illas particulas omnino conjungi posse, cum in l. observationes criticae in Aristotelis quae feruntur Magna Moralia et Ethica Eudemia. pag. 12 ad Magn. Mor. 1190. b. 28: οὐδὲ Σωκράτης δὲ ὀρθῶς ἔλεγεν haec dicat: „Non videtur post οὐδέ eidem enuntiationis membro recte addi posse particula δὲ, addenda potius erat particula δή, id quod plurimis iisdem simillimis exemplis ejusdem scriptoris colligi potest. cf. 1183. a. 3, 1185. b. 12, 1190. b. 34, 37, 1191. a. 10, 15, 21, b. 10, 1192. a. 19, 24. al." Sed duo habeo, quae contra dicam, alterum quod Krügerus cf. Griechische Sprachlehre I, §. 69. 32. 10 probat, οὐδέ—δέ simili modo atque καί—δέ dici, alterum quod apud Aristotelem ipsum quamquam non multis, nonnullis tamen locis invenitur: v. de anima 427. b. 11: οὐδὲ τοῦτο

---

*) Propter eam ipsam causam maxime in rebus describendis ad singulas partes conjungendas adhibetur. cf. pag. 18.

**) Invenitur enim in historia plantarum centies fere, in Characteribus plus septuagies.

apodosin vulgo editores contenderent, Bonitzius*) exstitit fortissimus Aristotelis propugnator, qui talem licentiam ei tribui posse negans idem apud eum valere atque apud scriptores Atticos optimos demonstrare studuit cf. Aristotelische Studien II et III, pag. 124—129. Atticorum autem usum optime illustravit Buttmannus**) excursu duodecimo ad Demosth. Midianam pag. 147—160; cujus doctrinam sequar. Transeamus igitur ad Aristotelem.

Primum δέ post relativum positum repetitur post demonstrativum, cujus rei exempla grammatici ex omnibus scriptoribus afferunt. Cf. Metaphys. 1059. b. 31—34: ἡ δὲ τὰς διαφορὰς αὐτῶν ἀνάγκη μετέχειν εἰ θήσει τις αὐτὰ γένη, διαφορὰ δ' οὐδεμία τοῦ γένους μετέχει, ταύτῃ δ' οὐκ ἂν δόξειε δεῖν αὐτὰ τιθέναι γένη οὐδ' ἀρχάς. Rhetor. 1359. a. 32: ὅσα δὲ ἐξ ἀνάγκης ἢ ἐστὶν ἢ ἔσται ἢ ἀδύνατον εἶναι ἢ γενέσθαι, περὶ δὲ τούτων οὐκ ἔστι συμβουλή. Phys. 222. a. 7—8: ὅσων δὲ τὸ ἐναντίον μὴ ἀεί, ταῦτα δὲ δύναται καὶ εἶναι καὶ μή. Simili modo fortasse locus qui invenitur de anima 422. a. 29 explicari potest. Verba v. 20—30 (secundum Bonitzium: Aristotelische Studien II et III, pg. 43) haec sunt: ὥσπερ δὲ καὶ ἡ ὄψις ἐστὶ τοῦ τε ὁρατοῦ καὶ τοῦ ἀοράτου (τὸ γὰρ σκότος ἀόρατον, κρίνει δὲ καὶ τοῦτο ἡ ὄψις), ἔτι τοῦ λίαν λαμπροῦ (καὶ γὰρ τοῦτο ἀόρατον, ἄλλον δὲ τρόπον τοῦ σκότους), ὁμοίως δὲ καὶ ἡ ἀκοὴ ψόφου τε καὶ σιγῆς, ὧν τὸ μὲν ἀκουστὸν τὸ δ' οὐκ ἀκουστόν, καὶ μεγάλου ψόφου, καθάπερ ἡ ὄψις τοῦ λαμπροῦ (ὥσπερ γὰρ ὁ μικρὸς ψόφος ἀνήκουστος, τρόπον τινὰ καὶ ὁ μέγας τε καὶ ὁ βίαιος), ἀόρατον δὲ τὸ μὲν ὅλως λέγεται, ὥσπερ καὶ ἐπ' ἄλλων τὸ ἀδύνατον, τὸ δ' ἐὰν πεφυκὸς μὴ ἔχῃ ἢ φαύλως, ὥσπερ τὸ ἄπουν καὶ τὸ ἀπύρηνον· οὕτω δὴ καὶ ἡ γεῦσις τοῦ γευστοῦ τε καὶ ἀγεύστου, τοῦτο δὲ τὸ μικρὸν ἢ φαῦλον ἔχον χυμὸν ἢ φθαρτικὸν τῆς γεύσεως. sed quamquam δή post οὕτω v. 29 omnes nisi fallor editores receperunt, tamen δέ scribendum esse censeo, cum et in optimis codicibus insit et secundum usum

---

*) v. Jenaische Literaturzeitung 1845. pag. 859.

**) vid. praeterea Hartung. Lehre von den Partikeln der griechischen Sprache I, 183—189. G. Hermann. Viger. editio IV. pag. 843. Bäumlein Griechische Partikeln 92—94.

89. Cum nonnullis particulis ἀλλά conjunctum vinenitur. Sic ἀλλὰ μήν vid. pag. 8 sqq. ἀλλ' ἄρα vid. quae de particula ἄρα infra afferam. ἀλλὰ γάρ *): Polit. 1264. a. 36, 1275. b. 13 (ubi verbum interponitur), 1282. b. 8, 1323. b. 36. Metaph. 989. b. 21. Phys. 253. a. 20. ἀλλ' οὖν **) raro adhibetur: Metaph. 1050. a. 2, Phys. 214. a. 6; Poet. 1461. a. 1 Bonitzius, cf. Aristotelische Studien. I. 99, scripsit ἀλλ' οὖν pro ἀλλ' οὐ, quod vulgo legitur. In libris pseudoaristoteleis ἀλλ' οὖν nonnullis locis post enuntiationem conditionalem in usum venit ***). Ethic. Eudem. 1216. b. 1: κἂν εἰ μὴ πάντες εἰς τὴν εὐδαιμονίαν, ἀλλ' οὖν οἱ λόγου ἄξιοι, Magn. Moral. 1207. b. 13: ὥστ' εἰ καὶ ἡ τοιαύτη ἐστὶν εὐτυχία, ἀλλ' οὖν πρός γε τὴν εὐδαιμονίαν ἡ τοιαύτη ἂν εἴη εὐτυχία οἰκειοτέρα. de mundo 397. b. 12. Locutiones οὐ μέντοι ἀλλά et οὐ γὰρ ἀλλά apud Aristotelem non inveniuntur, contra Magn. Moral. 1209. a. 15 οὐ γὰρ ἀλλά adhibetur; de οὐ μὴν ἀλλά v. pag. 9. ἀλλ' ἤ, de quibus particulis accuratissime Bäumleinius, cf. Griechische Partikeln p. 1—7, disputat, saepius in omnibus scriptis usurpatur. Metaph. 981. a. 18 πλὴν ἀλλ' ἢ vulgo legitur: οὐ γὰρ ἄνθρωπος ὑγιάζει ὁ ἰατρεύων, πλὴν ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκός, quem locum explicare studuit Klotzius l. l. pag. 50 et 725. Sed cum neque ullo alio loco ea ut ita dicam tautologia inveniatur neque πλήν in cod. A^b D^b H^b insit, non dubito quin Brandisius rectissime πλήν omiserit. Videtur autem in libris Aristoteleis saepius factum esse, ut particula quaedam ad aliam explicandam adscripta falso in textum irrepserit, ita ut duae quae idem significant in codicibus insint. Occasione oblata affero post πλήν paucis locis per pleonasmum quendam negationem poni, ubi supervacanea est. Cf. Eth. 1124. b. 30: διὸ καὶ ἀληθευτικός, πλὴν ὅσα μὴ δι' εἰρωνείαν, de anima 406. b. 8: οὐ δεῖ δὲ ᾧ τὸ ὑφ' ἑαυτοῦ κινεῖσθαι ἐν τῇ οὐσίᾳ, τοῦθ' ὑπ' ἄλλου κινεῖσθαι, πλὴν εἰ μὴ

*) Hermann. Viger. edit. IV. pag. 810.

**) v. Hartung. l. l. II. pag. 20.

***) Apud Theophrastum οὐ μὴν ἀλλ' οὖν invenitur hist. plant. I. 9. 1: ἔνια δ' εὐθὺς σχίζεται οἷον ἡ μηλέα· τὰ δὲ πολύκλαδα καὶ μείζω τὸν ὄγκον ἔχει τὸν ἄνω καθάπερ ῥόα. οὐ μὴν ἀλλ' οὖν μέγιστά γε συμβάλλεται πρὸς ἕκαστον ἡ ἀγωγὴ καὶ ὁ τόπος καὶ ἡ τροφή.

κατὰ συμβεβηκός (neque vero μή in optimo codice E inest), cf. Devarii lib. de Graecae linguae particulis ed. Klotz. pag. 189, 190.

De particulis μέντοι et καίτοι primum moneo, singula scripta eodem fere modo atque in particula μήν adhibenda mire inter se distare. Cum enim et μέντοι et καίτοι in Metaphysicis, Physicis, Politicis saepissime usurpentur, multo rarius in ceteris inveniuntur, maxime in Rhetoricis; in Metaphysicis enim μέντοι septies et tricies, καίτοι quater et quinquagies reperitur, in Rhetoricis *) μέντοι quater, καίτοι quinquies. Videntur igitur eae particulae atque etiam μήν magis ad dicendi rationem in libris Metaphysicis et Physicis (ad quos l. Politici multo proprius accedunt quam ad cetera scripta) adhibitam quadrare quam ad ceteros libros. Tum dicendum est de particula γέ post μέντοι et καίτοι usurpata. Neque enim quod de collocatione ejus particulae post verbum μήν vidimus, cf. pag. 9, etiam ad καίτοι et μέντοι pertinet. Nam haud raro duo verba interponuntur, etiam articulus cum substantivo, cf. Metaph. 1033. b. 31, Phys. 246. a. 8, quin etiam nullo verbo interposito γέ sequi potest **). Sed quid quoque loco scribendum sit haud facile est dijudicatu, quia codices valde inter se dissentiunt, cum saepius et alii γέ habeant alii omittant et alii aliter collocata verba praebeant. Loci, quibus optimi codices γέ habent, hi sunt: καίτοι-γέ uno vel duobus verbis interpositis: Ethic. 1132. b. 25 (γέ omittit L^b), 1134. b. 28, 1144. a. 16, 1181. b. 3; Polit. 1261. b. 9, 1264. a. 13, 1270. b. 39, 1271. a. 16; de anim. 410. b. 20 (καίτοιγε X); Metaph. 981. b. 10, 988. a. 1 (καίτοιγε T), 1010. a. 17, 1010. a. 35 (καίτοιγε EST), 1089. b. 27; Phys. 224. a. 5, 226. a. 34. μέντοι-γέ: Metaph. 1026. a. 11, 1033. b. 31;

---

*) De dicendi ratione, quae in Rhetoricis invenitur, cum hoc loco disserere longum sit, accuratius dicam sub finem hujus opusculi.

**) Differunt scriptores ea re, cum alii γέ post μέντοι et καίτοι non adhibeant nisi verbo interposito, ex quibus affero Thucydidem, cf. Krüger. ad Thucyd. l. I. 3. 2, alii eam legem non sequantur, velut Plato, cf. Ast. lexic. Plat. II. 304, et Xenophon, cf. Klotz. annot. ad Devar. pag. 654, 655.

Cap. IV.

De particula δή.

De particula δή cum rectissime Krischius, cf. Göttinger gelehrte Anzeigen 1834. pag. 1885, dicat: „Der Gebrauch der Partikel δή fordert in den Schriften des Denkers eine ganz besondere Berücksichtigung, insofern er in seine wissenschaftliche Darstellung tief eingreift“, accuratius mihi dicendum esse puto. De origine quidem et prima significatione ejus particulae, de qua re valde dissentiunt grammatici *), non opus est ut dicatur, cum ex Aristotele ipso satis appareat, quali significatione particula apud eum utatur; sed in hac re summa inest difficultas quod δή permultis rationibus inter se diversis usurpatur. Primum enim distinguendum est, utrum δή solum adhibeatur an cum alia particula, sicut καί, οὐδέ, γάρ cet., conjunctum, tum si sine alia particula adhibetur, utrum ad unum tantum verbum referatur an totius enuntiationis rationem afficiat; illud apud Aristotelem satis raro invenitur hoc saepissime.

Uni verbo addita particula δή illius vim urguet: Polit. 1258. b. 40: ἐπεὶ δ' ἐστὶν ἐνίοις γεγραμμένα περὶ τούτων, οἷον Χάρητι δὴ τῷ Παρίῳ καὶ Ἀπολλοδώρῳ τῷ Λημνίῳ περὶ γεωργίας sqq., cum vero δή nullo loco simili modo usurpatum apud Aristotelem inveniatur, locus videtur corruptus esse; fortasse legendum est: Χάρητί τε. Eth. 1149. a. 34: ὁ μὲν γὰρ λόγος ἢ ἡ φαντασία ὅτι ὕβρις ἢ ὀλιγωρία ἐδήλωσεν, ὁ δ' ὥσπερ συλλογισάμενος ὅτι δεῖ τῷ τοιούτῳ πολεμεῖν χαλεπαίνει δὴ εὐθύς, sed δή codice K^b solo praebetur neque similes loci inveniuntur. Itaque nescio an Krischio assentiendum sit, qui, cf. Jenaische allgemeine Literaturzeitung 1835. N. 231. pag. 415, de hoc loco dicit: „Bekker hat χαλεπαίνει δή εὐθύς nach dem K^b gesetzt, wo δή durchaus unstatthaft ist“. Hoc solum modo videtur particula δή unius verbi vim augere, ut cum duae notiones particulis τέ καί conjungantur, δή priori membro addatur; cf. Krüger. ad Thucyd.

*) Cf. Hartung. Lehre von den Partikeln I. 245, Klotz. l. l. pag. 392 sqq., Heller. Philolog. VIII. 277, 286, 291, Bäumlein. Untersuchungen über griech. Partikeln. pag. 98.

VII. 13. 3. Cf. Metaph. 1045. a. 14—16: τί οὖν ἐστὶν ὁ ποιεῖ ἓν τὸν ἄνθρωπον, καὶ διὰ τί ἓν ἀλλ' οὐ πολλά, οἷον τό τε ζῷον καὶ τὸ δίπουν, ἄλλως τε δὴ καὶ εἰ ἔστιν, ὥσπερ φασίν τινες, αὐτό τι ζῷόν καὶ αὐτὸ δίπουν; Pol. 1299. a. 33: μᾶλλον ἄν τις ἀπορήσειε πρὸς ἅπασάν τε δὴ πολιτείαν καὶ δὴ καὶ τὰς μικρὰς πόλεις. Metaph. 983. b. 25.

Sed multo saepius δή totam enuntiationem afficit, quod si fit ea significatio, ex qua apud Aristotelem quidem ceterae omnes derivari possunt, haec est, ut rem vel sententiam, quam scriptor profert, manifestam esse indicet. Cum vero scriptori duae causae sint, quibus quid manifestum est, altera quia jam de eo dixit, altera quia res ita comparata est, ut nemo de ea dubitare possit, ad utrumque illustrandum particula δή usurpatur; cf. Krische. Göttinger gelehrte Anzeigen 1834. pag. 1885: „Da nämlich, wo Aristoteles Sätze die sich entweder auf früheren, namentlich in Schriften anderen Inhalts, gelieferten Auseinandersetzungen gründen, oder mit Nothwendigkeit aus der Consequenz seiner Lehre ergeben, voranstellt, um daran Folgerungen, oder neue Forschungen anzuknüpfen, leitet er mit δή ein, in der Voraussetzung einer allgemeinen Zustimmung". Pauca exempla attulisse satis erit: Ethic. 1130. b. 8: ὅτι μὲν οὖν εἰσὶ δικαιοσύναι πλείους, καὶ ὅτι ἔστι τις καὶ ἑτέρα παρὰ τὴν ὅλην ἀρετήν, δῆλον· τίς δὲ καὶ ὁποία τις ληπτέον. διώρισται δὴ τὸ ἄδικον τό τε παράνομον καὶ τὸ ἄνισον, τὸ δὲ δίκαιον τό τε νόμιμον καὶ τὸ ἴσον (dixerunt de eo loco Spengel. Münchener gelehrte Anzeigen vol. 34 pag. 445 sqq. et M. Vermehren. Aristotelische Schriftstellen untersucht pg. 39 sqq.); Metaph 1064. b. 32, cum antecedant verba: ὅτι δ' οὐδ' ἐνδεχόμενόν ἐστιν εἶναι τοῦ συμβεβηκότος ἐπιστήμην, φανερὸν ἔσται πειραθεῖσιν ἰδεῖν τί ποτ' ἐστὶ τὸ συμβεβηκός, quasi fundamentum eorum quae sequuntur aliquid praemittit, quod apud omnes constat: πᾶν δή φαμεν εἶναι τὸ μὲν ἀεὶ καὶ ἐξ ἀνάγκης (ἀνάγκης δ' οὐ τῆς κατὰ τὸ βίαιον λεγομένης, ἀλλ' ᾗ χρώμεθα ἐν τοῖς κατὰ τὰς ἀποδείξεις), τὸ δ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, τὸ δ' οὔθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ οὔτ' ἀεὶ καὶ ἐξ ἀνάγκης ἀλλ' ὅπως ἔτυχεν. Prorsus simili modo δή usurpatur Phys. 234. a. 5: ἀνάγκη δὴ τὸ αὐτὸ εἶναι τὸ νῦν τὸ ἔσχατον ἀμφοτέρων τῶν χρόνων. Huc etiam

δή post interrogationem adhibitum pertinet; cf. Metaph. 1053. b. 33: ἀλλὰ τίνων; δῆλον δὴ ὅτι χρωμάτων. Phys. 229. b. 29: ἀλλὰ τοῦτο νῦν λέγεται ἁπλῶς· πότερον γὰρ τῇ ἐνταῦθοῖ μονῇ ἡ ἐκ τούτου ἢ ἡ εἰς τοῦτο κίνησις ἀντίκειται; δῆλον δὴ ὅτι, ἐπεὶ ἐν δυσὶν ἡ κίνησις ὑποκειμένοις, τῇ μὲν ἐκ τούτου εἰς τὸ ἐναντίον ἡ ἐν τούτῳ μονή, τῇ δ' ἐκ τοὐναντίου εἰς τοῦτο ἡ ἐν τῷ ἐναντίῳ. (δηλαδή conjunctum *) ab Aristotele non adhibetur).

Ubi vero ea proxime antecedunt ex quibus apparet, enuntiationem, in qua δή positum est, manifestam esse, elucet quam facile δή talem vim accipere possit, ut illa comprehendere videatur. Cf. Pol. 1255. a. 4—9: διχῶς γὰρ λέγεται τὸ δουλεύειν καὶ ὁ δοῦλος. ἔστι γάρ τις καὶ κατὰ νόμον δοῦλος καὶ δουλεύων· ὁ γὰρ νόμος ὁμολογία τίς ἐστιν, ἐν ᾧ τὰ κατὰ πόλεμον κρατούμενα τῶν κρατούντων εἶναί φασιν. τοῦτο δὴ τὸ δίκαιον πολλοὶ τῶν ἐν τοῖς νόμοις ὥσπερ ῥήτορα γράφονται παρανόμων sqq. Pol. 1329. b. 7—15: τὰ δὲ περὶ τὴν Ἰταλίαν πολλῷ παλαιότερα τούτων. φασὶ γὰρ οἱ λόγιοι τῶν ἐκεῖ κατοικούντων Ἰταλόν τινα γενέσθαι βασιλέα τῆς Οἰνωτρίας, ἀφ' οὗ τό τε ὄνομα μεταβαλόντας Ἰταλοὺς ἀντ' Οἰνωτρῶν κληθῆναι καὶ τὴν ἀκτὴν ταύτην τῆς Εὐρώπης Ἰταλίαν τοὔνομα λαβεῖν, ὅση τετύχηκεν ἐντὸς οὖσα τοῦ κόλπου τοῦ Σκυλλητικοῦ καὶ τοῦ Λαμητικοῦ· ἀπέχει γὰρ (de hoc γάρ v. Klotz. ann. ad Devar. 238, 239) ταῦτα ἀπ' ἀλλήλων ὁδὸν ἡμισείας ἡμέρας. τοῦτον δὴ λέγουσι τὸν Ἰταλὸν νομάδας. τοὺς Οἰνωτροὺς ὄντας ποιῆσαι γεωργοὺς sqq. Simili modo δή saepius post οὕτω, ὁμοίως, τοιοῦτος invenitur, v. Krische. Jenaische allg. Lit. 1835. N. 231. pag. 414—16. Cf. Ethic. 1106. b. 5, 1120. a. 3; Phys. 266. a. 19. Quamquam autem οὕτω δή et ὁμοίως δή (atque οὕτω δὴ καί et ὁμοίως δὴ καί) ab οὕτω δέ et ὁμοίως δέ (atque οὕτω δὲ καί et ὁμοίως δὲ καί) ita differunt, ut illud aliquid comprehendi **), hoc novi aliquid quod simile sit afferri indicet, tamen rectissime Bonitzius in l. Aristotelische Studien I. 82 ad locum de Xen. pag. 977. b. 8

---

*) Cf. Hartung. l. l. I. 286.

**) Simili modo invenitur: ὁμοίως τοίνυν καί: Polit. 1276. b. 28, 1287. a. 16; Phys. 217. a. 31; ὁμοίως οὖν καί: Magn. Moral. 1211. a. 30.

hoc dicit: „es ist eben so wohl möglich, dass durch die einleitende Partikel die zusammenfassende Folgerung aus dem Vorhergehenden (τὸ τοιοῦτο) betont wird (δή), als dass durch sie der Uebergang bezeichnet wird (δέ) zu dem nun auszusprechenden neuen Satze." Talibus igitur locis auctoritas optimorum codicum sequenda est; neque vero in omnibus scriptis ii codices, qui in universum videntur optimi esse, etiam in ea re eadem sunt praestantia, sic, ut exemplum afferam, in Ethicis Nicomacheis ubicunque agitur, utrum δή an δέ scribendum sit, codex Mb ceteris omnibus praeferendus est. Eadem fere significatione δή utitur ea quae in eodem enuntiato antecedunt comprehendi indicans; cf. Metaph. 1005. b. 17—23: ὅτι μὲν οὖν ἡ τοιαύτη πασῶν βεβαιοτάτη ἀρχή, δῆλον· τίς δ᾽ ἐστιν αὕτη, μετὰ ταῦτα λέγωμεν. τὸ γὰρ αὐτὸ ἅμα ὑπάρχειν τε καὶ μὴ ὑπάρχειν ἀδύνατον τῷ αὐτῷ καὶ κατὰ τὸ αὐτό (καὶ ὅσα ἄλλα προςδιορισαίμεθ᾽ ἄν, ἔστω προςδιωρισμένα πρὸς τὰς λογικὰς δυσχερείας) αὕτη δὴ πασῶν ἐστὶ βεβαιοτάτη τῶν ἀρχῶν. Pol. 1334. b. 5: πῶς δὲ καὶ διὰ τίνων ἔσται, τοῦτο δὴ θεωρητέον. Phys. 226. a. 11: ὥσπερ τὸ ἀλλοιωτὸν ἢ σῶμα ἢ ψυχή, οὕτω δὴ τὸ γινόμενον κίνησις ἢ γένεσις *).

Saepius autem δή ita usurpatur, ut conclusionem significet, neque quidquam in ea re inest quod offendit, cum id, quod ex iis quae proxime antecedunt clarum est, saepissime ex iis efficiatur. Cf. Ethic. 1110. a. 15—18: πράττει δ᾽ ἑκών. καὶ γὰρ ἡ ἀρχὴ τοῦ κινεῖν τὰ ὀργανικὰ μέρη ἐν ταῖς τοιαύταις πράξεσιν ἐν αὐτῷ ἐστίν· ὧν δ᾽ ἐν αὐτῷ ἡ ἀρχή, ἐπ᾽ αὐτῷ καὶ τὸ

---

*) Scriptores latini eodem modo „igitur" adhibent; cf. Lucreti de rerum natura l. IV. v. 513—521:

denique ut in fabrica, si pravast regula prima,
normaque si fallax rectis regionibus exit,
et libella aliqua si ex parti claudicat hilum,
omnia mendose fieri atque obstipa necesse est
prava cubantia prona supina atque absona tecta,
iam ruere ut quaedam videantur velle, ruantque
prodita iudiciis fallacibus omnia primis,
sic igitur ratio tibi rerum prava necessest
falsaque sit, falsis quae cumque ab sensibus ortast.

πράττειν καὶ μή. ἑκούσια δὴ τὰ τοιαῦτα. Ethic. 1159. a. 17: οὐ δι' αὐτὸ δ'ἐοίκασιν αἱρεῖσθαι τὴν τιμήν, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκός· χαίρουσι γὰρ οἱ μὲν πολλοὶ ὑπὸ τῶν ἐν ταῖς ἐξουσίαις τιμώμενοι διὰ τὴν ἐλπίδα· οἴονται γὰρ τεύξεσθαι πάρ' αὐτῶν, ἄν του δέωνται· ὡς δὴ σημείῳ τῆς εὐπαθείας χαίρουσι τῇ τιμῇ. οἱ δ'ὑπὸ τῶν ἐπιεικῶν καὶ εἰδότων ὀρεγόμενοι τιμῆς βεβαιῶσαι τὴν οἰκείαν δόξαν ἐφίενται περὶ αὐτῶν· χαίρουσι δὴ ὅτι εἰσὶν ἀγαθοί, πιστεύοντες τῇ τῶν λεγόντων κρίσει. Eodem modo saepissime δή id comprehendit, quod ex inquisitione quadam longiore efficitur *). Cf. Ethic. 1110. b. 15: ἔοικε δὴ τὸ βίαιον εἶναι οὗ ἔξωθεν ἡ ἀρχή, μηδὲν συμβαλλομένου τοῦ βιασθέντος. Ethic. 1179. a. 17; Metaph. 1069. b. 32.

Haud raro in iisdem locutionibus δή, ἄρα, τοίνυν, οὖν adhibentur, sic cum de pluribus rebus dixerit, ad postremam transiturus fere promiscue iis particulis utitur. Cf. λείπεται δή: Ethic. 1098. a. 3; Phys. 229. a. 27, 240. b. 28; Pol. 1281. b. 31 al.; λείπεται τοίνυν: Phys. 201. b. 35; Pol. 1284. b. 32, 1329. a. 13, 1338. a. 21 al.; λείπεται οὖν: Phys. 232. b. 18 al. Ut indicet, aliquid ex causis quibusdam manifestum esse, adhibet (pauca exempla e multis affero): φανερὸν δή: Eth. 1151. a. 27, Pol. 1334. b. 12, Metaph. 1033. b. 16, 1043. a. 12, 26; Phys. 200. a. 30 al.; δῆλον δή: Metaph. 1068. a. 27 al.; φανερὸν τοίνυν: Pol. 1259. b. 18, 1260. a. 2, b. 3, 1261. b. 6, 1279. a. 17, 1280. b. 29, 1286. a. 14, 1290. a. 5, 1327. b. 36, 1341. a. 5 al.; δῆλον τοίνυν: Pol. 1260. a. 7, 1326. b. 23 al.; δῆλον ἄρα: Pol. 1295. b. 35, 1325. a. 5; Metaph. 1051. a. 17, Phys. 197. a. 5. Occasione oblata addo, in Ethicis Nicom. inveniri: εἴτε δή—εἴτε 1114. b. 16, 1172. a. 13; εἴτε τοίνυν—εἴτε 1165. a. 13; εἴτε οὖν—εἴτε 1176. a. 26. Etiam in apodosi, maxime post ἐπεί et εἰ, δή prorsus eodem modo atque ἄρα et τοίνυν (τοίνυν rarius) adhiberi optime Bonitzius demonstravit, v. exempla, quae ille collegit, Aristotelische

*) Cf. Schwegler edit. Metaphys. IV. pag. 20: „Ungemein häufig steht δή bei Arist. in logisch recapitulirender Bedeutung, wenn eine längere Beweisführung abgeschlossen und im Resultat zusammengefasst wird."

Studien II et III. pag. 25, 29, 30, 33, 64, ut de ea re quidquam addere non opus sit. Sed hoc videtur monendum esse, particulam δή vi consecutiva in aliis libris saepissime, in aliis satis raro uti. Saepissime enim ita adhibetur in Ethicorum libris VIII. IX. X, rarius in III et IV, nonnullis tantum locis in I. II. V. VI. VII; Metaphysica, Physica, libri de anima quasi in medio posita sunt inter postremos Ethicorum libros et Rhetorica, Poetica, Politica, ubi rarissime δή eam significationem habet. Quae cum ita sint in his scriptis aut aliam particulam locum particulae δή obtinere opus est aut totam dicendi rationem aliam esse, illud factum est in Politicis, ubi τοίνυν saepissime invenitur, hoc in Rhetoricis, de quibus infra dicam, de Poeticis quidquam contendere propter parvum libri ambitum haud ausus sim.

Pauca addenda sunt de δή cum imperativo, in enuntiatione interrogativa, post relativum adhibito. Δή cum imperativo non ea uti posse significatione apparet quam apud Atticos habet, ut usurpetur, si quis cum vi ab rem quandam perficiendam admonetur. Quem enim putas ab Aristotele admoneri? Itaque imperativus cum vigore quodam pro indicativo positus est atque δή ita explicandum, ut rem quasi manifestam nostris oculis subjiciat. Maxime in Rhetoricis δή ita ad eas notiones definiendas usurpatur quibus tota inquisitio quae sequitur ut ita dicam nititur. Cf. 1368. b. 6: *διορισάμενοι οὖν τὸ ἀδικεῖν λέγωμεν ἑξῆς· ἔστω δὴ τὸ ἀδικεῖν τὸ βλάπτειν ἑκόντα παρὰ τὸν νόμον*, 1355. b. 26, 1360. b. 14, 1362. a. 21, 1363. b. 8, 1378. a. 31, 1380. a. 7, b. 35, 1382. a. 21, 1383. b. 13, 1385. a. 17, b. 13. Rarius ille usus in ceteris scriptis invenitur; sed nonnullis locis, maxime Physicorum, δή cum imperativo usurpatur, ubi scriptor ad sententiam, quam ante protulit, illustrandam exemplum ipse fingit. Phys. 266. a. 10—16: *Ὅτι δὲ τοῦτ' ἀμερὲς ἀναγκαῖον εἶναι καὶ μηδὲν ἔχειν μέγεθος, νῦν λέγωμεν, πρῶτον περὶ τῶν προτέρων αὐτοῦ διορίσαντες. τούτων δ' ἓν μέν ἐστιν ὅτι οὐχ οἷόντε οὐδὲν πεπερασμένον κινεῖν ἄπειρον χρόνον. τρία γάρ ἐστι, τὸ κινοῦν, τὸ κινούμενον, τὸ ἐν ᾧ τρίτον ὁ χρόνος. ταῦτα δὲ ἢ πάντα ἄπειρα ἢ*

πάντα πεπερασμένα ἢ ἔνια, οἷον τὰ δύο ἢ τὸ ἕν. ἔστω δὴ τὸ A *τὸ κινοῦν, τὸ δὲ κινούμενον* B *χρόνος ἄπειρος ἐφ' οὗ* Γ.

In interrogationibus et rectis et obliquis *δή* eodem modo atque a ceteris scriptoribus etiam ab Aristotele adhibetur. Sic invenitur in interrogatione recta: *δή* solum: Ethic. 1096. b. 26, Metaphys. 1001. b. 17, 1037. b. 13; *δήποτε*: Polit. 1280. b. 24, de anim. 408. a. 25, Metaph. 1092. b. 3; *οὖν δήποτε*: Ethic. 1097. b. 38 *), de anim. 411. b. 6. In interrogatione obliqua: *δή* solum: Ethic. 1111. a. 4, 1133. a. 22, 1142. a. 17; *δήποτε*: Metaph. 1000. a. 20, Phys. 260. a. 12.

Δή post relativum positum aut totam periodum cum iis quae antecedunt conjungit, ut non proprie ad relativum pertineat, „welcher also", aut vim relativi tantum urguet „welcher eben" „welcher gerade", v. Krüger. Griechische Sprachlehre. 25. 9. 2. Illud, ut exemplum afferam, invenitur: Rhetor. 1361. b. 35—38: *πολυφιλία δὲ καὶ χρηστοφιλία οὐκ ἄδηλα τοῦ φίλου ὡρισμένου, ὅτι ἐστὶν ὁ τοιοῦτος φίλος ὅστις ἃ οἴεται ἀγαθὰ εἶναι ἐκείνῳ, πρακτικός ἐστιν αὐτῶν δι' ἐκεῖνον. ᾧ δὴ πολλοὶ τοιοῦτοι, πολύφιλος. ᾧ δὲ καὶ ἐπιεικεῖς ἄνδρες, χρηστόφιλος. δή* relativum solum afficiens haud saepe ab Aristotele adhibetur, cf. Ethic. 1158. a. 10: *φίλοι δ' οὐ πάνυ εἰσὶ διὰ τὸ μὴ συνημερεύειν μηδὲ χαίρειν ἀλλήλοις, ἃ δὴ μάλιστ' εἶναι δοκεῖ φιλικά.* Metaph. 986. a. 13, 1000. b. 9, 1032. a. 19, de anima 403. b. 18, Pol. 1278. b. 38, 1295. b. 37. Multo saepius apud Theophrastum invenitur, collegi enim ex hist. plant. hos locos: I. 2. 3, III. 4. 1, 4. 3, 7. 2, 7. 3, 12. 1, 18. 4, 18. 6, 18. 8, IV. 4. 1, 4. 4, 6. 2, 11. 11, 12. 1, 14. 3, 16. 1, V. 1. 1, 5. 4, 9. 5, VI. 1. 3, 3. 4, VIII. 8. 1, IX. 1. 1, 15. 2, 15. 3, 19. 2 (ubi Wimmeri lectio a Schneidero valde differt). Huc ii loci minime pertinent, ubi *δή* pronominibus relativis, maxime *ὅστις*, additum indefiniti notionem efficit, cf. Heller. Philolog. VIII. p. 305. Inveniuntur autem solum in Ethicis et Metaphysicis tales loci, cf. *ὁστισδήποτε*: Eth. 1126. a. 4, 1144. a. 33, 1162. b. 32, Metaph. 1033. b. 5; *ὁσδήποτε*: Ethic. 1164. a 25,

---

*) Hoc loco *δή* et *ποτέ* longo intervallo sejunguntur: *τί ουν δὴ τοῦτ' ἂν εἴη ποτέ.* -

ἔστι τούτοις χρῆσθαι καὶ εὖ καὶ κακῶς· ὁ πλοῦτος δ'ἐστὶ τῶν χρησίμων· ἑκάστῳ δ'ἄριστα χρῆται ὁ ἔχων τὴν περὶ τοῦτο ἀρετήν· καὶ πλούτῳ δὴ χρήσεται ἄριστα ὁ ἔχων τὴν περὶ τὰ χρήματα ἀρετήν. 1163. b. 18—22: διὸ κἂν δόξειεν οὐκ ἐξεῖναι υἱῷ πατέρα ἀπείπασθαι, πατρὶ δ'υἱόν· ὀφείλοντα γὰρ ἀποδοτέον, οὐθὲν δὲ ποιήσας ἄξιον τῶν ὑπηργμένων δέδρακεν, ὥστ' ἀεὶ ὀφείλει. οἷς δ' ὀφείλεται, ἐξουσία ἀφεῖναι· καὶ τῷ πατρὶ δή. Neque vero in omnibus scriptis καί-δή pari numero adhibetur, sed quod de δή particula conclusiva pag. 42 vidimus huc quoque pertinet*), nisi quod in Politicis καί-δή multo saepius in usum venit quam in Rhetoricis (ubi his tantum locis invenitur: 1364. a. 14, 1381. a. 8) et Poeticis.

Particulis καί-δή opponi possunt οὐδὲ δή, cf. Fritzsche. ad Eth. 1166. b. 17. Ut de collocatione primum dicam, non tam constans quam apud καί-δή usus est, vulgo enim cum nullum verbum interponatur, hi loci aliter comparati sunt: Metaph. 1044. b. 8, 1058. b. 12, Ethic. 1156. b. 28. Particula δή autem vulgo nihil aliud nisi vim verbi οὐδέ auget, quam ob rem οὐδὲ δὴ maxime in usu est si tales sententiae proferuntur, quae quin falsae sint dubitari nequit. Cf. Phys. 225. b. 10—14: Κατ' οὐσίαν δ'οὐκ ἔστι κίνησις διὰ τὸ μηδὲν εἶναι οὐσίᾳ τῶν ὄντων ἐναντίον. οὐδὲ δὴ τῷ πρός τι· ἐνδέχεται γὰρ θατέρου μεταβάλλοντος ἀληθεύεσθαι θάτερον μηδὲν μεταβάλλον, ὥστε κατὰ συμβεβηκὸς ἡ κίνησις αὐτῶν. οὐδὲ δὴ ποιοῦντος καὶ πάσχοντος cet.. οὐδὲ δή ita usurpatum idem fere valere atque particulas ἀλλὰ μὴν οὐδέ hoc Ethicorum loco demonstratur 1142. a. 32—b. 6: δεῖ δὲ λαβεῖν καὶ περὶ εὐβουλίας τί ἐστιν, πότερον ἐπιστήμη τις ἢ δόξα ἢ εὐστοχία ἢ ἄλλο τι γένος. ἐπιστήμη μὲν δὴ οὐκ ἔστιν· οὐ γὰρ ζητοῦσι περὶ ὧν ἴσασιν, ἡ δ' εὐβουλία βουλή τις, ὁ δὲ βουλευόμενος ζητεῖ καὶ λογίζεται. ἀλλὰ μὴν οὐδ' εὐστοχία· ἄνευ τε γὰρ λόγου καὶ ταχύ τι ἡ εὐστοχία, βουλεύονται δὲ πολὺν χρόνον, καὶ φασὶ πράττειν μὲν δεῖν ταχὺ τὰ βουλευθέντα, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως. ἔτι ἡ ἀγχίνοια ἕτερον καὶ ἡ εὐβουλία· ἔστι δ'εὐστοχία τις ἡ ἀγχίνοια.

---

*) Hoc tantum moneo, libros Physicos ita inter se distare, ut in libro quarto καί-δή saepissime inveniatur, in ceteris omnibus raro.

alia particula addita est: de anima 431. b. 28—29: *ἀνάγκη δ᾽ ἢ αὐτὰ ἢ τὰ εἴδη εἶναι. αὐτὰ μὲν γὰρ δὴ οὔ·* ubi *γάρ* ferri nequit, cum non videam, cujus rei causam afferat, atque desit in cod. LVW et pr. E. Ethic. 1154. a. 27: *ὥστε λεκτέον διὰ τί φαίνονται αἱ σωματικαὶ ἡδοναὶ αἱρετώτεραι. πρῶτον μὲν οὖν δὴ ὅτι ἐκκρούει τὴν λύπην, πρῶτον μὲν οὖν δή* offendit, quia nullo alio loco (nisi in interrogationibus, quarum ratio prorsus alia est) Aristoteles particulis ita cumulatis utitur, sed aut *μὲν οὖν* aut *μὲν δή* adhibet. Cum accedat quod *οὖν* omittitur a cod. Lb et Mb non dubito, quin legendum sit: *πρῶτον μὲν δή*. Antequam pergamus videtur addendum esse, usum particularum *μὲν δή* apud Aristotelem multo artioribus finibus circumscriptum esse quam apud Platonem et alios scriptores. Sic nunquam invenitur *καὶ μὲν δή* nullo verbo interposito (cf. Krüger. Griechische Sprachlehre I. 69. 35. 1), *ἀλλὰ μὲν δή* (quod saepissime apud Platonem, cf. Theaet. 143. B, Phaedon 75. A, Gorg. 471. A, 492. E, 506. D; praeterea Ast. lexic. Plat. II. 303), *οὐ μὲν δή* (cf. Krüger l. l. Ast. l. l.), sed in iis locutionibus non tam particula *δή* quam *μέν* aliter adhibetur atque apud Aristotelem fit.

Particulae *γὰρ δή* conjunctae, quarum utraque eandem quam per se ipsa habet vim retinet, maxime in Metaphysicis, Physicis, Politicis, libris de anima inveniuntur, cf. de anim. 407. a. 5, 10, 411. b. 7, 419. a. 33, 420. b. 32, 425. b. 2, 428. a. 29 (saepissime verbo interposito *γέ* additur), in ceteris scriptis multo rarius, in Ethicis his tantum locis: 1123. b. 20, 1178. b. 19. *καὶ γὰρ δὴ καί* v. Phys. 194. a. 15, Pol. 1283. b. 30. *ἀλλὰ γὰρ δή*, quod apud Platonem saepe (cf. Ast. lexicon Plat. I. 101), apud Theophrastum rarissime (v. histor. pl. II. 8. 3) in usu est, ab Aristotele omnino non adhibetur. *Ἀλλὰ δή*, cf. Hartung l. l. 266, 289, in Physicis tantum invenitur, cf. 214. a. 28: *οὐδεμία δ᾽ ἀνάγκη, εἰ κίνησις ἔστι, εἶναι κενόν. ὅλως μὲν οὖν πάσης κινήσεως οὐδαμῶς, διὸ καὶ Μέλισσον ἔλαθεν· ἀλλοιοῦσθαι γὰρ τὸ πλῆρες ἐνδέχεται. ἀλλὰ δὴ οὐδὲ τὴν κατὰ τόπον κίνησιν.* 237. b. 34: *ἀλλὰ δὴ κἂν εἰ μὴ ἰσοταχῶς, διαφέρει οὐθέν* opponuntur verbis: *ὅτι μὲν οὖν εἴ τι ἰσοταχῶς κινοῖτο, ἀνάγκη τὸ πεπερασμένον ἐν πεπερασμένῳ κινεῖσθαι, δῆλον* (vers. 26—28). 249. b. 14: *ἀλλὰ δὴ πότερον εἰς τὸ πάθος*

δεῖ βλέψαι, ἐὰν ἢ ταὐτὸν ἢ ὅμοιον, εἰ ἰσοταχεῖς αἱ ἀλλοιώσεις, ἢ εἰς τὸ ἀλλοιούμενον. In libris subditiciis invenitur: Ethic. Eudem. 1227. b. 25 (1244. a. 24 Fritzschius proponit); de Xenophan. 976. b. 19; Magna Moral. 1194. b. 19, 22, 1201. a. 9, 1204. a. 26, 1205. a. 25, 1206. a. 28. Apud Theophrastum quoque in usu est, v. hist. plant. I. 7. 3, 1. 14. 5.

Δή post εἰ (multo rarius post ἐάν) positum indicat, id quod enuntiatione conditionali afferatur, manifestum vel notum esse. Qui usus cum notissimus sit atque saepissime in omnibus scriptis inveniatur, exempla afferre non opus est. Cf. Krische. Göttinger gelehrte Anzeigen 1834. pag. 1885. εἴπερ δή num Aristoteles adhibuerit, dubitari potest, cum uno illo loco ubi invenitur, Pol. 1289. a. 24, quid legendum sit non constet. Verba enim haec sunt: οὐ γὰρ οἰόντε τοὺς αὐτοὺς νόμους συμφέρειν ταῖς ὀλιγαρχίαις οὐδὲ ταῖς δημοκρατίαις πάσαις, εἴπερ δὴ πλείους καὶ μὴ μία δημοκρατία μηδὲ ὀλιγαρχία μόνον ἐστίν, sed in compluribus codicibus (cf. Stahr. ad. h. l.) πλείω legitur, quod ex πλείους quomodo corrumpi potuerit cum non appareat, Stahrius proposuit: εἴπερ εἴδη πλείω, quae conjectura simillimo loco 1289. b. 13 quodammodo confirmatur: ἡμῖν δὲ πρῶτον μὲν διαιρετέον πόσαι διαφοραὶ τῶν πολιτειῶν, εἴπερ ἔστιν εἴδη πλείονα τῆς τε δημοκρατίας καὶ τῆς ὀλιγαρχίας. In Theophr. histor. plant. εἴπερ δή invenitur VI. 6. 3. Idem quod de εἰ δή valet de ἐπεὶ δή, quod nonnullis locis rectissime pro ἐπειδή vel ἐπεὶ δέ *) restitutum est. Paucis locis δή post ὡς sequente participio adhibetur, v. Poetic. 1455. a. 15 (cf. Vahlen. Sitzungsberichte der K. K. Akademie. Philos.-hist. Classe vol. 38. p. 73, cujus conjecturam Susemihlius recepit), Ethic. 1163. a. 3.

Ex iis quae attuli omnibus fere locis particulam δή explicari posse quamquam confido, nonnullos tamen locos esse non ignarus sum, qui ita a vulgari Aristotelis dicendi usu dissentiant, ut dubitari possit, utrum philosophus ipse ita scripserit an librariorum culpa mendum exortum sit. Cf.

---

*) Ut unum exemplum afferam cf. Metaph. 1026. b. 2, ubi Bonitzius rectissime ἐπεὶ δή restituit, cum in plerisque codicibus ἐπεὶ δέ legatur, in ET ἐπειδή, apud Alex. ἐπειδὴ οὖν.

Pol. 1264. b. 9, ubi Bekkerus in editione majore scripsit: τοῦτο δὲ στάσεως αἴτιον γίνεται καὶ παρὰ τοῖς μηδὲν ἀξίωμα κεκτημένοις, ῇ πού γε δὴ παρά γε θυμοειδέσι καὶ πολεμικοῖς ἀνδράσιν, cf. Klotz. annot. ad Dev. 597, in minore ἥπουθεν δή (codices enim inter se dissentiunt). Sed cum neutra lectio ullo alio loco quodammodo simili probetur, nescire me fateor, quid de loco statuendum sit. –

Antequam ad aliam transeamus particulam, paucis verbis videtur comprehendendum esse, quem ad modum in particula δή adhibenda Aristoteles ab iis distct, qui ante eum scripserunt. Et quidem hoc discrimen summum esse puto, quod δή apud eum multo saepius ita usurpatur, ut non solum intra enuntiatum, in quo positum est, vim exerceat, sed etiam indicet, quomodo illud cum iis quae antecedunt cohaereat; contra multo rarius ita adhibetur, ut suum tantum enuntiatum afficiat. Quod ut exemplis demonstrem, affero δή apud eum post superlativum, post v. πολύς, post adverbia temporalia (maxime νῦν) nullo loco inveniri, neque γὲ δή neque ἵνα δή in usu esse. Apparet igitur quantum distet Aristoteles a Platone, qui δή omnibus illis rationibus saepissime adhibet. Sed scriptores librorum pseudoaristoteleorum et Theophrastus haud raro redierunt ad usum eorum qui ante Aristotelem scripserunt. Sic ut ex Theophrasto exemplum afferam cf. histor. plant. III. 7. 6: εἰ δέ γε δή, IV. 2. 7: καί-γὲ δή, IV. 4. 5: ὥς γε δή. Postremo repeto quia res videtur gravissima esse, δή in aliis scriptis multo saepius adhiberi quam in aliis: saepissime enim invenitur in Ethicis (de discrimine, quod inter singulos libros intercedit, supra dictum est), sequuntur hoc ordine: Metaphysica, Physica, libri de anima, Politica; multo rarius in Rhetoricis et Poeticis in usu est. Quod quomodo explicandum sit hoc loco perscrutari longum est.

Cap. V.

De particulis conclusivis ἄρα, τοίνυν, ὡς, ὥστε **et finalibus** ἵνα, ὅπως, ὡς, μή.

Ἄρα *) sine alia particula positum apud Aristotelem vulgo conclusionem indicat, praeterea autem invenitur: ἀλλ' ἄρα: Metaphys. 1033. a. 1; Phys. 248. a. 16. Bonitzius, cf. Aristotelische Studien I. 73, scripsit ἀλλ' ἆρα, particulas ἄρα et ἆρα nonnullis locis inter se commutatas esse rectissime monens. εἰ ἄρα: Metaph. 1015. b. 14, Phys. 260. b. 5. εἰ ἄρα in interrogatione obliqua adhiberi recte Vahlenius, cf. Beiträge zur Aristotelischen Poetik pag. 43, negat, cum iis locis quibus nunc legitur non codicibus tradatur, sed e conjectura scriptum sit. Itaque et Poet. 1449. a. 7 et Met. 995. b. 27 non εἰ ἄρα, sed cum illo ἆρα legendum est. πλὴν εἰ ἄρα: Metaph. 984. b. 3. εἰ μὴ ἄρα, quod „nisi forte" fere significat, cf. Bäumlein. Griechische Partikeln pag. 28, invenitur: Ethic. 1181. b. 11, Metaph. 1056. b. 12; εἴπερ ἄρα: Met. 1044. b. 4, 1087. b. 28; ἐὰν δ'ἄρα: Polit. 1315. a. 10; ὅτι-ἄρα: Poet. 1455. b. 11; ὡς ἄρα: Phys. 240. a. 21. Particulae ἄρα in apodosi positae satis multa exempla vid. apud Bonitzium: Aristotelische Studien II et III. pag. 14, 19, 28, 36, 40. Invenitur autem ἄρα saepissime in Metaphysicis **) (plus octagies, sed ita differunt libri ut raro in prioribus, in posterioribus multo saepius adhibeatur), Physicis (maxime in libro octavo), Ethicis; haud-raro in libris de anima et Poeticis (pro hujus libelli ambitu); in Politicis duodecies, in Rhetoricis septies usurpatur. Simili modo scripta subditicia inter se differunt. Saepissime enim ἄρα invenitur in Magnis Moralibus ***), maxime in libro priore:

---

*) Cf. Heller. Philolog. XIII. pag. 68—121.

**) Klotzius igitur non recte l. l. 173 dicit: „Cum ἄρα non tam apte concludat, in familiari sermone, in dialogis, in liberiore narrandi genere saepe numero usurpatur, multo rarius invenitur in accuratioribus philosophorum conclusionibus."

***) Magnorum Moralium hoc proprium est, quod locutiones nonnullae saepissime repetuntur, quo factum est, ut particulae quaedam saepius quam in ullo Aristotelis libro inveniantur.

1181. b. 24, 26, 1182. a. 1, b. 2, 5, 30, 1183. a. 18, 23, 1184. a. 12, 37. b. 14, 27, 28, 30, 35, 1185. b. 25, 26, 30, 1186. a. 20, 26, 31, 35, b. 23, 24, 1188. a. 9, 10, 22, 29, 32, 35, b. 24, 37, 1189. a. 21, b. 1, 1190. a. 15, 29, 33, b. 14, 18, 32, 1192. a. 6, 32, b. 11, 1193. b. 8, 23, 31, 1195. b. 12, 17, 18, 33, 1196. a. 4, 10, 13, 16, b. 26, 1197. b. 2, 1198. b. 1; in libro altero: 1199. a. 22, 1201. a. 23, 32, 34, b. 29, 1204. a. 1, 1206. a. 23, 1210. a. 4, 1212. a. 25, b. 4, 1213. a. 4. Contra in Rhetoricis ad Alexandrum, Physiognomicis, aliis libris raro adhibetur. Etiam in Theophrasti historia plantarum ἄρα significatione conclusiva rarissime utitur, saepius vero in enuntiationibus conditionalibus locum habet. Sed certae sunt locutiones, in quibus ἄρα ita usurpatur, aut enim dicit: πλὴν εἰ ἄρα: histor. plant. II. 2, 2, IV. 5. 3, 15. 1; aut ἐὰν δ᾽ ἄρα: I. 14. 1; aut εἴ τις ἄρα vel εἴ τινες ἄρα: I. 14. 1, III. 7. 3; aut εἰ μὴ ἄρα: I. 13. 4, IV. 13. 4, VII. 4. 9, IX. 16. 6. Apparet igitur quam certas leges Theophrastus in particulis adhibendis observet.

Sed redeamus ad Aristotelem. In particula τοίνυν (cf. Fritzsche. ad Ethic. Nicom. 1165. a. 10) usurpanda simili fere modo atque in particula ἄρα scripta et Aristotelea et pseudoaristotelea inter se dissentiunt. Saepe enim τοίνυν invenitur in Metaphysicis, Physicis, Politicis (in quibus ἄρα raro in usu est), multo rarius in ceteris. Inter libros subditicios Rhetorica ad Alexand., Physiognomica, alia scripta, in quibus τοίνυν rarissime usurpatur, valde differunt a Magnis Moralibus, ubi simili modo atque ἄρα etiam τοίνυν, maxime in libro priore, saepissime adhibetur: 1182. b. 27, 1183. a. 6, 1184. a. 15, b. 1, 6, 17, 22, 31, 1185. a. 36, 1186. a. 9, 33, b. 4, 1187. b. 4, 16, 1188. a. 38, 1189. a. 31, 1190. b. 21, 1191. b. 34, 1193. b. 19, 1198. b. 2; in libro altero: 1201. b. 33, 1203. a. 14, 1207. a. 18, 1212. b. 31, 1213. a. 30.

Sententiam ut ita dicam secundariam ex iis quae antecedunt sequi particulis ὡς et ὥστε significatur, ὡς vero ea vi apud optimos scriptores Atticos rarissime *) utitur. Idem usus

*) Krüger. Griechische Sprachlehre I. §. 65. 3. 4.

τρόπον καὶ ὁ Τίμαιος φυσιολογεῖ τὴν ψυχὴν κινεῖν τὸ σῶμα· τῷ γὰρ κινεῖσθαι αὐτὴν καὶ τὸ σῶμα κινεῖν διὰ τὸ συμπεπλέχθαι πρὸς αὐτό· συνεστηκυῖαν γὰρ ἐκ τῶν στοιχείων, καὶ μεμερισμένην κατὰ τοὺς ἁρμονικοὺς ἀριθμούς, ὅπως αἴσθησίν τε σύμφυτον ἁρμονίας ἔχῃ καὶ τὸ πᾶν φέρηται συμφώνους φοράς, τὴν εὐθυωρίαν εἰς κύκλον κατέκαμψεν. Phys. 185. b. 26: ἐθορυβοῦντο δὲ καὶ οἱ ὕστεροι τῶν ἀρχαίων ὅπως μὴ ἅμα γίνηται αὐτοῖς τὸ αὐτὸ ἓν καὶ πολλά. Contra regulam autem quam statui videntur duo loci facere. Pol. 1320. a. 35: τεχναστέον οὖν ὅπως ἂν εὐπορία γένοιτο χρόνιος, sed videtur eo loco particula ὅπως vi plane relativa uti, cf. Bäumlein. Griechische Modi. pag. 316. Ethic. 1177. b. 9—12 vulgo legitur: οὐδεὶς γὰρ αἱρεῖται τὸ πολεμεῖν τοῦ πολεμεῖν ἕνεκα, οὐδὲ παρασκευάζει πόλεμον· δόξαι γὰρ ἂν παντελῶς μιαιφόνος τις εἶναι, εἰ τοὺς φίλους πολεμίους ποιοῖτο, ἵνα μάχαι καὶ φόνοι γίνοιντο, at optativus non inest in optimis codicibus, sed Kb et Ob praebent γίγνηται, quod cum pluralis numerus desideretur ferri nequit, Mb γίνωνται, quae lectio cum vulgari Aristotelis dicendi usui conveniat sine dubio recipienda est. Aristoteles igitur videtur nullo loco optativum post particulas finales adhibuisse.

Transeamus ad singularum particularum usum. Particulas ἵνα et ὅπως cum conjunctivo constructas prorsus eadem significatione uti, ex talibus locis effici potest, quibus promiscue ὅπως et ἵνα usurpantur; cf. de anima 435. b. 19—25, ubi Torstrikius ita legit: τὰς δ' ἄλλας αἰσθήσεις ἔχει τὸ ζῷον, ὥσπερ εἴρηται, οὐ τοῦ εἶναι ἕνεκα, ἀλλὰ τοῦ εὖ, οἷον ὄψιν, ἐπεὶ ἐν ἀέρι καὶ ὕδατι, ὅπως ὁρᾷ, ὅλως δ' ἐπεὶ ἐν διαφανεῖ, γεῦσιν δὲ διὰ τὸ ἡδὺ καὶ λυπηρόν, ἵνα αἰσθάνηται τὸ ἐν τροφῇ καὶ ἐπιθυμῇ καὶ κινῆται, ἀκοὴν δὲ ὅπως σημαίνηταί αὐτῷ [γλῶτταν δὲ ὅπως σημαίνῃ τι ἑτέρῳ] (Bekkerus et Trendelenburgus: ἀκοὴν δὲ ὅπως σημαίνῃ τι αὐτῷ, γλῶτταν δὲ ὅπως σημαίνῃ τι ἑτέρῳ). Ethic. 1125. a. 6—7: οὔτε γὰρ ἵνα ἐπαινῆται μέλει αὐτῷ οὔτ' ὅπως οἱ ἄλλοι ψέγωνται, οὐδ' αὖ ἐπαινετικός ἐστιν. Videtur igitur Aristoteles propter hanc solam causam modo ἵνα modo ὅπως adhibuisse ut evitaret molestam ejusdem particulae repetitionem. Jam accuratius de ὅπως dicendum est. Cum dubitatum sit, num ὅπως cum conjunctivo aoristi primi

Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften zu Wien. Philos.-histor. Classe. vol. 38. pag. 92), quam ob rem delendum atque ὅπως cum iis quae antecedunt conjungendum est.

Ὅπως ἄν cum conjunctivo aut vi relativa aut finali utitur. Vis plane relativa inest: Phys. 196. a. 22: ἄτοπον οὖν εἴτε μὴ ὑπελάμβανον εἶναι εἴτε οἰόμενοι παρέλειπον, καὶ ταῦτ' ἐνίοτε χρώμενοι, ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς οὐκ ἀεὶ τὸν ἀέρα ἀνωτάτω ἀποκρίνεσθαί φησιν, ἀλλ' ὅπως ἂν τύχῃ. Phys. 208. b. 16: ἡμῖν μὲν γὰρ οὐκ ἀεὶ τὸ αὐτό, ἀλλὰ κατὰ τὴν θέσιν, ὅπως ἂν στραφῶμεν, γίνεται. Ethic. 1124. a. 15: μάλιστα μὲν οὖν ἐστίν, ὥσπερ εἴρηται, ὁ μεγαλόψυχος περὶ τιμάς, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ περὶ πλοῦτον καὶ δυναστείαν καὶ πᾶσαν εὐτυχίαν καὶ ἀτυχίαν μετρίως ἕξει, ὅπως ἂν γίνηται. Significationem magis finalem *) habet: Polit. 1319. b. 25: φυλαί τε γὰρ ἕτεραι ποιητέαι πλείους καὶ φρατρίαι, καὶ τὰ τῶν ἰδίων ἱερῶν συνακτέον εἰς ὀλίγα καὶ κοινά, καὶ πάντα σοφιστέον ὅπως ἂν ὅτι μάλιστα ἀναμιχθῶσι πάντες ἀλλήλοις, αἱ δὲ συνήθειαι διαζευχθῶσιν αἱ πρότερον. Ethic. 1140. a. 12: ἔστι δὲ τεχνὴ πᾶσα περὶ γένεσιν, καὶ τὸ τεχνάζειν καὶ (καί delendum est, ut jam Muretus, Coraes, Fritzschius viderunt) θεωρεῖν ὅπως ἂν γένηταί τι τῶν ἐνδεχομένων καὶ εἶναι καὶ μὴ εἶναι. Utroque vero loco ὅπως vim relativam non plane exuisse apparet.

Particulae ὡς significatione finali usurpatae unum tantum nisi fallor exemplum exstat: Phys. 204. b. 25: εἰσὶ γάρ τινες οἳ τοῦτο ποιοῦσι τὸ ἄπειρον, ἀλλ' οὐκ ἀέρα ἢ ὕδωρ, ὡς (ὅπως in codice l) μὴ τἄλλα φθείρηται ὑπὸ τοῦ ἀπείρου αὐτῶν. ὡς ἂν et cum conjunctivo (v. Fritzsche. ad Ethic. Nic. 1165. a. 34) et cum optativo saepissime conjungitur, sed ita ut ὡς particula plane relativa sit. Μή particula finalis fere nusquam ab Aristotele adhibetur, cum ἵνα μή vel ὅπως μή dicere soleat; cf. Rhetor. 1411. a. 29: καὶ ὥσπερ Κηφισόδοτος εὐλαβεῖσθαι ἐκέλευε μὴ πολλὰς ποιήσωσι τὰς συνδρομὰς ἐκκλησίας.

Pauca addere liceat de particula μή per ellipsin **) et

*) Cf. de ὅπως ἄν in sententiis finalibus G. Hermann. de partic. ἄν opusc. IV. 119—123.

**) Cf. G. Hermann. de ellipsi et pleonasmo opusc. I. 228—241.

in interrogatione obliqua adhibita. Ad particulam *μή* elliptice usurpatam, ut hoc primum moneam, non ubique verbum timendi ipsum supplendum est, sed quod Frankius, cf. de particulis negantibus linguae graecae commentatio III. pag. 18, de verbis *οὐ μή* per ellipsin explicandis dicit, huc quoque pertinet: „Simplicissima sane haec ratio explicandi est, modo ne Graecos illud *δεινόν* vel aliud vocabulum quo metus significaretur quovis loco inter *οὐ* et *μή* mente et cogitatione supplevisse putemus, sed omnino metuendi vel verendi notionem eorum menti obversatam esse statuamus". Causa vero cur de eo particulae *μή* usu apud Aristotelem mihi dicendum esse putem, haec est quod editores dissentiunt, utrum praeter conjunctivum post *μή* et *μὴ οὐ* indicativus quoque ferri possit necne. Conjunctivus quidem ponatur necesse videtur, cum eadem in ellipsi particulae *μή* ratio sit atque post verba timendi, ubi apud Aristotelem indicativus nullo loco adhibetur, sed videndum est, ne eorum locorum, ubi post *μή* elliptice usurpatum indicativus codicibus traditur, sententia alia sit atque eorum, quibus conjunctivus invenitur. Videamus igitur accuratius. Conjunctivus vulgo legitur: Pol. 1291. a. 7: *ὃ τούτων οὐθὲν ἧττόν ἐστιν ἀναγκαῖον ὑπάρχειν, εἰ μέλλουσι μὴ δουλεύσειν τοῖς ἐπιοῦσιν. μὴ γὰρ ἓν τῶν ἀδυνάτων ᾖ πόλιν ἄξιον εἶναι καλεῖν τὴν φύσει δούλην*, ubi conjunctivus ᾖ ab indicativo *ἐστίν* valde differt. Eth. 1172. b. 36: *οἱ δ' ἐνιστάμενοι ὡς οὐκ ἀγαθὸν οὗ πάντ' ἐφίεται μὴ οὐθὲν λέγωσιν*, ubi codices deteriores L^b N^b *λέγουσιν* praebent. Eth. 1179. b. 24: *ὁ δὲ λόγος καὶ ἡ διδαχὴ μή ποτ' οὐκ ἐν ἅπασιν ἰσχύῃ, ἀλλὰ δέῃ προδιειργάσθαι τοῖς ἔθεσιν* (ita Bekk., K^b L^b *ἰσχύει*, M^b O^b *ἐνισχύῃ*, L^b *δέει*, M^b *δεῖ*), ubi *ἰσχύῃ* legendum videtur, contra utrum *δεῖ* an *δέῃ* scribendum sit dubitari potest, cum eam enuntiationis partem, quae a verbo *ἀλλά* incipit, non opus sit ex particula *μή* pendere. Ex locis, quos modo attuli, cum codices non inter se consentiant, colligi potest, illum particulae *μή* usum non ab omnibus librariis intellectum esse, quod si conceditur vix dubium erit, utrum indicativum ab Aristotele ipso adhibitum an a librarios falso scriptum esse statuendum sit. Invenitur autem indicativus: Ethic. 1172. a. 33: *μήποτε δὲ οὐ καλῶς τοῦτο λέγεται*, Ethic. 1173. a. 22: *εἰ δ' ἐν ταῖς ἡδο-*

ναῖς, μήποτ' οὐ λέγουσι τὸ αἴτιον, quos locos eorum ubi conjunctivus traditus est simillimos esse apparet. Cum autem Aristotelem in eodem libro ad eandem sententiam significandam modo conjunctivum modo indicativum adhibuisse minime verisimile sit, conjunctivum restituendum esse censeo quod mutatione minutissima fieri elucet: 1172. a. 33: λέγεται-λέγηται, 1173. a. 22: λέγουσι-λέγωσι. Quodsi ita de iis locis judicamus, etiam Polit. 1263. a. 41: μὴ γὰρ οὐ μάτην τὴν πρὸς αὐτὸν αὐτὸς ἔχει φιλίαν, ἀλλ' ἔστι τοῦτο φυσικόν cet., ἔχῃ (quod jam Schneiderus et Coraes voluerunt) et Ethic. Eudem. 1244. a. 10: μὴ γάρ τι λέγει Εὐριπίδης cet., λέγῃ (cum editione Basil. 1539, Casaubono, Sylburgio) legendum est*). μὴ οὐ, cf. G. Hermann. Viger. pag. 795 sqq., cum infinitivo perraro adhibetur (cum participio nisi fallor nullo loco): Metaph. 982. b. 31: διὸ καὶ δικαίως ἂν οὐκ ἀνθρωπίνη νομίζοιτο αὐτῆς ἡ κτῆσις· πολλαχῇ γὰρ ἡ φύσις δούλη τῶν ἀνθρώπων ἐστίν, ὥστε κατὰ Σιμωνίδην θεὸς ἂν μόνος τοῦτο ἔχοι γέρας, ἄνδρα δ' οὐκ ἄξιον μὴ οὐ ζητεῖν τὴν καθ' αὐτὸν ἐπιστήμην (cf. de eo loco Bonitz. comment. in Metaph. pag. 54, 55). Metaph. 1084. a. 1: ἔτι νάάγκη ἤτοι ἄπειρον τὸν ἀριθμὸν εἶναι ἢ πεπερασμένον· χωριστὸν γὰρ ποιοῦσι τὸν ἀριθμόν, ὥστε οὐχ οἷόντε μὴ οὐχὶ τούτων θάτερον ὑπάρχειν. Addo locum ex Magnis Moralibus 1210. a. 32: ἐὰν οὖν πλείω ἀγαθὰ σύ μοι ποιῇς ἢ ἐγὼ σοί, οὐδ' ἀμφισβητῶ ἔτι μὴ οὐ δεῖν σε μᾶλλον ὑπ' ἐμοῦ φιλεῖσθαι. Οὐ μή neque apud Aristotelem neque in libris pseudoaristoteleis neque apud Theophrastum invenitur, id quod par est, cum enim οὐ μή, cf. Franke. de partic. neg. III. pag. 18, gravissime et cum singulari quodam πάθει rem neget, in talibus scriptis ferri nequit, quibus illud πάθος non convenit; cf. Franke. l. l. pag. 19.

Addo nonnulla de particula μή in interrogatione obliqua adhibita, qui usus a nonnullis, sed sine dubio injuria, cum elliptico illo,

---

*) Theophrasti quoque usus pro nostra sententia facit. Cf. locos ex causis plantarum, quos Schneiderus in indice affert: II. 11. 10: ἀλλὰ μή ποτ' οὐ τοῦτο ᾖ τὸ αἴτιον. I. 5. 3: ἀλλὰ μή ποτ' οὐκ ᾖ τοῦτ' ἀληθές (ubi erat ἦν).

de quo vidimus, confunditur. Particula ita adhibita vulgo cum indicativo construitur ita ut μή indicet eum qui dicat expectare ut affirmetur *) sententia, μὴ οὐ ut negetur. Cf. Polit. 1339. b. 42: οὐ μὴν ἀλλὰ ζητητέον, μήποτε τοῦτο μὲν συμβέβηκε, τιμιωτέρα δ' αὐτῆς ἡ φύσις ἐστὶν ἢ κατὰ τὴν εἰρημένην χρείαν. Pol. 1265. a. 28: καὶ τὸ πλῆθος δὲ τῆς κτήσεως ὁρᾶν δεῖ, μήποτε βέλτιον ἑτέρως διορίσαι τῷ σαφῶς μᾶλλον. Phys. 259. b. 3: ταῦτα δὴ καὶ δόξαν παρεῖχε, μήποτ' ἐνδέχεται κίνησιν ἐγγίνεσθαι μὴ οὖσαν ὅλως, διὰ τὸ ἐν τούτοις ὁρᾶν ἡμᾶς τοῦτο συμβαῖνον. μή-οὐ invenitur: Ethic. 1159. a. 6: ὅθεν καὶ ἀπορεῖται, μή ποτ' οὐ βούλονται οἱ φίλοι τοῖς φίλοις τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν, οἷον θεοὺς εἶναι (cf. Fritzsche. ad h. l.). Indicativi loco etiam optativus cum ἂν poni potest, cf. Metaph. 1093. b. 5: ὁρᾶν δὲ δεῖ, μὴ τοιαῦτα οὐθεὶς ἂν ἀπορήσειεν οὔτε λέγειν οὔτ' εὑρίσκειν ἐν τοῖς ἀϊδίοις, ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς φθαρτοῖς. Etiam conjunctivus **) adhibetur, cum in particula μή significatio prohibendi et timendi quae videtur prima esse quodammodo remanserit, neque tamen praeter Metaphysicorum libros M et N ***) is usus certe constat. Cf. Metaph. 1090. b. 8: δεῖ δὴ καὶ τοῦτον ὁρᾶν τὸν λόγον, μὴ λίαν ᾖ μαλακός, ubi μή non vi finali adhibitum esse eo apparet, quod de aliorum philosophorum sententia Aristoteles dicit. 1079. b. 6: εἰ δὲ τὰ μὲν ἄλλα τοὺς κοινοὺς λόγους ἐφαρμόττειν θήσομεν τοῖς εἴδεσιν, οἷον ἐπ' αὐτὸν τὸν κύκλον σχῆμα ἐπίπεδον καὶ τὰ λοιπὰ μέρη τοῦ λόγου, τὸ δ' οὗ ἐστὶ προςτεθήσεται, σκοπεῖν δεῖ, μὴ κενὸν ᾖ τοῦτο παντελῶς. Pol. 1265. b. 24 et codices et editiones dissentiunt, cf. Stahr. ad h. l., Bekkerus cum aliis legit: καὶ τὴν τῶν οἰκοπέδων δὲ διαίρεσιν δεῖ σκοπεῖν, μή ποτ' οὐ συμφέρῃ πρὸς οἰκονομίαν, alii indicativum συμφέρει praeferunt. His assentiendum esse puto cum conjunctivus prae-

---

*) Bäumleinium errare qui, cf. Untersuchungen über die griech. Modi pag. 101, aliam particulae μή in interrogationibus obliquis adhibitae vim esse censet, ex locis apparebit, quos ex Aristotele afferam.

**) Cf. Krüger. Griechische Sprachlehre II. §. 69. 47. annot..

***) De iis libris cf. V. Rose. l. l. pag. 156, 157.

ter illos locos ex Metaphysicorum libris M et N apud Aristotelem non inveniatur, indicativus autem in ipsis Politicis in usu sit, vid. pag. 58.

Cap. VI.

De particulis conditionalibus.

De particularum conditionalium usu apud Aristotelem cum dicturus sim, ante omnia de ea re disputandum est, num *εἰ* cum conjunctivo construatur. Cum enim eam dicendi rationem apud optimos scriptores Atticos inveniri quidem sed satis raro *) plerique grammatici statuant, fuere qui contenderent, inde ab Aristotele eum usum increbruisse, sic Klotzius, cf. annot. ad Devarium pag. 506, dicit: „Sed Aristoteles jam saepius *εἰ* particulam composuit cum conjunctivo". Exempla quae ille ad sententiam confirmandam affert haec sunt (locum ex lib. de somn. et vigil. praetermitto): Polit. 1261. a. 27: *βοηθείας γὰρ χάριν ἡ συμμαχία πέφυκεν, ὥσπερ ἂν εἰ σταθμὸς πλεῖον ἑλκύσῃ.* Pol. 1260. b. 31: *κἂν εἴ τινες ἕτεραι τυγχάνωσιν ὑπό τινων εἰρημέναι καὶ δοκοῦσαι καλῶς ἔχειν.* Pol. 1279. b. 22: *ὁμοίως δὲ πάλιν κἂν εἴ που συμβαίνῃ τοὺς ἀπόρους ἐλάττους μὲν εἶναι τῶν εὐπόρων* cet.. Ethic. 1132. a. 11: *λέγεται γὰρ ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις, κἂν εἰ μή τισιν οἰκεῖον ὄνομα ᾖ, τὸ κέρδος.* Eth. 1150. a. 15: *μεταξὺ δ'ἡ τῶν πλείστων ἕξις κἂν εἰ ῥέπωσι μᾶλλον πρὸς τὰς χείρους.* Praeterea unum tantum locum inveni: Poet. 1447. a. 24: *ἅπασαι* (scil. *αἱ εἰρημέναι τέχναι*) *μὲν ποιοῦνται τὴν μίμησιν ἐν ῥυθμῷ καὶ λόγῳ καὶ*

---

*) Cf. G. Hermann, de praeceptis quibusdam Atticistarum opusc. I. 275—281, de particula *ἂν* opusc. IV. pag. 96 sqq., sed Hermanni sententia de ea re non eadem semper fuit, cum annot. ad Viger. pag. 828 dicat: „Attici contra *εἰ* non construunt cum conjunctivo". Cf. praeterea Klotz. l. l. 499 sqq., Krüger. Griechische Sprachlehre. I. §. 54. 12. 3.

ἁρμονίᾳ. τούτοις δ' ἢ χωρὶς ἢ μεμιγμένοις, οἷον ἁρμονίᾳ μὲν καὶ ῥυθμῷ χρώμεναι μόνον ἥ τε αὐλητικὴ καὶ ἡ κιθαριστική, κἂν εἴ τινες ἕτεραι τυγχάνωσιν οὖσαι τοιαῦται τὴν δύναμιν, οἷον ἡ τῶν συρίγγων.

Sed Ethic. 1150. a. 15 indicativus inest in codicibus, Eth. 1132. a. 11 Kb solus ἤ, Ob δοκῇ, ceteri εἴη praebent. Restant igitur quattuor loci, ubi εἰ cum conjunctivo invenitur, omnes ita comparati, ut ἄν particulae εἰ antecedat, aut enim ὥσπερ ἂν εἰ aut κἂν εἰ dicitur. Itaque non sine causa maxime post ἂν εἰ conjunctivum poni grammatici statuerunt, cf. G. Hermann. de particula ἄν opusc. IV. pag. 102: „Saepe sic maxime apud Aristotelem εἰ praegresso ἄν". Antequam igitur dijudicemus, utrum conjunctivus ferri possit necne, de locutionibus illis ὥσπερ ἂν εἰ et κἂν εἰ dicendum est. ὥσπερ ἂν εἰ *) (atque simili modo καθάπερ ἂν εἰ, ὡς ἂν εἰ) per ellipsin quandam explicandum est, cum ad ὥσπερ ἄν verbum quod antecedit vel verbum substantivum supplendum sit; cf. Bäumlein. Griechische Modi. pag. 381. Particulae εἰ autem vis cum ea dicendi ratione omnino non mutetur, post ὥσπερ ἂν εἰ conjunctivum non defendi posse puto, nisi etiam post εἰ solum ponatur; quod cum nullo loco fiat, illo Politicorum loco optativum restituendum esse censeo: ὥσπερ ἂν εἰ σταθμὸς πλεῖον ἑλκύσειε. De ὥσπερ ἂν εἰ addiderim, sensim in unam fere notionem coaluisse, ut etiam si nullum verbum esset, quo particula εἰ referretur, ὥσπερ ἂν εἰ poni posset **); Metaphys. 1074. b. 17: εἴτε γὰρ μηθὲν νοεῖ, τί ἂν εἴη τὸ σεμνόν, ἀλλ' ἔχει ὥσπερ ἂν εἰ ὁ καθεύδων. Metaph. 1053. a. 35: Πρωταγόρας δ' ἄνθρωπόν φησι πάντων εἶναι μέτρον, ὥσπερ ἂν εἰ τὸν ἐπιστήμονα εἰπὼν ἢ τὸν αἰσθανόμενον. Phys. 223. b. 28: τοῦτο δ' ὅτι ταῦτα πάντα, τῷ χρόνῳ κρίνεται, καὶ λαμβάνει τελευτὴν καὶ ἀρχὴν ὥσπερ ἂν εἰ κατά τινα περίοδον. Poetic. 1460. b. 8: ἐπεὶ γάρ ἐστι μιμητὴς ὁ ποιητὴς ὥσπερ ἂν εἰ ζωγράφος ἤ τις ἄλλος εἰκονοποιός, ἀνάγκη μιμεῖσθαι τριῶν ὄντων cet..

De particulis κἂν εἰ cum et Buttmannus, ad Demosth. Mi-

---

*) Cf. Klotz. l. l. pag. 769.

**) Cf. Madvig. l. l. §. 139. c.

dianam §. 15, magis in universum et Vahlenius, cf. Beiträge zu Aristoteles Poetik pag. 35—37, Aristotelis usum respiciens optime disputaverint, pauca tantum habeo quae addam. Rectissime illi, ut hoc primum referam, statuerunt *κἂν εἰ* idem valere atque *καὶ ἂν εἰ* *) atque *ἂν* non ad enuntiationem conditionalem, sed ad apodosin pertinere, ita ut *καὶ εἰ τοῦτο ποιοίην, εὖ ἂν ποιοίην* (ut exemplo utar quod Buttmannus affert) mutaretur in: *κἂν εἰ τοῦτο ποιοίην, εὖ ποιεῖν*. Sed cum interpositum esset enuntiatum conditionale factum est ut vulgo *ἂν* in apodosi repeteretur atque jam res eo processit ut, cum magis magisque scriptores obliviscerentur, quid illud *ἂν* ante *εἰ* positum significaret, *κἂν εἰ* saepe nihil aliud valeret nisi *καὶ εἰ*. Id jam apud Platonem, Demosthenem, alios invenitur, sed apud nullum saepius quam apud Aristotelem, apud quem *κἂν εἰ* semper ita usurpatur ut si *καὶ εἰ* substitueremus **) nihil desideraremus. Inveniuntur tamen loci, ubi nihil impedit, quominus *ἂν* ex verbo *κἂν* ad apodosin referamus. De anima 422. a. 11: *διὸ κἂν εἰ ἐν ὕδατι εἶμεν, αἰσθανοίμεθ' ἂν ἐμβληθέντος τοῦ γλυκέος*. Metaph. 1040. b. 34: *καίτοι κἂν εἰ μὴ ἑωράκειμεν τὰ ἄστρα, οὐθὲν ἂν ἧττον οἶμαι ἦσαν οὐσίαι ἀΐδιαι παρ' ἃς ἡμεῖς ᾔδειμεν*. *καί-ἂν εἰ* verbo inter *καί* et *ἂν* interposito invenitur: Polit. 1290. b. 4: *καὶ γὰρ ἂν εἰ κατὰ μέγεθος διενέμοντο τὰς ἀρχάς, ὥσπερ ἐν Αἰθιοπίᾳ φασί τινες, ἢ κατὰ κάλλος, ὀλιγαρχία ἦν ἄν*. Sed multo saepius omnino nulla apodosis est ad quam *ἂν* referri possit, maxime in Politicis, in quibus, ut exemplum afferam, saepe compluribus rebus enumeratis postremo loco verbis *κἂν εἰ* aliquid additur, quod magis generale est. Cf. Pol. 1257. a. 38: *οἷον σίδηρος καὶ ἄργυρος κἂν εἴ τι τοιοῦτον ἕτερον*. 1341. a. 17—19: *δῆλον δὲ ἐκ τούτων καὶ ποίοις ὀργάνοις χρηστέον. οὔτε γὰρ αὐλοὺς εἰς παιδείαν ἀκτέον οὔτ' ἄλλο τεχνικὸν ὄργανον, οἷον κιθάραν κἂν εἴ τι τοιοῦτον ἕτερόν ἐστιν*. 1269. b. 26: *ἔξω Κελτῶν ἢ κἂν εἴ τινες ἕτεροι φανερῶς τετιμήκασι τὴν πρὸς τοὺς ἄρρενας συνουσίαν*. 1340.

*) Cf. Bonitz. Jenaische Literaturzeitung 1845. pag. 850, 851, ubi probavit, *κἂν εἰ* non particularum *καὶ ἐὰν εἰ* loco positum esse.

**) Scaliger ubique in libris Aristoteleis pro *κἂν εἰ καὶ εἰ* scripsit.

a. 37: *οὐ μὴν ἀλλ' ὅσον διαφέρει καὶ περὶ τὴν τούτων θεωρίαν, δεῖ μὴ τὰ Παύσωνος θεωρεῖν τοὺς νέους, ἀλλὰ τὰ Πολυγνώτου κἂν εἴ τις ἄλλος τῶν γραφέων ἢ τῶν ἀγαλματοποιῶν ἐστὶν ἠθικός.* 1323. a. 2: *ἰδίᾳ δὲ ταῖς σχολαστικωτέραις καὶ μᾶλλον εὐημερούσαις πόλεσιν, ἔτι δὲ φροντιζούσαις εὐκοσμίας, γυναικονομία, νομοφυλακία, παιδονομία, γυμνασιαρχία, πρὸς δὲ τούτοις περὶ ἀγῶνας ἐπιμέλεια γυμνικοὺς καὶ Διονυσιακούς κἂν εἴ τινες ἑτέρας συμβαίνει τοιαύτας γίνεσθαι θεωρίας.* 1290. a. 1, 1291. b. 27. Ubique *κἂν εἰ* idem valere atque *καὶ εἰ* locorum ipsorum ratione atque talibus locis demonstratur, quibus *καὶ εἰ* prorsus eodem modo adhibetur. Cf. Ethic. 1102. a. 10: *παράδειγμα δὲ τούτων ἔχομεν τοὺς Κρητῶν καὶ Λακεδαιμονίων νομοθέτας, καὶ εἴ τινες ἕτεροι τοιοῦτοι γεγένηνται.* Rhet. 1396. a. 16—20: *ὁμοίως δὲ καὶ ψέγουσιν ἐκ τῶν ἐναντίων, σκοποῦντες τί ὑπάρχει τοιοῦτον αὐτοῖς ἢ δοκεῖ ὑπάρχειν, οἷον ὅτι τοὺς Ἕλληνας κατεδουλώσαντο, καὶ τοὺς πρὸς τὸν βάρβαρον συμμαχεσαμένους καὶ ἀριστεύσαντας ἠνδραποδίσαντο Αἰγινήτας καὶ Ποτιδαιάτας, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα, καὶ εἴ τι ἄλλο τοιοῦτον ἁμάρτημα ὑπάρχει αὐτοῖς.* Sed etiam aliis rationibus *κἂν εἰ* eodem modo atque *καὶ εἰ* usurpatur, Pol. 1278. b. 6: *ἐπεὶ δὲ ταῦτα διώρισται, τὸ μετὰ ταῦτα σκεπτέον πότερον μίαν θετέον πολιτείαν ἢ πλείους, κἂν εἰ πλείους, τίνες καὶ πόσαι* sqq.. 1326. a. 16: *οὐ μὴν ἀλλὰ κἂν εἰ δεῖ κρίνειν πρὸς τὸ πλῆθος ἀποβλέποντας, οὐ κατὰ τὸ τυχὸν πλῆθος τοῦτο οἰητέον* cet.. Simili modo *κἂν εἰ* etiam in ceteris scriptis adhibetur, sed saepius praeter Politica in Metaphysicis tantum *), rarius in ceteris, maxime in Rhetoricis, ubi semel 1354. a. 25 usurpatur.

Dignissimum quod afferatur videtur hoc esse, *κἂν εἰ* neque apud Theophrastum neque in scriptis pseudoaristoteleis inveniri, praeter Ethica Eudemia, ubi cf. 1216. b. 1, 1222. b. 36, 1237. a. 21, 1240. a. 26, 1243. b. 10. Itaque usus ille particularum *κἂν εἰ* videtur post Aristotelis tempus abolevisse, quae res argumentum haud exiguum est, Ethica Eudemia inter

---

*) Differunt autem libri, cum *κἂν εἰ* in aliis saepius (in A, B), in aliis omnino non (in α, Δ, K, Λ) inveniatur.

omnia scripta, de quorum auctore dubitatur, maxime accedere *) ad Aristotelis et tempus et dicendi rationem. Theophrastus (moneo de talibus rebus quae minimae videntur quia ex iis maxime perspicitur quid cuique scriptori proprium sit) simili modo, atque Aristoteles κἂν εἴ τις vel καὶ εἴ τις, καὶ εἰ δή τις adhibet. Cf. histor. plant. II. 1. 3: αὕτη γὰρ οὐδ' ἀπὸ τῆς πρώρας ἀλλ' ἀπὸ τοῦ κλήματος φύεται καὶ εἰ δή τι τοιοῦτον ἕτερον ἢ δένδρον ἢ φρυγανῶδες. II. 2. 10: καθάπερ τὸ πέρσιον τὸ ἐξ Αἰγύπτου καὶ ὁ φοῖνιξ ἐν τῇ Ἑλλάδι καὶ εἰ δή τις κομίσειε τὴν ἐν Κρήτῃ λεγομένην αἴγειρον. III. 2. 1: ἅπαντα γὰρ οὕτως πλὴν εἴ τι σπάνιον ὥσπερ ἐπὶ τῶν κρανείων καὶ τῶν οὔων. ταῦτα γὰρ δή φασιν πεπαίτερα καὶ ἡδύτερα . τὰ ἄγρια τῶν ἡμέρων εἶναι καὶ εἰ δή τι ἄλλο μὴ ἐνδέχεται γεωργίαν ἢ δένδρον cet..

Sed revertendum est ad Aristotelem ut jam dijudicemus, num conjunctivus post κἂν εἰ ferri possit. Et quidem his causis permotus ferri posse nego: primum quod usus particulae εἰ in κἂν εἰ nullo modo distat a vulgari ratione qua εἰ adhibetur, nullus autem locus exstat, ubi εἰ non praecedente ἄν cum conjunctivo construitur; alterum quod loci ubi conjunctivus codicibus traditur eorum simillimi sunt, ubi codices indicativum praebent; tertium quod talibus modo locis conjunctivus invenitur, ubi minima mutatione ex indicativo nasci potuit: Pol. 1279. b. 22: συμβαίνῃ—συμβαίνει, Pol. 1260. b. 31 et Poetic. 1447. a. 24: τυγχάνωσιν—τυγχάνουσιν; postremum quod facillime fieri potuit, ut librarii cum illam dicendi rationem non intelligerent indicativum in conjunctivum mutarent. Quae cum ita sint, Bekkero assentiendum esse puto qui illis Politicorum locis et Vahlenio qui Poeticorum loco indicativum restituit. Itaque conjunctivum post εἰ ab Aristotele non adhiberi censeo.

Num idem valeat de scriptis pseudoaristoteleis certe confir-

*) Ethicorum Eudemiorum dicendi rationem prorsus fere cum libris Aristoteleis consentire, eo magis miramur, quod Theophrastus ab Aristotele valde distat, atque ea maxime res efficit, ut quodammodo dubitem num ab omni parte vera sint quae nunc homines docti de Eudemo Ethicorum illorum auctore statuunt. Quomodo enim explicas, Theophrastum permultis rebus ab Aristotele differre, Eudemum fere nullis?

mare haud ausus sim. In Ethicis Eudemiis quidem, ut de iis tantum dicam, εἰ cum conjunctivo his locis codicibus traditur: 1229. b. 40: δεῖ γάρ, εἰ ᾖ ἄνθρωπος, λογισμὸν ἐνεῖναι καὶ ἀρχὴν καὶ πρᾶξιν. 1224. b. 6: οὐ μὴν ἀλλ' εἴ τις προσθῇ τὸ ἐν τῷ διορισμῷ προςκείμενον κἀκεῖ, λύεται τὸ λεχθέν. 1225. a. 14: εἰ γὰρ ἵνα μὴ λάβῃ ψηλαφῶν ἀποκτείνῃ, γελοῖος ἂν εἴη εἰ λέγοι ὅτι βίᾳ καὶ ἀναγκαζόμενος. Sed dissentiunt homines docti, quid de iis locis statuendum sit. Fritzschius enim, cf. epistola critica de locis quibusdam Eudemeorum pag. 16, cum, 1219. b. 40 conjunctivum defendens, 1225. a. 14 ἀποκτείνῃ in ἀποκτείνοι mutasset, in editione Ethicorum Eudemiorum eam conjecturam retractavit. Contra Spengelium conjunctivus offendit, cum dicat (Aristotelische Studien II. 10) ad l. 1219. b. 40: „εἰ ᾖ ἄνθρωπος fortasse recentioris aetatis vestigium. Eudemus certe ita non scripsit pro εἴ ἐστιν" (fortasse ita locum sanare possumus ut pro εἰ ᾖ ἄνθρωπος legamus ᾗ ἄνθρωπος), ad l. 1224. b. 6 (l. l. pag. 15): „aut προσθείη τὸ aut si medium in usu est facilius προςθεῖτο τὸ", ad l. 1225. a. 14 (pag. 16): „scrib. ἀποκτείνοι". Cum Ethica Eudemia dicendi ratione minime ab Aristotele differant atque codicibus male tradita esse constet, Spengelio potius quam Fritzschio ut assentiam inclino *).

De particularum conditionalium usu apud Aristotelem addo, cum εἴπερ, cf. Fritzsche. ad Ethic. 1165. b. 14, in omnibus

---

*) Particulam εἰ saepissime excidisse addiderim. Restituta est, ut nonnulla exempla afferam, Polit. 1287. b. 6 a Schneidero secundum versionem Guilielmi de Moerbecka et Aretini, quem secuti sunt Coraes et Rassowius, cf. Jahresbericht über das Weimar. Gymnas. 1864. pag. 12; Ethic. 1147. b. 17 a Rassowio, cf. Jahresbericht über das Weimar. Gymnas. 1862. pag. 26; Physic. 202. a. 3 a Prantlio, vid. ad h. l.. Ethic. Eudem. 1220. b. 4, ubi in codicibus haec verba insunt: οὐδὲ γὰρ ἂν μυριάκις ῥίψῃς ἄνω τὸν λίθον, οὐδέποτε ποιήσει τοῦτο μὴ βίᾳ, Spengelius de verbis μὴ βίᾳ dicit: „num hoc graecum pro μὴ βιαζόμενος vel εἰ μὴ βίᾳ", cf. Aristotelische Studien. II. pag. 10. Hujus loci simillimos complures inveni; ut unum afferam, qui ipse quoque in Eudemiis invenitur, cf. 1249. a. 19, ubi codices habent: οὐ γίνεται δὲ ἡδονὴ μὴ ἐν πράξει, sed si quid video οὐ γίνεται δὲ ἡδονὴ εἰ μὴ ἐν πράξει legendum est (quam facile εἰ post ἡδονή omitti posset elucet).

scriptis haud raro adhibeatur, nullo loco εἴπερ γε inveniri nisi Metaph. 1071. b. 22: ἀϊδίους γὰρ δεῖ, εἴπερ γε καὶ ἄλλο τι ἀΐδιον, sed cum eo loco γέ in optimo codice Ab et codice T non insit delendum est. Rursus igitur apparet, quod jam saepius vidimus, veram lectionem, cum inveniatur in optimo codice, ab editoribus non receptam esse. Ἀλλ' εἴπερ, cf. Fritzsche. ad Eth. 1155. b. 30, saepe elliptice sine verbo adhibetur, v. Metaph. 1044. a. 9—11: καὶ ὥσπερ οὐδὲ ὁ ἀριθμὸς ἔχει τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον, οὐδ' ἡ κατὰ τὸ εἶδος οὐσία, ἀλλ' εἴπερ, ἡ μετὰ τῆς ὕλης. 992. b. 22, 1055. b. 10, 1070. a. 17. Ἐάν et ἄν (saepissime κἄν) cum permultis locis inveniantur, ἤν nullo loco in optimis codicibus insit, miror editores Poetic. 1457. a. 3 contra auctoritatem codicis Ac ἢν μὴ ἁρμόττῃ scripsisse *). Ethic. 1167. b. 33 per anacoluthiam quandam post particulam ἐάν secundum usum vulgarem cum conjunctivo constructam optativus cum ἄν sequitur: οἱ δ' εὖ πεποιηκότες φιλοῦσι καὶ ἀγαπῶσι τοὺς πεπονθότας, κἂν μηθὲν ὦσι χρήσιμοι μηδ' εἰς ὕστερον γένοιντ' ἄν, cf. ea quae Fritzschius in editione ad locum explicandum affert. ἐάνπερ non saepe invenitur, cf. Rhetor. 1417. b. 13, Polit. 1313. a. 4, Metaph. 1003. a. 16, 1038. a. 13, Phys. 215. a. 2, 218. a. 4.

Cap. VII.

De particulis temporalibus.

De particulis temporalibus cum de πρίν pag. 5—8 viderimus pauca afferre satis erit. Primum particulas ἕως, ἔστε, ἄχρι, μέχρι tractabo. ἕως cum genitivo, quod apud scriptores optimos

*) Lectio codicis Ac, de quo cf. Susemihl. praef. ad edit. Poetic. pag. VI: ἢν μὴ ἁρμόττει retinenda est.

Μέχρι conjunctionis loco ita ut cum conjunctivo construatur, fere solum in Politicis in usum venit. Cf. μέχρι (ς) οὗ ἂν cum conjunctivo: Polit. 1256. b. 11, de anim. 435. a. 7; μέχρι (ς) ἂν cum conjunctivo: Pol. 1319. b. 13, 1341. a. 13. Ἄχρι cum apud optimos scriptores Atticos raro *) inveniatur non offendimus quod apud Aristotelem omnino non in usu sit, sed eo magis mirum est, apud Theophrastum satis multis locis adhiberi. Invenitur enim in histor. plant. praepositionis loco: IV. 13. 3, VI. 5. 2, VII. 2. 5, 7. 4, 11. 3, 11. 4, VIII. 10. 4, IX. 4. 10, 14. 2. ἄχρι οὗ ἂν cum conjunctivo: II. 5. 4, II. 5. 5. ἄχρι οὗ cum conjunctivo sine ἄν: V. 1. 8: αὐξάνεται δὲ πρῶτον εἰς μῆκος ἄχρι οὗ δὴ ἀφίκηται, ubi quominus ἂν inserendum esse putemus, loco hujus simili de caus. plant. III. 16. 3 impedimur, quem Schneiderus in indice affert: ἄχρι οὗ πεπανθῶσιν. Frequens is usus particulae ab Aristotele prorsus alienae, atque multa alia quibus Theophrasti dicendi ratio ab illo distat **), perspicue demonstrant, nullo modo sententiam Jesseni accipi posse, qui libros de plantis (et histor. plant. et de caus. plant.) opinatur Aristoteli ipsi tribuendos esse ***). Etiam in libro de mundo ἄχρι invenitur, cf. 395. a. 22, 397. b. 29. ἔστε omnino non in usu est.

Ὅτε utrum cum indicativo an cum optativo ponatur, ab Aristotele accurate distinguitur, cf. Polit. 1286. b. 35 sqq.: δεῖ γὰρ αὐτὸν μὲν ἔχειν ἰσχύν, εἶναι δὲ τοσαύτην τὴν ἰσχύν, ὥστε ἑκάστου μὲν καὶ ἑνὸς καὶ συμπλειόνων κρείττω, τοῦ δὲ πλήθους ἥττω, καθάπερ οἵ τ' ἀρχαῖοι τὰς φυλακὰς ἐδίδοσαν, ὅτε καθισταῖέν τινα τῆς πόλεως, ὃν ἐκάλουν αἰσυμνήτην ἢ τύραννον, καὶ Διονυσίῳ τις, ὅτ' ᾔτει τοὺς φύλακας, συνεβούλευε τοῖς Συρακουσίοις διδόναι τοσούτους τοὺς φύλακας. Ὁπότε sine

---

ἂν maxime apud optativum omissa cf. Fritzsche. ad Ethic. 1170. b. 24. Malim autem librariis quam Aristoteli id tribuere, quia locis simillimis permultis ἂν invenitur atque ea particula facile excidere potuit. Ut ex uno scripto exempla afferam cf. Ethic. Eudem. 1225. b. 18, 1229. b. 34, 38, 1230. a. 17, 1249. b. 11.

*) v. Krüger. Griechische Sprachlehre I. §. 69. 13.

**) Cf. pag. 12, 33, 36, 49, 51, 62, 63.

***) Cf. Rheinisches Museum. Neue Folge. vol. 14. pag. 88—101.

ἄν videtur apud Aristotelem ipsum nullo loco inveniri, cont in altero Oeconomicorum libro 1348. a. 18, 22, 1350. a. 9, 13, 1353. a. 26, apud Theophrastum histor. pl. IX. 18. Ἐπειδή in nonnullis libris pseudoaristoteleis maxime in Magn Moralibus saepius adhibetur ubi secundum vulgarem optim rum scriptorum atque Aristotelis ipsius usum ἐπεί sufficer quo factum est ut in Magnis Moralibus ἐπειδή multo saepi quam in ullo Aristotelis scripto inveniatur. Loci enim sun 1181. a. 24, 1184. a. 17, b. 36 (ἐπειδήπερ), 1185. a. 15 (ἐπι δήπερ), 1187. a. 37, b. 5, 12, 20 (ἐπειδήπερ), 1190. a. 26, 21, 1191. a. 15, b. 30, 1192. a. 6, b. 12, 1193. b. 23, 119 b. 4, 35, 1197. a. 6, 1200. a. 30 (ἐπειδήπερ), 1202. b. 1204. a. 19 (ἐπειδήπερ), a. 30 (ἐπειδήπερ), b. 24, 25, 1205. 12, 14, 1206. a. 37, b. 30, 1207. b. 20, 27, 1208. a. 12, 4, 1209. a. 11, 1211. a. 25, 29, 31, 1212. b. 10. (in Ethi Nicomacheis ἐπειδή adhibetur: 1095. a. 5, 14, 1101. a. 1 1102. b. 12, 1112. b. 13, 1139. a. 22, 1144. a. 32, 1169. 25, 1176. a. 31, 1178. b. 28, 1180. a. 2). Ἡνίκα ap Aristotelem non in usu est, apud Theophrastum histor. pla IV. 3. 2, IV. 11. 4, Charact. 13. 2 (Schn.).

Restat ut de particulis temporalibus cum ἄν compositis camus: ὅταν, ὁπόταν, ἐπάν, ἐπειδάν, ἡνίκ' ἄν. ὅταν in om bus Aristotelis scriptis saepissime invenitur, ἡνίκ' ἄν nisi fal omnino non in usu est; contra ceterae particulae, cum in Po ticis, Metaphysicis, Physicis (quae scripta saepissime inter consentiunt, differunt a ceteris), Poeticis (sed propter exigu eorum ambitum ex ea re nihil effici potest) nullo loco adhibe tur, in Ethicis, libris de anima, Rhetoricis usurpantur quid neque vero pari numero. Ex Ethicis enim hi loci afferri p sunt: ἐπειδάν 1100. a. 12, b. 31, 1164. a. 6, 9, 1165. a. 1174. b. 28; ἐπάν*) 1132. a. 32; ὁπόταν 1110. a. 2; libris de anima: ἐπειδάν 402. b. 22, 408. a. 7, ὁπόταν 41 b. 24; ex Rhetoricis: ἐπειδάν 1379. b. 1. In scriptis pseu aristoteleis et Theophrasteis (sc. in iis quae evolvi) illae parti

*) ἐπάν etiam apud ceteros scriptores multo rarius quam ἐπειδάν venitur, v. Krüger. Griechische Sprachlehre. I. §. 54. 16. 4.

lae his locis inveniuntur: ἐπειδάν: Magn. Mor. 1191. a. 3, 1199. b. 36, Rhetor. ad Alex. 1446. a. 28, Physiogn. 805. b. 17, 811. b. 37, de mundo 395. a. 18, 399. b. 2; Theophr. hist. plant. II. 7. 3, 8. 2, IV. 4. 2, 8. 5, 13. 6. ἐπάν: Physiogn. 809. a. 35, Rhetor. ad Alex. 1433. a. 17; Theophr. hist. plant. IV. 8. 11, V. 7. 2, Charact. 26, 2 (Schn.). ὁπόταν: Ethic. Eud. 1217. a. 13; Theophr. hist. plant. II. 6. 4, IV. 7. 3. ἡνίκ' ἄν: Rhetor. ad Alex. 1434. b. 26.

Cap. VIII.

De particulis ἦ et τοί.

Ex particularum ἦ et τοί usu perspicue apparet quantopere Aristotelis dicendi ratio ab optimis Atticis distet, cum tales particulas, quarum usus apud eos latissime patet, aut omnino non aut multo rarius adhibeat. Particula ἦ enim videtur ab Aristotele nullo loco usurpata esse. Modo Polit. 1264. b. 9, v. pag. 48—49, nonnullis codicibus praebetur ἦ πού γε δή, sed eam dicendi rationem ab Aristotelis usu prorsus alienam esse et supra vidimus et hoc ipso apparet, quod nullo alio loco ἦ invenitur. Itaque conjecturis omnibus repugnandum est, quibus in Aristotelem vel in libros pseudoaristoteleos (neque enim in ea re ab Aristotele differunt) ἦ infertur; sic ut exemplum afferam non recte Fritzschius Ethic. Eudem. 1233. a. 27 scripsit: εἰ *) γὰρ μεγάλων ἀξιῶν χαῦνος ἦν, ἦ (ἢ in codicibus) ἐλαττόνων ἔτι. Neque hoc quod Scaliger, cf. Oncken. Eos I. 219, Magn. Moral. 1203. a. 24 proposuit: ἦ δῆλον ὅτι οὗτοι (in cod. ἢ δῆλον ὅτι οὗτοι) ferri potest, neque enim ἦ neque οὗτοι ita in libris Aristoteleis et subditiciis adhibetur, ita ut is locus perspicue demonstret, in quantos errores etiam homines ingeniosissimi in-

---

*) ἢ Mb, εἰ Pb.

cidere possint, si ex vulgari scriptorum Atticorum usu Aristo lis libros corrigere conantur. Apud Aristotelem autem parti lam ἦ Platoni familiarissimam omnino non inveniri propterea n offendit quod ἦ cum affectu quodam confirmat, id quod mini quadrat ad Aristotelis dicendi rationem.

Particula τοί *) invenitur quidem apud Aristotelem, s ejus usus finibus multo artioribus quam apud Atticos circu scriptus est. Primum post οὐ ita adhibetur, ut restriction indicet, quam ob rem particula γέ ubique additur. Antequ vero locos singulos afferam, cum in codicibus saepissime οὔτ et οὔτι confundantur, cf. F. V. Fritzsche. quaestiones Luciane pag. 20, Hartung. l. l. II. pag. 155 et 368, hoc videtur pr mittendum esse, οὔτοι ita distare ab οὔτι, ut illud sententi restringi significet, cum τί ad οὐ addito nihil aliud nisi parti lae negantis vis prematur **). Itaque Astius, cf. lexic. Plat. pag. 493, οὔτοι vertit: „non vero", „haud sane", „neque men", οὔτι: „neutiquam", „haudquaquam". Jam de singu locis facilius erit judicatu. Pol. 1315. a. 10: *ἐὰν δ' ἄρα τι δέῃ ποιῆσαι μέγαν, μήτοι τό γε ἦθος θρασύν* codices et edit nes consentiunt. Metaph. 1035. a. 30: *ὅσα δὲ μὴ συνείληπτ τῇ ὕλῃ ἀλλ' ἄνευ ὕλης, ὧν οἱ λόγοι τοῦ εἴδους μόνον, ταῦ δ' οὐ φθείρεται, ἢ ὅλως ἢ οὔτοι οὕτω γε* (codex Ab recte q dem omnes literas praebet, sed male conjunctas: *ἢ οὐ τοιοῦ γε*, contra E: *ἢ οὔτι οὕτω γε*). Dissentiunt codices: Pol. 13(b. 15: *κοινὸν δὲ καὶ ἐν δήμῳ καὶ ὀλιγαρχίᾳ [καὶ μοναρχ καὶ πάσῃ πολιτείᾳ μήτ' αὐξάνειν λίαν μηθένα παρὰ τὴν σ μετρίαν, ἀλλὰ μᾶλλον πειρᾶσθαι μικρὰς καὶ πολυχρονίους δόναι τιμὰς ἢ ταχὺ μεγάλας (διαφθείρονται γάρ, καὶ φέρ οὐ παντὸς ἀνδρὸς εὐτυχίαν), εἰ δὲ μή, μήτοι γ' ἀθρόας δ τας ἀφαιρεῖσθαι πάλιν ἀθρόας, ἀλλ' ἐκ προςαγωγῆς*, ubi s tentiam quae antecedit restringi verbis *εἰ δὲ μή* probatur, ita sine dubio *μήτοι* legendum sit (*μήτι* cod. Ib Vb Rb, edito

*) Cf. Schömann. Lehre von den Redetheilen. pag. 199, 200.

**) Cf. Franke de particulis negantibus linguae graecae comment. pag. 24: „οὔτι quod ut interdum οὐδέν, cum vi quadam pro simplici usurpatur (keineswegs, gar nicht, proprie in keinem Stücke)" sqq..

lae his locis inveniuntur: ἐπειδάν: Magn. Mor. 1191. a. 3, 1199. b. 36, Rhetor. ad Alex. 1446. a. 28, Physiogn. 805. b. 17, 811. b. 37, de mundo 395. a. 18, 399. b. 2; Theophr. hist. plant. II. 7. 3, 8. 2, IV. 4. 2, 8. 5, 13. 6. ἐπάν: Physiogn. 809. a. 35, Rhetor. ad Alex. 1433. a. 17; Theophr. hist. plant. IV. 8. 11, V. 7. 2, Charact. 26, 2 (Schn.). ὁπόταν: Ethic. Eud. 1217. a. 13; Theophr. hist. plant. II. 6. 4, IV. 7. 3. ἡνίκ' ἄν: Rhetor. ad Alex. 1434. b. 26.

Cap. VIII.

De particulis ἦ et τοί.

Ex particularum ἦ et τοί usu perspicue apparet quantopere Aristotelis dicendi ratio ab optimis Atticis distet, cum tales particulas, quarum usus apud eos latissime patet, aut omnino non aut multo rarius adhibeat. Particula ἦ enim videtur ab Aristotele nullo loco usurpata esse. Modo Polit. 1264. b. 9, v. pag. 48—49, nonnullis codicibus praebetur ἦ πού γε δή, sed eam dicendi rationem ab Aristotelis usu prorsus alienam esse et supra vidimus et hoc ipso apparet, quod nullo alio loco ἦ invenitur. Itaque conjecturis omnibus repugnandum est, quibus in Aristotelem vel in libros pseudoaristoteleos (neque enim in ea re ab Aristotele differunt) ἦ infertur; sic ut exemplum afferam non recte Fritzschius Ethic. Eudem. 1233. a. 27 scripsit: εἰ *) γὰρ μεγάλων ἀξιῶν χαῦνος ἦν, ἦ (ἢ in codicibus) ἐλαττόνων ἔτι. Neque hoc quod Scaliger, cf. Oncken. Eos I. 219, Magn. Moral. 1203. a. 24 proposuit: ἦ δῆλον ὅτι οὗτοι (in cod. ἢ δῆλον ὅτι οὗτοι) ferri potest, neque enim ἦ neque οὗτοι ita in libris Aristoteleis et subditiciis adhibetur, ita ut is locus perspicue demonstret, in quantos errores etiam homines ingeniosissimi in-

---

*) ἢ Mb, εἰ Pb.

πολλὰ τῶν ὄντων, sed ex locis simillimis quos attulimus, cf. Pol. 1282. a. 11, lectionem codicis I (de cujus fide cf. pag. 9) οὔτοι recipiendam esse apparet.

Alius particulae τοί usus invenitur: Pol. 1281. a. 12: ἔχει δ' ἀπορίαν, τί δεῖ τὸ κύριον εἶναι τῆς πόλεως· ἢ γάρ τοι τὸ πλῆθος, ἢ τοὺς πλουσίους, ἢ τοὺς ἐπιεικεῖς, ἢ τὸν βέλτιστον ἕνα πάντων ἢ τύραννον. Phys. 254. a. 18: ἢ γάρ τοι πάντα ἠρεμεῖ ἢ πάντα κινεῖται, ἢ τὰ μὲν ἠρεμεῖ τὰ δὲ κινεῖται τῶν ὄντων, ubi codex K ἤτοι γάρ praebet quam lectionem quamquam multum abest ut accipiendam esse censeam, indicare tamen puto quo modo ἢ γάρ τοι explicandum sit. Cum enim γάρ τοι non praecedente ἤ nusquam apud Aristotelem inveniatur, τοί ad ἤ videtur referendum esse, ita ut γάρ inter particulas eas quae vulgo conjunguntur in medio interpositum sit. Particulam τοί autem post ἤ altero ἤ sequente adhibitam verbum primo loco positum quodammodo premere constat, quae ratio ut clarius significaretur optimi scriptores Attici *) haud raro post ἤτοι γέ adhibuerunt (etiam apud poetas qui Aristotelis tempore vixerunt is usus invenitur, cf. Menander. Meinecke. comici Graec. (edit. min.) incert. f. frg. LVIII. v. 2); contra apud Aristotelem ἤτοι-γέ ἤ nusquam inveni **). ἤτοι-ἤ autem saepissime in usu est in Physicis (fere viginti sex locis), saepe in Metaphysicis, libris de anima, Politicis; in Rhetoricis duobus tantum locis 1364. b. 27, 1419. a. 10 ***), in Ethicis utrum rarissime an omnino non inveniatur, dubito, cum fortasse loci me fugerint. Apud Theophrastum quoque ἤτοι-ἤ rarissime usurpatur, cf. hist. plant. V. 2. 2.

Ἤτοι altero disjunctionis loco positum neque apud Aristotelem neque in libris subditiciis neque apud Theophrastum in usum venit. Cum enim Theoph. hist. pl. IX. 18. 3 legeretur: τὸν δὲ καυλὸν ὁμοιότατον ἀπίῳ ἀπύρῳ ἤτοι ἀκάνθῃ

---

*) Hartung l. l. II. 357.

**) pag. 65 vidimus etiam post εἴπερ γέ cum apud Atticos saepe inveniatur ab Aristotele omnino non adhiberi.

***) Id eo magis offendit, quod in Rhetoricis saepius quam in ullo alio Aristotelis scripto particulae disjunctivae ἤ – ἤ inveniuntur.

Wimmerus ex UU* (cf. de codicibus Theophrasteis Wimmeri praefat.) rectissime ἤ τῃ recepit. De loco Eth. Eudem. 1225. b. 4: ἐνίοτε γὰρ οἶδε μὲν ὅτι πατήρ, ἀλλ' οὐχ ἵνα ἀποκτείνῃ, ἀλλ' ἵνα σώσῃ, ὥσπερ αἱ Πελιάδες ἤτοι ὡς ὅτι μὲν πόμα ἀλλ' ὡς φίλτρον καὶ οἶνον homines docti dissentiunt. Cum enim Bonitzius, cf. observationes criticae in Ethic. Eud. et Magn. Mor. pag. 24, dixisset: „Residet quidem etiam sic [correxerat enim optime verba quae antecedunt] corruptela in verbis ἤτοι ὡς ὅτι μὲν, sed eam qua probabili ratione tollam non video", Fritzschius, cf. epistola critica de locis quibusdam Ethicorum Eudemeorum. 1849. pag. 12, omnes difficultates hac conjectura sustulisse sibi videbatur: ἐνίοτε γὰρ οἶδε μὲν ὅτι πατήρ, ἀλλ' οὐχ ἵνα ἀποκτείνῃ, ἀλλ' ἵνα σώσῃ, ὥσπερ αἱ Πελιάδες· ἤτοι ὡς τοδὶ μὲν πόμα, ἀλλ' ὡς φίλτρον καὶ οἶνον, atque ita in editione scripsit. Neque tamen videtur Spengelio satisfecisse, qui, cf. Aristotel. Studien, II. 16, dicit: „ἤτοι ὡς vix sanum". Mihi quidem ut Bonitzio et Spengelio potius quam Fritzschio assentiendum esse censeam haec causa sufficit, quod particulae ἤτοι usus qualis hoc loco est neque apud Aristotelem ipsum, neque in libros pseudoaristoteleis praeterea invenitur.

De particula τοί cum μέν et καί composita, μέντοι et καίτοι, supra vidimus, cf. pag. 35—36; etiam de τοίνυν, cf. pag. 51. τοιγάρ neque apud ceteros prosarios neque apud Aristotelem invenitur, neque τοιγάρτοι, quo scriptores Attici (quamquam non saepe) usi sunt *), ullo loco adhibetur. τοιγαροῦν usurpatur: Polit. 1270. a. 29, 1271. b. 3, Poetic. 1459. b. 2, Phys. 224. a. 8, 227. b. 8, 249. a. 6. Praeterea particulam τοί adhiberi non puto. In libris subditiciis et apud Theophrastum pauci tantum loci exstant, qui ab Aristotelis usu discrepant. Magn. Mor. 1184. b. 23: μετὰ τοίνυν τοῦτο ὁρῶμεν ὅτι οὐθενὶ ἄλλῳ ἢ ψυχῇ ζῶμεν, ἐν ψυχῇ δ' ἐστὶν ἀρετή· τὸ αὐτὸ γέ τοί φαμεν τήν τε ψυχὴν ποιεῖν καὶ τὴν τῆς ψυχῆς ἀρετήν. (1191. b. 14 Scaliger conjecit: αὐτό γέ τοι). Magn. Mor. 1186. a. 34 cum in codicibus insit: τὰ δὲ πάθη ἤτοι λῦπαί

*) Cf. Hartung. l. l. II. 354, Bäumlein. Griechische Partikeln. pag 255, Ast. Lex. Platon. III. 397.

Aristotelis dicendi rationem efferebant, ad scripta nobis servata referendum est, de illis maxime valere censeam. Talis in iis inest venustas, tam leniter fluit oratio, ita abstinetur ab inconcinne et dure dictis (quamquam longae periodi non desunt); quin etiam haud raro ad poetarum sermonem dicendi ratio accedit, cf. l. IX. cp. 4 (Bekker). Itaque factum est, ut in his libris non tam ratiocinationibus contortis et implicatis Aristoteles utatur, sed res quasi depingat atque oculis nostris subjiciat. Quae cum ita sint eae particulae, quae enuntiatis subjungendis serviunt, raro adhibentur, saepissime eae quae leni modo alterum alteri enuntiatum annectunt. Ut exempla afferam, particula ἐπεί, quae in ceteris omnibus Aristotelis libris saepissime invenitur, hic perraro in usu est. Loci enim sunt libri VIII: 1157. a. 25; l. IX: 1165. a. 16, 1166. b. 5; l. X: 1175. b. 13; contra in l. V, VI, VII ἐπεί saepissime adhibetur, in l. VII: 1145. a. 27, 1146. b. 31, 36, 1147. b. 9, 23, 1148. a. 22, b. 15, 1149. b. 5, 1150. a. 16, 1151. a. 11, b. 9, 11, 23, 32, 1152. b. 26, 33, 36, 1153. a. 20, 22, 29, 35, b. 23, 29, 1154. a. 22, b. 24. In lib. V et VI quamquam ἐπεί non tam multis locis usurpatur, tamen cum septimo opponi possunt ceteris libris. Libri I, II, III, IV enim cum postremis magis quam cum his faciunt, sed non plane inter se consentiunt, cum in libro secundo ἐπεί sex locis inveniatur, in quarto uno 1121. a. 19 (v. de h. l. M. Vermehren. Aristotelische Schriftstellen untersucht. pag. 27—30).

Etiam in particula ὥστε adhibenda libri differunt, quamquam non tam miro modo. Invenitur enim ὥστε: in libro octavo: 1159. a. 35, 1163. a. 7, b. 21, 1155. b. 20; in l. nono: 1168. a. 10, 1169. a. 11, 1170. a. 31, 1172. a. 1; in l. decimo: 1175. b. 9, 33, 1178. b. 21, 32, 1179. a. 31. Contra in libro septimo: 1145. a. 22, 1146. a. 30, 1147. a. 8, 12, 22, 35, b. 3, 1149. b. 1, 18, 1150. a. 11, 22, 27, 1151. a. 21 (22), b. 3, 16, 1152. a. 17, b. 28, 1153. a. 6, b. 12, 1154. a. 5, 25, b. 22. L. V et VI plane cum septimo faciunt, cum in illo ὥστε ter et vicies, in hoc septies decies inveniatur. Libri I et II (si minorem libri secundi ambitum respicimus) quodammodo ad l. V, VI, VII accedunt (quamquam multo rarius ὥστε adhi-

betur), cum l. tertius et quartus prorsus cum l. postremis faciant. Cum igitur ὥστε in iis libris multo rarius in usu sit, alia particula opus erat, qua alteram rem ex altera sequi indicaretur. Et quidem particula δή eum locum obtinet cum saepissime in iis libris adhibeatur, ubi ὥστε minus in usu est, raro in iis, ubi ὥστε saepe invenitur. Quin in l. VIII, IX, X δή tam saepe usurpatur, ut ea ipsa re ab omnibus libris Aristoteleis discrepent.

Ad enuntiata conjungenda in libris postremis saepissime καί-δέ et καί-δή adhibentur, in ceteris multo rarius (excepto l. quarto, ubi καί-δέ saepe). Id discrimen quantum sit ut perspiciatur locos afferam, ubi καί-δέ et καί-δή (eas particulas comprehendo, cum saepe in codicibus confundantur neque quid quoque loco scribendum sit facile sit dijudicatu) ex altera parte in l. V, VI, VII, ex altera in l. IX invenitur. Librorum V, VI, VII loci hi sunt: καί-δέ: 1130. b. 20, 1145. a. 32, 1150. b. 35, 1151. a. 30, 1153. b. 25; καί-δή: 1152. a. 19, 1154. a. 31; libri IX: καί-δέ: 1165. a. 20, 24, 27, 1166. a. 17, 26, b. 32, 1168. b. 6, 34, 1169. a. 29, 1170. b. 28, 1172. a. 9; καί-δή: 1164. a. 2, 1165. a. 20, 30, 1166. a. 14, 1168. b. 4, 33, 1169. b. 19, 1170. b. 33, 1171. a. 12, b. 34. Particulam τέ altera particula copulativa non sequente adhibitam in libris postremis fere triginta et quinque locis, in ceteris omnibus quinquies tantum inveniri pg. 14 vidimus.

Ex iis quae attuli si quid video effici potest, singulos libros inter se valde discrepare, quod si conceditur etiam alia nonnulla, quae primo obtutu videntur nullius momenti esse, vim nanciscuntur. Ut exempla afferam: τέ-τέ in libris primis et postremis invenitur (cf. pg. 16), deest in iis qui in medio positi sunt, δ'οὖν in postremis tantum libris in usu est, v. 1158. b. 1, 1171. a. 34, 1180. a. 14. μή cum conjunctivo elliptice usurpatum non adhibetur nisi in libris postremis, cf. pg. 56—57, quod, cum in illa locutione vividi aliquid insit, optime librorum postremorum dicendi rationi convenit. καίτοι et μέντοι inveniuntur: in l. I: καίτοι 1096. a. 9, 1097. a. 6; μέντοι 1102. b. 14; II: neutrum; III: καίτοι 1113. b. 26; μέντοι 1118. a. 5; IV: μέντοι 1152. a. 7; V: καίτοι 1132. b. 25, 1134. b. 28; 34;

μέντοι 1131. a. 26, 1134. b. 28, 1135. b. 23; VI: καίτοι 1142. a. 9, 1144. a. 16; μέντοι 1141. b. 24, 1142. b. 25; VII: καίτοι 1151. b. 19, 1152. b. 19, 1153. a. 26; μέντοι 1147. a. 2, 1153, b. 30; VIII et IX: neutrum; X: καίτοι 1181. a. 4, 1181. b. 3. Usurpantur autem particulae καίτοι et μέντοι apud Aristotelem maxime in iis libris quarum dicendi ratio ut ita dicam durior est. Itaque elucet, cur in libris postremis fere non adhibeantur. In particula μήν usurpanda libri ita distant, ut ἀλλὰ μήν in libris V, VI, VII multo saepius inveniatur quam in ceteris omnibus, cum οὐ μήν in illis semel tantum in usu sit, in ceteris (maxime in tertio, quarto, decimo) saepius quam in ullo alio Aristotelis libro.

Praeterea haud pauca afferri possunt, quibus libri discrepent, sed iis quae dixi videtur satis demonstrari, libros postremos, inter se dicendi ratione arte conjunctos, valde differre a ceteris libris, maxime a. l. V, VI, VII, cum primi non plane inter se consentiant. Quamquam autem libri postremi etiam a ceteris Aristotelis scriptis valde differunt, tamen quidquam in iis inveniri quod ab usu philosophi alienum sit nego, cum hac re discrimen effici censeam, quod particulae et locutiones alias saepissime adhibitae hic fere desint, aliae praeterea raro usurpatae in his libris persaepe inveniantur.

Cum libri ita inter se discrepent, hoc videtur elucere, non omnes eodem tempore ab Aristotele scriptos, sed postea demum alios cum aliis conjunctos esse. Quod si statuimus quam facile fieri potuerit, ut libri V, VI, VII et Ethicis Nicomacheis et Eudemeis insererentur*) apparet, utri autem scripto magis apti sint (de qua re homines docti valde dissentiunt) ex dicendi ratione vix dijudicari potest, quia Ethicorum Eudemeorum sermo fere non distare videtur ab Aristotelis ipsius scriptis. Ab Aristotele vero cur libros illos abjudicemus nobis nulla causa est, cum censeamus Ethica Nicomachea non eo

---

*) De Ethicis Nicomacheis et Eudemeis cf. Spengel. Abhandlungen der Bayr. Academie der Wissenschaft. Philos.-Philol. Classe III. 439—517; Barthelemy St. Hilaire edit. Ethicor. I. dissertation préliminaire. pg. CCLV—CCCXXXIII; Spengel. Aristotelische Studien I. 7—34.

ordine ab eo profecta esse quo nobis tradita sunt. Utque de tota illa quaestione aliter atque vulgo fit existimandum esse elucet.

Etiam in Metaphysicis et Physicis singuli libri alii ab aliis distant, neque tamen discrimen tantum est quantum in Ethicis esse vidimus, quam ab rem nunc de illis non dicam.

Quantum igitur particulis tractandis ad Aristotelis scripta melius intelligenda et dijudicanda profici possit, apparere puto *). Sed ea quae ipse attuli admodum exigua esse concedo, cum in cetera quoque scripta Aristotelea et pseudoaristotelea inquirendum et de multis aliis quae ad dicendi rationem pertinent **) disputandum sit. Quod quominus facerem temporis angustiis impeditum me esse quanto magis doleo, tanto magis ut ad eam rem aliquantulum conferam posthac otium mihi futurum esse spero et desidero.

*) Ut unum afferam, libros vere Aristoteleos a subditiciis tam multis rebus distare vidimus, ut ex dicendi ratione effici possit, num qui liber ab Aristotele scriptus sit necne.

**) Maxime de praepositionibus dicendum est, cum iis libri germani a subditiciis valde distent.

Annotatio ad pg. 35.

De dicendi ratione quae in Rhetoricis invenitur.

Rhetorica prae ceteris scriptis Aristoteleis non tantum iis excellunt, quae Brandisius, cf. Philol. IV., pg. 1, affert*), sed etiam dicendi ratione. Ea enim multo purior et candidior est, atque longae periodi quamquam nonnullis locis adhibentur rarissime tamen invenias constructiones duras et inconcinnas. Etiam hoc invenitur discrimen, quod Aristoteles cum in ceteris scriptis notionibus rerum accuratissime definiendis maxime studeat, in his libris definitiones magis adumbrat quam exponit, contra exemplis permultis afferendis res illustrat. Talem rationem minus accuratam esse negari nequit, sed multo facilius intelligi elucet. Cf., ut exemplum afferam, inde a pg. 1360. b. 14 quae de „εὐδαιμονία" dicit. Tales autem particulae quae videntur sermoni magis difficili, ut ita dicam, et implicatae melius convenire, velut μὴν cf. pg. 10. μέντοι et καίτοι cf. pg. 35, ἄρα cf. pg. 50, τοίνυν cf. pg. 51, in Rhetoricis rarissime inveniuntur. Cum accedat quod eaedem saepe locutiones et formulae repetantur, velut illud δή cum imperativo, de quo pg. 42 vidimus, Aristoteles in Rhetoricis scribendis multo magis quam in ceteris scriptis videtur hoc spectasse, ut etiam ab iis intelligeretur, qui ipsi neque philosophi neque doctrina instructi essent. Sed hoc tenendum est Rhetorica quamvis dicendi rationis puritate excellant valde tamen a venustate distare, quae in postremis Ethicorum libris cernitur.

*) Dicit enim: „Unter allen uns aufbehaltenen Schriften des Aristoteles ist keine vollständiger, ebenmässiger und folgerechter durchgeführt als die Rhetorik, keine in welcher Gedanke und Ausdruck einander mehr entsprächen, sie ist ein Werk aus einem Gusse".

Annot. ad pg. 66.

De Politicorum textu emendando.

Quamvis Göttlingius (v. praef. ad edit. Politic. pg. V, VI), Stahrius (Aristotelia II. 114) V. Rosius (l. l. pg. 125) Politica bene nobis tradita esse contendant, tamen magis magisque homines docti videntur in eam sententiam inclinare, ut ipsum contrarium statuendum esse censeant. Cum igitur de remediis cogitandum sit, quibus textus corruptissimus emendari possit, singulis vel nonnullis verbis inserendis permultum effici posse puto atque cum haud raro enuntiatorum ratio ea sit, ut quid fere exciderit cum probabilitate quadam concludi possit, Rassowium bene meruisse censeo, quod ea potissimum medela ad locos corruptos sanandos usus sit; cf. Jahresbericht über das Weimar. Gymnas. 1864. pg. 12, 14, 15, 16, 17. Ut nonnullos locos afferam, quos cum ipse invenerim plerosque jam ab aliis emendatos neque vero ab editoribus plurimis recte scriptos esse video, cf. 1274. b. 24: ἐγένετο δὲ καὶ Ἀνδροδάμας Ῥηγῖνος νομοθέτης Χαλκιδεῦσι τοῖς ἐπὶ Θρᾴκης, οὗ περί τε τὰ φονικὰ καὶ τὰς ἐπικλήρους ἐστίν, legendum est: οὗ τὰ περί τε τὰ φονικά. Articulus autem in Politicis saepissime excidit, sic 1260. a. 4 eo a Schuetzio et Rassowio, cf. Weimar. Jahresbericht. 1861. pg. 8, restituto nunc demum locus intelligi potest: καὶ τοῦτο εὐθὺς ὑφήγηται τὰ περὶ τὴν ψυχήν. 1338. b. 25: ἔτι δ' αὐτοὺς τοὺς Λάκωνας ἴσμεν, ἕως μὲν αὐτοὶ προςήδρευον ταῖς φιλοπονίαις, ὑπερέχοντας τῶν ἄλλων, νῦν δὲ καὶ τοῖς γυμνασίοις καὶ τοῖς πολεμικοῖς ἀγῶσι λειπομένους ἑτέρων· οὐ γὰρ τῷ τοὺς νέους γυμνάζειν τὸν τρόπον τοῦτον διέφερον, ἀλλὰ τῷ μόνον μὴ πρὸς ἀσκοῦντας ἀσκεῖν post ἕως μὲν αὐτοί inser. μόνοι. 1309. b. 1: οἷον εἰ στρατηγικὸς μέν τις εἴη, πονηρὸς δὲ καὶ μὴ τῇ πολιτείᾳ φίλος, ὁ δὲ δίκαιος καὶ φίλος, πῶς δεῖ ποιεῖσθαι τὴν αἵρεσιν post φίλος inser. μὴ στρατηγικὸς δέ. Itaque cum haud paucis locis sententia ipsa, ut ita dicam, ut verba inserantur, postuletur, etiam iis locis ubi non tam propter sententiam quam propter dicendi rationem aliquid desideramus, verba inserere minus dub:' bimus.

Aliud remedium, quo in Politicis permultum effici potest, est transpositio verborum. Cf. 1309. b. 9: *ἀπορήσειε δ' ἄν τις κἂν δύναμις ὑπάρχῃ τῆς πολιτείας καὶ φιλία, τί δεῖ τῆς ἀρετῆς*, lege: *ἀπορήσειε δ' ἄν τις κἂν δύναμις ὑπάρχῃ καὶ φιλία τῆς πολιτείας*. 1317. b. 29: *τὸ τὴν ἐκκλησίαν κυρίαν εἶναι πάντων, ἀρχὴν δὲ μηδεμίαν μηθενὸς ἢ ὅτι ὀλιγίστων ἢ τῶν μεγίστων κυρίαν* verba ita transponenda sunt: *τὸ τὴν ἐκκλησίαν κυρίαν εἶναι πάντων ἢ τῶν μεγίστων, ἀρχὴν δὲ μηδεμίαν μηθενὸς ἢ ὅτι ὀλιγίστων κυρίαν*. Similis ratio etiam nonnullis aliis locis adhibenda est, sed de ea re monuisse satis erit. Utique contendi nequit, scriptum, in quo talia inveniuntur, codicibus bene traditum esse.
